58842
Mag. St. Dr. P
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

Iste liber cum aliis 4. Tomis donatus est Bibliotheca Academiæ Cracoviensi ab ipso eius Auctore, sub Præfectura Al. Christophori Sowinski, A. D. 1678. 15. Aprilis.

~~Teol. 4912/5~~

O IV
3.8.

SVPPLEMENTVM
SEV
TOMVS QVINTVS
CONCIONVM
PRO FESTIVITATIBVS
CHRISTI, B. VIRGINIS,
ET
ALIORVM SANCTORVM.

Quæ in prioribus tomis non habentur,

AVCTORE

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI,
In Vniuerſitate Cracouienſi S. Theol: Profeſſore,
Ad S. Florianum CANONICO,
S. R. M. SECRETARIO.

Bibliotheca Collegii Majoris
Universitatis Cracovienſis

CRACOVIÆ,
Typis Vniuerſitatis, Anno Domini, M. DC. LXX. VI.

APPROBATIO.

ADmodùm Reuerendus D. SIMON MAKOWSKI, S. Theol: Profeſſor, CANONICVS S. Floriani: RECTOR GENERALIS Studij VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS. S. R. M. Secretarius: Tomum quintum Concionum, cui Titulus Supplementum Concionum, pro Feſtiuitatibus Chriſti Domini, B. Virginis, & aliorum Sanctorum, ſtudio diligentiſsimo elaborauit. In quo quidem Opere digniſsimo; quoniam certat mira eruditio, cum ardenti pietate: Sublimitas eloquentiæ cum zelo propenſo Animas hominum Chriſtianorum inſtruendi: Charitas non ambitioſa nec quærens quæ ſua ſunt, cum pia intentione doctrinam Orthodoxam, fidem ſanctam Catholicam, atq; mores conformes ſtatui Apoſtolico promouendi: ideò iuxta meritum, vt lucem publicam recipiat, ac Typis mandetur: ego M. ALBERTVS DABROWSKI, Sacræ Theol: Doctor & Profeſſor, Decanus ad Sanctum Florianum, Cancellarius Poſnanienſis, Collega Maior: tanquam ad hoc negotium ſcilicet ad videndum & prælegendum rogatus, approbandum cenſui & approbo. Anno 1672. Martij 12.

58842
III

BIBLIOTEKA UNIW. JAGIELLOŃSKIEJ

CONCIO
DIE NATIVITATIS
CHRISTI DOMINI.

Dedit illis poteſtatem filios Dei fieri. *Ioan. 1.*

Deus in ſua Incarnatione maximum beneficium hominibus contulit, dans eis poteſtatem filios Dei fieri.

AD oſtendendam homi- A
nis dignitatem, & ex-
cellentiam, ſupra, o-
mnes mundi inferioris
creaturas, ſumma illa
rerum omnium boni-
tas, & maieſtas diuina, decem ſingulari-
bus prærogatiuis hominem condecora-
uit. *Quarum prima eſt*, quòd Deus in crea-
tione aliarum rerum, vno tantùm, aut
altero verbo vſus ſit, dicendo, ac impe-
rando: *Fiat lux, Fiat firmamentum, Fiant lu-* B
minaria. Quando autem ad creationem
hominis ventum eſt, noua quadam ra-
tione, atque oratione vſus eſſe perhibe-
tur, dicendo: *Faciamus hominem ad imagi-*
nem, & ſimilitudinem noſtram. Geneſis 1.
quaſi cùm magno conſilio, & delibera-
tione accederet ad creandum hominem.
Hinc Tertullianus lib. 2. aduersùs Mar-
cionem dicit, hominem eſſe à Deo con-
ditum, non imperiali verbo, vt cætera;
ſed familiari manu, etiam præmiſſo
blandiente illo verbo: *Faciamus hominem.* C
Vnde D. Baſilius Homil. 10. in Hexae-
meri excitat hominem ad cognoſcen-
dam ſuam nobilitatem ex ipſa creatio-
ne. *Ex modo* inquit, *creandi hominem nobiliſſi-*
mo, debet homo ſeipſum cognoſcere, & quanta ſit
eius dignitas, ac maieſtas. Quapropter ſapi-
ens Dauid, qui ſeipſum diligenter inqui-
rere, & æſtimare ſciebat, ita loquebatur
ad Dominum: *Admirabilis facta eſt cognitio tui*
exime. Quaſi diceret: conſiderato quod
in me eſt artificio; quanta videlicet ſa-
pientiâ corpus meum fabricatum ſit,

Homo 10. prærogatiuis condecoratus à Deo.

Genes. 1. v. 26.

Tertullian.

S. Baſilius.

Pſal. 138.

ex modico iſto magnum cognoui opifi-
cem. *Altera prærogatiua eſt*, quòd princi-
pale myſterium noſtræ fidei, nimirùm
Sanctiſſimæ Trinitatis, primò in hominis
ſit: nam illa verba, *Faciamus hominem*, ſi-
gnificant pluralitatem, & diſtinctionem
diuinarum perſonarum. At verò illa
ad imaginem, & ſimilitudinem, diuinæ natu-
ræ vnitatem apertè demonſtrant. Ergo
myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis primò
in hominis creatione inſinuatum fuit,
quod poſtea in eiuſdem hominis rege-
neratione, quæ per baptiſmum fieri de-
bebat, apertè declarandum, & expli-
candum erat. *Tertia prærogatiua eſt*, quòd
cætera animantia, & omnes plantæ, à
terra, & aqua producta eſſe dicantur;
at verò hominem non terra, non aqua,
non aliud corpus procreaſſe dicitur, ſed
ſolus Deus eum condidiſſe narratur.
Nam corpus hominis de terra à ſolo
Deo formatum eſt: non à terra, nec à
cœlo, nec ab Angelis; ſed ſolus Deus ex
limo terræ, quaſi manibus ſuis finxit,
atq; figurauit, in illumq; ita plaſmatum
vitam inſpirauit: & animam rationalem,
non quemadmodum cæteras formas
mortales, ex aliqua materia eduxit, ve-
rùm ex nihilo ſolus ipſe creauit, ac lu-
teo corpori à ſe formato indidit. *For-* Geneſ. 2.
mauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Quar-
ta prærogatiua eſt: quia Deus dedit ho-
mini imperium, & ius in omnes ani-
mantes,

Myſterium SS. Trinitatis primò in hominis creatione manifeſtatum eſt.

Homo à ſolo Deo productus.

nec priùs ab ædificando destitisse, donec & dilectæ coniugi domum similem ex-
3. Reg. 7. ædificasset. Ait scriptura: *Porticum solij, in qua tribunal est, fecit, & texit lignis cedrinis à pauimento vsq; ad summitatem.* &c. *Domum quoq; fecit filiæ Pharaonis, quam Vxorem duxerat Salomon, tali opere, quali & hanc porticum.*
Dei Filius quidquid decoris habet hominibus communicat. Non domum habere voluit Salomon, quin similem construeret vnicæ coniugi: in quo Filium Dei verè adumbrauit, cuius est, nihil decorum sibi habere, quod suis dilectis non communicet. Erat ipse Filius Dei, ex Deo Patre genitus; verùm nimio amore hominum abreptus, non est passus illos natales non habere similes. Vt profundè argumentatur D. Athanasius orat. de Incarnati-
S. Athanasius. one Christi: *Ipse enim ait, in sublimi procreatus ex Deo ineffabiliter, in tempore nascitur humi, ex perpetua Deipara Virgine; vt illi, qui humi antea geniti erant, denuò in sublimi nascerentur, hoc est, ex Deo.* Quia quidquid decorum sibi habebat, simile in electo populo suo habere voluit. In vltima cœna dicebat Christus Domino cœnaculi:
Matth. 26. *Apud te facio Pascha cum Discipulis meu.* Matth. 26. Res miranda, ante passionem discipulos vocabat; post resurrectionem autem rediuiuus, gloriosus, & immortalis, non discipulos, sed fratres. Ne mi-
remini: fecit hoc, vt ostenderet potestatem, quam dederat hominibus inchoatiuè in sua Incarnatione filios Dei fieri, in eius gloriosa resurrectione consummatam fuisse: proinde vt ostenderet illis glorioſos, & immortales natales ex sepulchro suo communicatos fuisse, quibus in regeneratione similiter essent futuri Christo conglorificati in corpore carnis. Ita resoluit Petrus Chrysologus
Chrysologus. serm. 80. vbi dicit: *Resurgens à mortuis resumpsit hominem, non reliquit; votat ergo fratres, quos corporis sui fecit esse germanos.* Noluit itaq; Redemptor noster, sui corporis rediuiui gloriam sibi soli vsurpare, quin illam populo suo electo communicaret. Et ideo renascens è sepulchro, glorioso corpore, ex tunc similia corpora parabat suis electis, vt in regenerationis die, eius nascerentur germani, qui nihil decorum habere voluit, quod suis electis non communicaret.

Alij denique, opinantur, hanc potestatem filios Dei fieri, datam hominibus, consistere maximè in carentia peccati: quoniam vltra humanam sortem esse videtur, & diuinitati propinquus, qui omni peccato caret. Sic dùm Iudæi ab omni culpa immunes essent, & iustis vteren-
tur legibus, ab Assuero pro filijs Dei co-
gniti sunt. Esther 6. *Nos autem* inquit, Esther 6.
à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos, in nulla penitùs culpa reperimus; sed è contrario iustis vtentes legibus, & filios Altissimi, sempiterq; Vuentis Dei. Et vnde illos agnouit filios Altissimi? equidem inde, quòd nulla in illis culpa reperta esset; sed è contrario iustis vterentur legibus. Dùm enim quispiam ab omni peccato immunis, & iustitiam colens apparet, plùs quàm homo esse iudicatur, & ipsimet diuinitati proximus habetur. Christus itaq; dedit potestatem hominibus filios Dei fieri: quia auferens ab eis peccatum, hanc virtutem illis contulit, vt possint iustitiæ opera facere. Ita resoluit Diuus Augu-
S. Augustinus. stinus in caput 1. Ioannis, dicens: *Ille venit vnigenitus, vt solueret peccata, quibus peccatu implicabamur, ve adoptaret nos propter impedimentum eorum, quos sibi fratres facere volebat, ipse soluit, fecit coheredes: sic enim dicit Apostolus: sicut filij, & heredes per Deum.* Qui ergo homines ad adoptionem filiorum Dei vocabat, id priùs fecit, nimirùm vt eliminarentur peccata: quoniam sublatis peccatis, ita se homines supra homines attollunt, vt operantes virtutes ex gratia Dei, in sortem filiorum Dei transferantur. Etenim plus quàm homo censetur, qui ab omni peccato liber est.

Arripite istius veritatis certum documentum ex D. Paulo, qui ad Philip-
Ad Philippenses 2. pen. 2. de Filio Dei ita dicit: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Græca versio legit: *Et figurâ inuentus vt homo.* S. Ambrosius epist. 47.
S. Ambrosius. exponit: *Et specie inuentus vt homo*: quasi non substantiam; sed solam figuram, aut speciem hominis habuerit. Et cur non dixit Apostolus, Dei Filium humanam substantiam assumpsisse, cùm esset indu-
Christus cur non dicitur humanam substantiam assumpsisse. bitanter homo in substantia carnis, & veritate? Equidem ideo: quia ab omni
D erat immunis peccato, per quod ita supra hominem efferebatur, & Deitati inde appropinquabat, vt videretur, quasi solùm esset homo in specie, & non in substantia, vt ingeniosè exponit D. Ambrosius, supra citatum locum sic fatus: *Quia sine peccato erat solus; omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur.* Ecce peccatum ostendit hominem; qui autem peccato caret, supra homines est, & per virtutum opera valet Deo appropinquare. Hinc D. Paulus arguens Corinthios ob mutuam dissensionem ait-
bat. 1. ad Corinth. 3. *Cùm enim quis dicat:* 1. ad Corinth. 3.
Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo:

nonne

nonne homines estis. Vbi ad culpam illis A
deputabat, quòd homines essent, quæ si abfuissent ab illis, similes Deo euasissent,
S. August. teste D. Augustino tract. 1. in Ioan. *Quid eos* ait, *volebat facere, quibus exprobrabat, quia homines erant? Vultu nosse, quid eos facere volebat? Audite in Psalmis: Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Ad hoc ergo nos vocat Deus, ne simus homines.* Culpa nostra in hominum sorte nos tenet, vt meritò exprobrationis notam incurrere, imò & castigationis rei videamur, quòd simus homines, cùm singulare beneficium à Deo acceperimus, vt eliminatis culpis, possimus in sortem filiorum Dei transire. B

O mira dignatio Dei nostri! Dei Filius, vt nos in sortem filiorum Dei eleuaret, exinaniri voluit, seruilem formam assumere non est dedignatus, & cùm esset summi Dei Filius, infra humanam vilitatem se demittere pro nihilo duxit. Conferte si placet Regum palatia, cum hodierno Christi reclinatorio, & facile videbitis Christum in comparatione Regum, licet summi Regis filium, quasi vilissimum vermiculum
Sapien. 3. esse. De Salomone dicit scriptura Sapientiæ 3. *Fecit sibi Rex Salomon ferculum de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium eius aureum, ascensum purpureum, C*
media charitate constrauit propter filias Hierusa-
S. Ambr. *lem.* Vbi S. Ambrosius nomine *ferculi*, vult significari *lectum*, quo deferebantur
Gregorius. sponsæ. Gregorius Papa *lectum discumbentium.* Legionensis non lectum, sed *lecticam.*
Genebrar. Gisserius. Genebrardus *thronum regium.* Gisserius *currum triumphalem*, aut certè *gestamen pompaticum.* Tandem Rabbi Abraham, Abenesdra cum alijs, intelligunt *ædem magnificam*, seu *palatium sumptuosum.* Quibus assentior: constructerat igitur Rex Salomon ædem superbissimam, in cuius medio lapillis stratorio opere graphicè, & perspicacissimè amoris emblemata depinxerat, quibus omnem filiarum Ieru- D
salem amorem, ad se attraheret. Hæc fecit Salomon, vnigeniti Dei Patris amorem, omnes hominum animas ad se attrahere volentis, adumbrare cupiens. Imò vt maiora Deum fecisse pro salute hominum agnoscas, intra in præsepe, & aspice quomodò media charitate Deus constrauit.

Aspice Deum immensum pannis involutum; aspice Deum, cui in throno maiestatis sedenti Seraphim cum omni reuerentia assistunt, pro hominibus in præsepe positum. Aspice Deum intra diuina attributa infinitæ altitudinis, ho-
die inter paleas, & fœnum recumbentem. Nimirù propter amorem animarum nostrarum, vt eas in paradisum eleuaret, ipse in stabulum se proiecit. Audite Apponium hac de re eleganter discur- Apponius.
rentem: *Firma* inquit, *charitas est ista, inter medium humanitatis, ac Maiestatis Christi constrata, vt assumendo hominem, paradiso redderet, quod homini tulerat hostis, humiliando se vsq; ad ignominiam crucis.* Addo vlteriùs: *& præsepe, pro suæ imagine maiestatis reparanda.* Ergone magis firma charitas potuit esse, quam Dei nostri in nos? qui talia pro nobis inaudita egit, vt pro se ferculum non aliud, ac domum constitueret, nisi stabulum: eamq; non picturis, non tapetijs adornaret; sed palæis, & fœno: ac tandem pro lecto auri ostriq; elaborato, vile animalium præsepe eligeret. Ita profundè discurrit S. Cyprianus sermo- S. Cyprian.
ne de Natiuitate: *Nulla* inquit, *domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in fœno, filius in præsepio.* O homo, quomodò ista audiens, non obstupescis, non contremiscis?

Hinc Isaias Propheta, ad cognoscendum Verum Deum, & omnia eius attributa, quasi per compendium concipienda, non aliam compendiosiorem viam proposuit, nisi Christum natum, & in præsepio positum, cap. 9. inquiens; Isaiæ 9.
Consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet, in medio omnis terræ. Vbi per talem consummationem, & abbreuiationem, Verbum incarnatum in præsepio intelligit D. Hieronymus ad S. Hieron.
Algariam q. 10. *Verbum incarnatum* ait, *est Verbum ad hominis vsq; naturam abbreuiatum, & exinanitum, vt quod non capiebatur, præsepio caperetur.* Quid melius dici potuit? Christus enim in præsepio iacens, mentem hominis ita eleuat, ita extollit, ita extra se rapit, vt ad Deum cognoscendum non sit necessarium mendicari per
D partes, quod ipse simul in se vno pertotum continet. Quod eruditè enucleat D. Gregorius Nyssenus Orat. de Na- Gregorius Nyssenus.
tiuitate, vbi dicit: *Quemadmodùm enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur, sic forma, & indicium diuinitatis Dei in virtute ipsius, qui patitur, ostenditur.* Quasi diceret: Deus est lux, si vis illam apprehendere, noli alias inquirere luces, præterquàm vmbram Christi, quam dùm in præsepio contemplaris, dùm inter animalia, dùm in stabulo, dùm in fœno iacentem recogitas, ex tantæ humilitatis incomprehensibili vmbra, diuinæ lucis infinitatem facilè apprehendes: quo-

niam vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur. Hinc D. Cyprianus de paupertate præsepis loco supra citato affirmat, ornamenta, si quæ ibi adessent, supperflua futura fuisse: quoniam præsentia infantis Christi, vt homines ad talia respicerent, non permittebat. *Ornamenta* ait, *quæ deerant, etiamsi adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia paruuli, sic eorum, quæ aderant, oculos occupârat, sic illuminauerat animos, sic corda allexerat, vt in hoc summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus esset euagari, & emendicare per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat.* Erudite satis: quid enim Christus in præsepio, nisi summum bonum? quid Christus natus vagiens in stabulo, nisi omnium bonorum summa collectio? ita vt ad cognoscendum Deum, non sit opus emendicare per partes, quod simul in illo vno omnipotentis infantia repræsentat.

S. Cyprian.

Ornamenta in præsepio Christi frustra adhibita fuissent.

Quando Regina Esther ingressa erat palatium Regis, sine eius licentia iuxta Persarum morem, vix oculis sedentem in throno intuita, corruit in terram, *& in pallorem colore mutato, lassum supra ancillam reclinauit caput.* Esther 15. Adeò tremens ex maiestate, ex fulgore, ex gemmis, ex iratis oculis sedentis in throno Regis effecta, vt præ timore currueret. Nihilominùs licet corruit, licet caput reclinauit; nondùm tamen exinanimata, sed tunc primùm, quando Deus conuertit spiritum Regis in mansuetudinem, quando festinus, & metuens exiliuit de solio, quando vlnis suis eam sustentans, verbis blandiebatur, dicens: *Quid habes Esther: ego sum Pater tuus.* Tunc enim teste scriptura, licet excitata, licet Regem viderit adeo benignum, & totum clementem, *rursùs corruit, & pene exinanimata est.* Causam tantæ exinanimationis suggerit ipsamet respondens: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Regina ergo, quando vidit Regem extra maiestatis thronum, totum trementem, seque fratrem suum appellantem, ita ex stupore illius demissæ, ac humiliatæ altitudinis elanguit, vt penè exinanimata esset. Deus bone, quid hoc est cum Iesv infante in præsepio vagienti, quando vt fatur D. Augustinus serm. 7. de Natiuit. *Immensus capitur, dues pauper efficitur, incorporeus carne vestitur, videtur inuisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, numeratur in sæculo, qui est ante sæcula, & quem quem cælum, ac terra venerantur, in præsepio angusto collocatur.* Euanescit certè humilitas illa Regis Assueri, ad istam Verbi incarnati exinanitionem: quia hæc tantùm illam excedit, quantùm immensi Dei sublimitas humanam infirmitatem. Adeò, vt etiam beatæ illæ mentes, quæ in cælis sempiterno fruuntur æuo, magis ad hanc Verbi incarnati demissionem exanimentur; quàm olim Esther ad humilitatem Regis Assueri è throno descendentis.

Esther 15.

Regina Esther coràm Rege benigno cui in terram corruit.

S. Augustin.

Audite Regium Psaltem, palam id profitentem, Psalmo 118. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Richardus de S. Victore, de gradibus charitatis violentæ, exponit: *Deliquium passus est ob charitatem: quia charitas defectum facit, languorem adducit.* Vnde obsecro tanta defectio ex charitate? Respondet sanctus Ambrosius in hunc locum: *ob salutare tuum, quod est Christus Iesus.* Defecit ergo Propheta in Christum Iesvm, quando mentis oculis eum in carne venturum intuitus est, quod ipsemet in eodem psalmo sequentibus verbis insinuat, aiens: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* D. Ambrosius exponit: *in verbum tuum.* Tunc igitur, quando oculis Verbum carnem factum prospexit, & non in sinu virginali, sed extra illud in stabulo, in præsepe positum, defecit, & penè exinanimatus est. Vnde dicit Leo Papa in sermone huius festiuitatis: *Exultent in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum, cùm in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam æternus conditor æstimauerit, quòd cùm origini humanæ multum dederit, quòd nos ad imaginem suam fecerit, reparationi nostræ longè amplius tribuit, cùm seruili formæ ipse se comparauit.* Quasi diceret: multum quidem Deus præstitit homini, cùm illum creasset, sed infinities plus, dùm pro illo humanam carnem assumeret, vt ad suum genus diuinum, hoc strictissimo consanguinitatis vinculo hominem eleuaret.

Psal. 118.

Richardus de S. Victore.

S. Ambr.

Leo Papa.

Ad quod illustrandum, placet inquirere, cur Deus non statim ad humani generis reparationem, ab initio mundi venerit, sed in extremis temporibus, nimirum in vltima mundi ætate. quòd ideò factum esse censet Nyssenus, orat. de Natiuit. quia Deus summum beneficium humano generi præstare volens, expectabat, donec humana malitia ad summum excresceret, quo iam ampliùs vltra progredi non posset. *Quòd autem* ait, *humanæ vitæ non ab initio, sed ab extremis temporibus Dominus apparuerit, hanc meritò fortasse causam quispiam æstimabit, quòd qui malitiam vt tolleret, humanam*

Nyssenus.

manam vitam erat ingressurus, expectauit necessario, vt omne ab inimico satum, propagatumque peccatum germinaret, ac tum demùm radici securim admouit. Vnde licet temporibus Nòé, *omnis caro corruperat viam suam,* teste sacra pagina. Genes. 6. Humani quippe generis vniuersitate tota ad impietatem vergente, velut contentiosa malitiæ æmulatione, nulla quantumuis importuna & barbara prætermissa est, vitiorum audacia: omnes enim cupiditatum viæ certatim inibantur, & serpens iniquitatis consuetudo recenti morum corruptelâ in dies notabatur. Quæ iniustitiæ species? qui libidinum impudicarum modus? quæ irreligiositatis temeritas non tunc inter homines versabatur? *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta iniquitate.* Nemo quippè, aut ferè nemo erat, qui pro pietate staret: qui virtutis causam coram improbissima multitudine ageret. Sic extincta erat probitatis scintilla: cineres solum emortui Abelis virtutem spirabant, & pietatem prædicabant. Eleganter hac de re Basilius Seleucienfis orat. 5. in hunc modum discurrit. *In hominibus* inquit, *nemo erat, qui Deum amantem Abelum æmularetur: sed emortuam virtutem opinabantur; quæ tamen vel in mortuo corpore loquebatur. Quòd si vel exiguæ virtutis reliquiæ in ipsis superessent, eæ certissimè per vitiorum admixtionem extinguebantur, & deteriorum rerum imitatio deleuerat omne vestigium probitatis. Cùm verò hac pestifera lue corriperetur creatura, & animarum, carnisq; sanie inquinaretur, Angelorum ordines grauiter ferebant, & ardentissimis vltijs indolebant.* En deploratissimam virtutis stragem, vt neq; virtutis reliquiæ superessent. Vnus Nòé in tanta populorum frequentia repertus est, qui staret pro virtute.

Genes. 6. Hominum ante diluuium quanta malitia.

Ibidem v. 11. & 12.

S. Basilius.

Quid ergo Deus: grauiter tàm enormissimis sceleribus lacessitus, decreuit vniuersum mundum perdere, diluuio: *Delebo* inquit, *hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vsq; ad animantia, à reptili vsq; ad volucres cæli.* Res mira: statuens Deus omnes primæuos homines diluuio perdere, nihilominùs integram familiam Nòémi voluit reseruare, sic eum alloquens: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam.* Nam licet Nòé iustus esset, & perfectus; difficilè tamen videbatur, quòd aliquis de familia eius non æquè meretur diluuij pœnam, quemadmodùm & alij; qui submergebantur. Cur ergo integra domus Nòémi, ita à Deo protecta est, ne inuolueretur cum cæteris, & in culpis, & in pœnis? Duæ tunc erant generationes in mundo ab Adamo descendentes, nimirum generatio, quæ ab Adamo per Cain genus ducebat; & generatio, quæ per Sethum sanctissimum descendebat. Et licet Sethi filij commixti cum Cainitis, æqualia committerent scelera; nihilominùs tanti maioris, parentisq; virtute muniti, eam protectionem habuerunt, quâ non funditùs perderentur, sed eorum reseruaretur semen, sicut seruatum est in filijs Nòémi, tantum equidem valent virtutes maiorum ad protegendos posteros. Sic censet citatus Basilius Orat. 3. dicens: *Sethi filij generis sanguine purgabantur: Caini verò posteris, neq; purgandi diluuium apparatur.* Fateor proinde Sethi filios peccasse, dùm ad Caini filias accurrerunt, & diluuium ex Deo solicitasse; verùm ne funditùs perirent, sed reseruarentur in familia Nòé, quando nullus Caini generis non peribat, habuerunt ex virtute sanctissimi parentis Sethi, cuius generis sanguine purgabantur, protegebantur, ne diluuio absorberentur.

S. Basilius.

Familia Nòémi ne diluuio periret, ex Sethi virtutibus habuit.

O quàm felix ille est, qui pro se habet virtutes parentum. Perpetrauerat Salomon execrandam idololatriam, 3. Reg. 11. *Et adorauerit Astartem deam Sidoniorum, & Moloch deum filiorum Ammon.* Propter quod iustissimè regali throno deijci, & regno exturbari meruit; & tamen ipse punitus non est, sed filius eius: *Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus.* Quid est pro Deum viuum! Salomon longè nequior fuit, & multò peiora fecit coram Domino; quàm filius eius Roboam. Ille enim per mulierum delicias apostatauit à Deo, coluit illarum deos, adoleuit in montibus idolis incensum. Cur ergo non illi regnum ereptum est, sed filio eius, qui talia scelera non fecit? Respondet Theodorethus qu. 35. in citatum scripturæ locum, id factum esse, propter virtutes Dauid Patris eius, in persona Dei, ita loquens: *In diebus tuis,* inquit, *non faciam hoc propter Dauid seruum meum, è manibus filij tui accipiam illud. Nam tu quidem habes Patrem in auxilium; ille autem fuit priuatus paterno auxilio.* Non mirum proinde, quod in erroribus suis pereant, quibus paternarum virtutum auxilium defecit; illi autem, quibus maiores fauent, propter illorum virtutes protectionem recipiunt à Deo. Cuius rei euidens documentum nobis porrigit sacra pagina 4. Reg. 23. referens Iosiam sanctissimum Regem occisum à Rechao: *Abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo.* Simi-

3. Reg. 11.

Salomon idololatra non est de regno eius propter merita Dauid.

Theodoretus.

4. Reg. 23.

liter

liter Asa, qui clarissimum regnandi initium habuit, finem non adeò felicem sortitus est. Vnde obsecro præstantissimi hi Reges in tantas calamitates deuenerunt, nisi quia illis non fauebant virtutes paternæ? Hinc D. Ambrosius orat. de obitu Theodosij, huius Imperatoris filios extollens, ait: *Quis ergo dubitabit filijs Theodosij maximum præsidium fore apud Deum? sed Iosiæ, & Asæ parentes Asias, & Amos, ambo infideles; Theodosius verò plenus timoru Dei, plenus misericordiæ; speramus, quòd liberis suis apud Christum præsul assistat, si Dominus propitius sit rebus humanis.* En quomodò de paternis virtutibus magna Dei protectio filijs adnascitur. Cur ergo Christus grauissima vrgente necessitate, cùm vniuersus mundus turpissimis scateret vitiorum morbis, cùm omnis caro corrupta ad interitum vergeret, non venit, vt homines redimeret, ne omnes dolendo inuolucrentur diluuio? sanè: quia nondum Sodomitici sceleris germen pullulauerat. Licet posthac Sodoma equo & mulo insolentiùs viueret, fœda libidine corpora sua pollueus; non tamen tunc Dei Filius in mundum descendit: quia indomita adhuc Ægyptiorum malitia non erat, nedum impius Pharao venerat. Licet Ægyptus blasphemijs in verum Deum, & tyrannide in sanctum eius populum impiè grassaretur; Christus tamen tunc nó venit: quia rabies Iudæorum prophetas occidentiũ, nondùm erat derecta: nondùm Herodes in Iudæa, Tyberius in imperio, mali Pontifices in templo assurrexerant. Vt sic, quemadmodùm citatus Nyssenus concludit: *Cùm malitiæ vu se totam effudisset, multisq; luxurians modis creuisset in animu eorum, qui singuli scelere insignes extiterant, tunc Deus ignorantiæ tempora despiciens, in diebus vltimis aduenisset.* Non prius igitur Christus natus est; quàm homines ad summum malitiæ peruenissent; quàm Deus maximis peccatis offensus esset; quàm omnis prorsus homo cum brutis coæquatus. Bone Deus, quis tunc non putasset, fulmina potiùs è cælo, ignes, tonitrua, grandinem, lapides, Deum fuisse immissurum; sicut olim fecerat in Ægypto obminora peccata, omnia primogenita in medio noctis interficiens. Quis non putasset Deum tunc totum mundum destructurum, quem ita corruptum inuenit, & totum in maligno positum. Vt tamen summũ eius in nos amorem agnoscamus, non sic fecit, sed ex vtero egressus, totus amore ardens, secundùm carnem, clemens, benignus, & mansuetus in mundum venit, totam quasi iustitiam absorbens, & in misericordiam conuertens, ac pro pœna, quam homines promerucrant, in sortem Filiorum Dei eos vocans.

Ostendi itaque Deum non potuisse maius beneficium conferre hominibus, quàm in sua Incarnatione, dando illis potestatem filios Dei fieri, quod fecit tum in remunerationem assumptæ humanitatis; tum vt quidquid decorum in se habebat, id totum in homines transfunderet: tum vt homines per hoc à peccatis emundarentur. Idcircò grati, & memores tanti beneficij, Dei beneficentiam, quantis possumus, laudibus extollamus, abijcientes opera tenebrarum, vt vbi sine peccato reperti fuerimus, pro veris Dei filijs agnoscamur.

DIE RESVRRECTIONIS DOMINI.

Surrexit non est hic. *Marci 16.*

Deducitur, ex quibus capitibus Christi Corpori incorruptio, & gloriosa resurrectio debebatur.

MAlè affecta erga Christum impia Hæresis negare ausa est, Christum verè à mortuis surrexisse. Hinc Apelles Hæreticus affirmabat Christum surrexisse non in sua, ac vera carne, vt refert Philastrius: & ideò putabat Christum sine carne resurgentem in Cælum ascendisse, Auctore D. Augustino hæresi 23. Proinde contra hunc errorem pugnat hodiernum Euangelium, Christum resurrexisse affirmans, & locum, in quo positus erat, demonstrans: quoniam in loco solum corpus verum poni potest. Vt hinc palam fiat, Christum in vero corpore humano, eodemq; numero, quod mortuum

S. Ambr.

Nyssenus.

S. Augustin.

Error Apellis circa Christi resurrectionem.

tuum in cruce reliquit, resurrexisse; Anè Redemptor noster ex morte illustrior euasit, cum qua ad vltimam vsq; sanguinis guttam luctabatur, donec tandem horâ diei nonâ in cruce moreretur, & qui spiraculo vitæ vitam homini dederat, in cruce spirando, amissam hominum vitam restauraret. Putabat se iam mors vicisse, dùm vita mortua tumularetur, verùm absorpta est: *quia mortuos certè liberaturus erat Christi tumulus,* (*ait Basilius Seleucien. Orat. 13.*) *& mors futura mortu exitium, & passio passionum officina medica.* Nam confestim Christus descendit ad inferos, vt prædam inde opimam educeret. Ait Emissenus hom. 1. de Pascha. *Siluit splendor ille lugentium, & catenarum disrupta ceciderunt vincula damnatorum: attonitæ mentis obstupuêre tortores, omnis simul impia officina contremuit, cùm Christum repentè in suis sedibus vidit, aiens, illusus est prælator noster, nesciuit, quam hic stragem procuraret inferno.* Quid enim illustrius Christo ad gloriam accedere debuit, quàm mortem absorbere, & dæmonem in ipso inferni regno expugnare, ac detriumphare. Pergit idem Emissenus homil. 6. de Pasch. *Per conditionem quidem mortis traditus putabatur inferno, sed de inferis redijt tum sui triumpho, vt sic dixerim gladio percussoris armatus.* Considerabimus itaque, ex quibus capitibus tàm glorioſa resurrectio à mortuis Christo debebatur.

Licet glorioſa resurrectio multis titulis Christo debebatur, nimirùm & ratione diuinitatis corpori vnitæ, vt docet S. Athanasius Orat. 2. contra Arrianos, & Lib. de Incarnat. Verbi. vbi ait: *Corpus Christi resurrexisse per Verbum, quod ipso erat.* Et S. Leo serm. 1. de Resurrectione, vbi causam efficientem Christi resurrectionis assignat diuinitatẽ, ita loquens: *Vnde ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam triduì moram tàm mira celeritate breuiauit, vt dùm ad integrum secundum diem, pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Saluatoris, nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulchro: & tam velox incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi esset soporis similitudo, quam mortis: quoniam deitas, quæ ab vtraq; suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit.* Et ratione meriti: quia Christus vt homo meruit suam resurrectionem, quemadmodùm docet S. Thomas 3. p. qu. 53. ar. 4. ad secundum. Quod constat ex Scriptura Sacra Psal. 109. *De torrẽte in via bibet, propterea exaltabit caput.* hoc est, vt exponit Cassiodorus: *De transitoria passione,*

Isaiæ 5.

1. ad Corint. 15.

Euſebius.

S. Cyrill.

Emissenus.

Basilius Seleucien.

S. Leo.

Christo ratione diuinitatis, & ratione meriti debebatur resurrectio.

S. Thomas

Psal. 109.

Cassiodorus

passione, & turbulenta. In via, quâ itur ad aliam passionem. Et Psal. 140. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me.* Et Herb. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloriâ, & honore coronatum.* Hinc S. Athanasius ex eo, quòd Christus morte sua mortem vicerit, infert, debuisse illum resurgere, lib. de Incarn. Verbi : *Profligata enim* inquit *morte, quid reliquum erat, nisi vt in trophæum deuictæ mortis resurgeret.* Nihilominùs duo potissima capita reperio, ex quibus Christi corpori incorruptio, & glorioſa resurrectio debebatur.

Psal. 140. Hebr. 2.

S. Athan.

In primis, quia Christus conceptus, & natus est ex Virgine : ex hoc enim, quòd Maria illibata virginitate concepit, & pepererit Christum, nõ fuit Christus obnoxius originali culpæ, neq; debito illius contrahendæ, vt docet S. Gregor. lib. 17. Moral: cap. 27. *Ille* inquit, *solus veraciter Sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est.* Veritas hæc facilè deducitur ex illis Angeli verbis : *Ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Lucæ 2. vbi Angelus prædixit Christũ maximè ex hoc capite sanctum futurum, quia sanctè, & sine viro concipiendus erat. Nam etiam purum hominem, qui à Virgine sola, nullo viri semine interueniente conciperetur, non contracturum originalem culpam, cors est Theologorum sententia. Quoniã, vt natura humana dicatur infici quoad efficaciam ex peccato Adæ, hoc est, vt participet actu peccatum sibi intrinsecum, necessaria est actualis generatio, facta virtute seminis, mediatè, aut immediatè decisi ab Adam. Propterea, quòd peccatum Adæ solùm transfundatur ad eos, quorum esse fuit caput in esse morali ; solùm autem fuit caput in esse morali eorum, quorum fuit caput in esse naturali, & in esse naturali solùm fuit caput eorum, qui à naturali propagatione descendunt, quod est, generari virtute seminis ab ipso decisi, mediatè, aut immediate. Et hoc palam docet S. Anselmus lib. 6. de conceptu Virginali c. 20. *De peccato* inquit, *originali sufficienter ostensum est, quemodò ad hominem de Virgine conceptum, nulla ratione descendere à parentibus potuerit.* Comprobat Maldonatus in cap. 2. Lucæ, vbi sic habet : *Non vocat Christum hoc loco sanctum, propterea, quòd Deus esset, aut innocens, aut segregatus à peccatoribus, quanquam & ijs rationibus esset sanctissimus ; sed quòd sanctè, & sine viro conceptus sit, ita prorsùs, vt etiamsi Deus non fuisset, illo tamen conceptus modo, id est, sine viro, Sanctus, quia peccatum originale non habuisse dicetur.* Et licet purus infans à sola Virgine conceptus, ex modo talis conceptionis, solùm culpâ originali careret ; non autem ex vi præcisa talis formationis, insuper sanctitatem habiturus esset. Nihilominùs Christus Dominus, quia non solùm a Virgine concipiendus erat, verùm etiam superueniente Spiritu sancto, ex cuius virtute etiam erat sanctificandus, ideò ex modo talis conceptionis, non solùm immunitatem à peccato originali, sed etiam sanctitatem habere debuit. Ita S. Leo serm. 5. de natiuitate. *Solus itaq; ait, inter filios hominum, Dominus Iesus innocens natus est : quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* Factus ergo est homo nostri generis, vt nos diuinæ naturæ possimus esse consortes.

Christus quia ex Virgine natus, originali culpæ non fuit obnoxius.

S. Gregor.

Lucæ 2.

Homo purus ex sola Virgine sine viro conceptus non contraheret peccatũ originale.

S. Leo.

Cum igitur corruptionis humani corporis, vehiculum vt sic loquar, seu occasio, sit culpa originalis, vt patet ex illo Genesis 3. *In sudore vultus tui vescêris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es ; quia pulus es, & in puluerem reuerteris.* Quæ sententia licet fuerit lata à Deo contra Adamum ; tamen eius nomine comprehensi fuerunt eius posteri, qui ex congressu vtriusq; sexus concipiendi erant, qui sicut de facto originariam culpam in sua conceptione contrahunt, (exceptâ Virgine Deipara) ita corpus corruptioni obnoxium nanciscuntur. Manifestè sequitur, quoniam Christus ex hoc capite, quòd fuerit conceptus ex Maria Virgine, erat immunis à contractione, & debito peccati originalis, illum ex eodem capite corpus à corruptione liberum sortitum esse. Audite S. Bernardum eleganter id perstringentem, serm. 3. in Cant. Vbi sic habet : *Sed recole nunc mecum vocem Filij ad Patrem loquentis in Psalmo : Non dabis sanctum tuum videre corruptionem : haud dubium, quin de corpore dicat, quod in sepulchro iacebat exanime : hoc enim sanctum & Angelus, qui nuntiauit Virgini, locutus est dicens : Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Quo ergo pacto sanctum fœnum poterat videre corruptionem, quod de incorrupti vteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiam auidos Angelorum in se figere obtutus insatiabiliter oblectandos possit. Perdat sanè fœnum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit.* Ergo quia Christus ex eo, quòd matrem semper Virginem habuerit, neq; peccauit in Adam, neq; in eam sententiam de subiacendo corruptioni, contra ipsum Adamum, & eius posteros latam incidit, corpus ex hoc capite à corruptione præseruandum debuit habere,

Genes. 3.

S. Bernar.

bere, & sic illi resurrectio debita fuit. Atq; hinc facilè quisq; animaduertet, etiam respectu Virginis sanctissimæ, debitam fuisse Christo resurrectionem. Sicut enim ex eo, quia Christus propter charitatem, & obedientiam Dei, *se humiliauit vsquè ad mortem crucis*, infert S. Thomas 3. p. q. 53. ar. 1. in corpore, oportuisse, *quòd exaltaretur à Deo vsq; ad gloriosam resurrectionem.* Quoniam ad diuinam iustitiam spectat, eos exaltare, qui se propter Deum humiliant. Ita pariter quia Deipara propter charitatem, & obedientiam se in tantùm humiliauerat, vt parata esset Christum filium suum ignominiosæ morti crucis offerre, oportebat, vt exaltaretur à Deo in Christi resurrectione : iustum quippè erat exaltari Deiparam in redditâ Filio vitâ, in cuius opprobriosa morte, adeò se demiserat. Deinde, quia ad Diuinam prouidentiam spectabat, eam, quam Deus in Filij sui matrem elegerat, mundo hac dignitate insignitam manifestare. Nam Dei proprium est, sua opera complere ; vt autem compleret Deus in Virgine dignitatem maternitatis Dei, quam illi contulerat, debebat efficere, vt ab hominibus tanquàm mater Dei honoraretur, quod minimè fieri potuit, nisi pro tali cognita fuisset. Sed vt Beata Virgo tanquàm mater Dei mundo manifestaretur, necesse erat Christum à mortuis resurgere : quoniam Christus ex eo, quia resurrexit, pro Deo agnitus est, teste D. Thoma supra citato. *Per Christi* inquit *resurrectionem, confirmata est fides nostra circa diuinitatem eius :* quia vt dicitur 2. ad Corint. vltimo : *Etsi crucifixus ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Vnde & ipse Christus suam resurrectionem, tanquàm efficacissimum argumentum, ad suadendam suam diuinitatem Iudæis proposuerat, Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ex eo autem Christi resurrectio fuit signum diuinitatis eius : quia seipsum suscitauit, vt prædixerat : *Et in tribus diebus excitabo illud,* quod soli Deo proprium est.

S. Thomas.

Beata Virgo per resurrectionẽ Christi inõtuit, quod vera Dei mater esset.

2. ad Corint. vltima.

Ioan. 2.

Quod si forsan dixeris, Christum non seipsum suscitasse. Quicunq; enim suscitatur ab alio, non est suæ resurrectionis causa, neq; seipsum suscitat. Sed Christus suscitatus est ab alio, iuxta illud Actor. 2. *Quem Deus suscitauit soluto doloribus inferni.* Et ad Rom 8. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra.* Ergo Christus non seipsum suscitauit. Præterea, quia Christus sua passione meruit suam resurrectionem, vt docet S. Augustinus tract 104. in Ioan. *Humilitas* inquit *passionu meritum est gloriæ resurrectionis* : ideoq; petijt à Patre resuscitari Psal. 30. loquens : *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me.* & sic non seipsum suscitauit. Respondeo enim, post mortem non fuisse separatam diuinitatem, tàm ab anima Christi ; quàm ab eius corpore. Ideò potuit tàm anima Christi mortui, quàm eius corpus considerari dupliciter : *primò*, ratione diuinitatis : *secundò*, ratione ipsius naturæ creatæ. Vnde secundùm virtutem vnitæ diuinitatis, & corpus resumpsit animam, quam deposuerat ; & anima resumpsit corpus, quod dimiserat : & sic Christus propria virtute resurrexit. Si autem consideremus corpus, & animam Christi mortui secundùm virtutem naturæ creatæ, tunc non potuerunt sibi inuicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo. Verùm cùm eadem sit diuina virtus, & operatio Patris, atq; Filij : ideo hæc duo sese consequuntur, quòd Christus sit suscitatus diuina virtute Patris, & sui ipsius. Quantum verò attinet ad meritum, Christus meruit suam resurrectionem, in quantum homo ; non autem in quantum Deus, quod nihil obstabat, quominùs seipsum virtute diuina suscitaret. Ergo sicut Christus per hoc innotuit mundo esse verus Deus, quia resurrexit ; etiam Beata Virgo per eius resurrectionẽ mundo innotescere debuit, quòd vera Dei mater esset.

Psal. 30.

Christus propria virtute resurrexit à mortuis.

Actor. 2.

Et in huius veritatis signum, Christus à mortuis rediuiuus, priùs se Virgini matri, quàm cuipiam alteri videndum exhibuit, vt omnes Doctores vnanimiter docent, & perpetuus Ecclesiæ sensus. Id expressè affirmat S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus aliquantulum à principio his verbis : *Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit.* Idem docet S. Bonauentura lib. 1. Pharetræ cap. 5. aiens : *Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit.* Nicephorus lib. 1. histor. Eccles: cap. 32. vbi dicit : *Primùm quidem à matre, & reliquis conspectus est mulieribus.* Quod euidentissimis rationibus deducitur. Si enim Maria Magdalena, priùs quàm aliæ mulieres, promeruit videre rediuiuum Christum, eò, quòd magis eundem ; quàm aliæ amauerit ; quemadmodùm canit Ecclesia in hymno.

S. Ambr.

S. Bonau.

Nicephorus.

Prima meretur gaudia,
Quæ plus ardebat cæteris.

Igitur Virgo Deipara, quæ incomparabiliter magis, quàm Maria Magdalena, & quispi-

Christus post resurrectionem primò Mariæ apparuit.

Christus suam resurrectionem meruit vt homo, non vt Deus.

& quispiam alius, amabat Christum, me- A ruit priùs quocunq; alio Christum resurgentem videre. Præsertim cùm id habeat rerum ordo diuinitùs institutus, vt quæ libet causa operetur in id, quod est propinquius, sicut docet S. Thomas 3. p. q. 56. ar. 1. in corpore. Sed caro Christi per resurrectionem glorificata propinquior erat carni Mariæ, cùm de purissimo eius sanguine assumpta esset, vt dicit S. Augustinus serm. de Assumptione: Caro inquit *Iesu, est caro Mariæ: quamuis gloriâ resurrectionis magnificata fuerit, eadem tamen mansit, quæ de Virgine assumpta est.* Ergo caro Christi per resurrectionem glorificata, priùs in Virginem Matrem; quàm in quoscunq; alios, gloriæ suæ radios eiaculari debuit, eiq; apparere. Præterea, sanctissima Virgo prima fuit inter alias mulieres, quæ iuxta crucem tempore passionis stabant. Antesignana, teste Euangelista Ioann. 19. *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene.* Igitur par erat, vt etiam prima omnium illarum fructus crucis, id est, Christi rediuiui gloriam degustaret. Tandem, quia intueri corpus Christi rediuiui glorioſum, maximũ erat incitamentum ad amorem in Virginem erga Deum augendum, nouumq; grati C animi affectum excitandum. Ergo quoniam Christi resurrectio, erat certissimũ vniuersalis hominum resurrectionis argumentum, iuxta illud Apostoli, 1. ad Corint. 15. *Nunc autem Christus resurrexit, primitiæ dormientium, debuit Christus corpus suum glorioſum,* quàm primum fieri poterat, Deiparæ conspiciendum exhibere, vt ex hoc etiam capite, ad ardentiorem in Deum amorem illa accenderetur, & prima post Christum esset, quæ pro tàm singulari beneficio, gratias Deo ageret. Et hoc voluit exprimere Simon de Cassia, lib. 14. de Resurrectione inquiens: *Si Virgo prima fuit, quæ vidit, & adorauit Christum* D *natum, conueniens erat, vt prima videret eum renatum, & resuscitatum.*

Neq; sanè moueat quempiam, quòd sancti Euangelistæ suis scriptis, nullibi expresè consignârint, Christum rediuiuum primò matri Virgini apparuisse. Nam ad confirmandam Christi resurrectionem, inefficax videbatur esse matris testimonium: maternus quippè amor, fictionis suspicionem hominum animis in his ingerere solet. Hanc rationem affert Metafrastes orat. de vita, & Dormitione Deiparæ: *Cauerunt* inquit *Euangelistæ maternum Christi afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter coniunctionem fides ei minus haberetur.* Proinde Euangelistæ solùm retulerunt illas apparitiones, quæ cedere debebant in testimonium veræ resurrectionis. Et profectò, cùm iam S. Ioannes descripsisset Virginem primam stantem iuxta crucem, dùm eius filius pateretur, atq; adeò præcipuam ac proximiorem Christi passionum sociam; superfluum videbatur, cur adhuc ab Euangelistis de apparitione Filij rediuiui Virgini factâ, aliquid exprimeretur, cùm hoc facilè quilibet ex verbis S. Ioannis colligere posset. Præsertim cùm dicat Apostolus 2. Corint. 1. *Scientes, quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.* Christus autem alijs mulieribus, vicem suæ passionis ad crucem dolentibus, dicitur apparuisse, & quomodò matri magis tunc præ omnibus dolenti, hanc apparitionem priùs negare debuit. Cùm non liceat suspicari, priuilegiũ quodcunq; alijs concessum à Christo, Mariæ eminentiori modo fuisse collatum. Tandem, quia profunda eius humilitas obstabat, ne id ab Euangelistis publicaretur: ita enim humilitas in Virgine eminebat, vt libenter passa sit, ne apparatio, quâ eam Filius rediuiuus à mortuis dignatus edrat, expresse ab Euangelistis recenseretur. Sic ipsamet fatetur in reuelationibus S. Brigittæ lib 6. cap. 94. Vbi postquàm Beata Virgo asseruit, Christum rediuiuum sibi priùs; quàm alijs apparuisse, seq; palpabilem exhibuisse, subiunxit: *Hoc non est scriptum ob humilitatem meam.* Vnde quando dicit S. Marcus, Christum apparuisse primò Mariæ Magdalenæ, intelligendum est, inter eos, qui futuri erant testes resurrectionis, de quibus Euangelistæ scripserunt: vel certè inter eos, quibus Christus apparuit, ad eorum fidem confirmandam, in quorum numero Beata Virgo non comprehendebatur. Quia nec futura erat testis resurrectionis, ne ob filij amorem aliquid fingere existimaretur, neq; de fide resurrectionis aliquando fuit incerta. Et ideò non propter hanc causam ei Christus primò apparuit, sed vt debitam amoris, & honoris significationem præberet. Ex quo fit, vt non solùm censeamus, Virgini concessum esse hoc beneficium propter commodum eius; sed etiam quia ipsum Christum hoc maximè decebat, tum, quia vt filius, debuit singulariter honorare matrem. Tum etiam, quia cùm ab ipsa maximè diligeretur, debuit etiam singularia amoris signa rependere.

In hac

S. Thomas.

S. Augustin.

Ioan. 19.

1. Cor. 15.

Simon de Cassia.

Euangelistæ cur nullam mentionem de apparitione Christi primò matri suæ facta fecerint.

Lib. Reuel. 6. cap. 94.

2. Cor. 1.

Beata Virgo claritatem corporis Christi glorioſi post resurrectionem vidit.

Ludouicus de Ponte.

Iudic. 4.

Beata Virgo claritatem corporis Christi resurgentis naturaliter vidit.

Lux naturæ, & gloriæ ſolùm accidentaliter differunt.

In hac autem apparitione, quam Chri- A stus rediuiuus Virgini matri suæ primò ante omnes alios exhibuit, hoc singulare priuilegium accepit Virgo, quia corpus Christi glorioſum cum toto eius fulgore spectauit suis oculis. Ita refert Ludouicus de Ponte lib. 5. in Cantic. exhort. 30. *Auduit* ait, *Filius precationem matris, & subitò die tertia apparuit illi diluculo, ostenditq; ei faciem glorioſissimam, vultumq; splendidissimum, totum corpus pulcherrimum, & quinq; Petræ foramina Sapphiris ſpecioſiora, & fulgentiora carbunculis.* Et certè si Samson mel inuentum in ore leonis, quem interfecerat, parentibus præbuit degustandum. B Iudic. 14. Quomodò Christus dilectissimæ matris suæ oculis glorioſum sui corporis splendorem, quem sibi tot præclaris virtutibus promeruerat, conspiciendum denegare potuit: quandoquidem ideò ei apparuerat, vt iuxta mensuram dolorum, quos perpessa erat, consolationibus repleretur. Ergo conueniens erat, vt quemadmodùm illa videndo corpus Christi excoriatum, laniatum, verberibus, vulneribusq; affectum, summo dolore excruciata erat; ita idem corpus glorioſo vndequaque fulgore coruscans intuita, speciali solatio afficeretur. Et quidem Beata Virgo solis naturæ vi- C ribus, sine vlla superiore virtute, aut auxilio interueniente, claritatem corporis Christi rediuiui perspexit. Rario est: quia omnis lux, seu claritas, est naturâ suâ visibilis, estq; obiectum potentiæ visiuæ. Vnde cùm lux corporis glorioſi non sit improportionata humano oculo non glorificato, sicut docet S. Thomas in 4. distin. 44. q. 2. ar. 4. potentia visiua Deiparæ potuit tendere in lucem corporis Christi glorioſi, ac rediuiui. Nam licet lux corporis glorioſi sit lux gloriæ; est tamen simul lux corporalis, proinde continetur sub obiecto naturali visibili à potentia naturali. Vnde lux D naturæ, & gloriæ, non differunt, nisi accidentaliter, seu causaliter, quatenùs profluunt a diuersis principijs; non verò essentialiter, cùm habeant eundem effectum formalem, qui est, facere lucidum. Quemadmodùm calor productus ab igne, & à sole, sunt inter se eiusdem speciei essentialiter, quatenùs habent eundem effectum formalem, qui est facere calidum, etiamsi habeant diuersa principia.

Hinc tamen non sequitur, etiam ab ijs, quibus Christus rediuiuus apparuit, visam fuisse eandem claritatem corpo-

ris Christi glorioſi. Nam contrarium ex sacris literis constat: Maria enim Magdalena obuia Christo, hortulanum esse putabat, dicens: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Ioan. 20. Ioan. 20. v. 15. si autem in Christo vidisset rutilantem illam corporis glorioſi lucem, minimè hortulanum existimasset, sed Christum rediuiuum fuisse, statim agnouisset. Apparuit postea Christus duobus discipulis in Emmaus euntibus, in figura peregrini comes illis factus, Lucæ 24. neque tamen istam corporis sui claritatem illis videndam præbuit, cùm Euangelistæ varias referentes circumstantias, quæ tunc interuenerunt, nullam de corporis claritate mentionem faciãt. Apparuit iterum post dies octo discipulis in conclaui sedentibus clausis ianuis, & Thomam digitum in latus inferre iussit, ne incredulus permaneret: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis*; & tamen claritatem illam glorioſi corporis sui non ostendit. Quid enim necesse fuisset manum, & digitos, in latus eius, ac reliquas plagas Thomam immittere, si Christus gloriæ splendoribus cinctus apparuisset? Quocirca, si Christus illam soli matri suæ, & nemini alteri videndam in terris, antequàm in cælum ascenderet, exhibuit, fuit hoc singulare priuilegium ipsi Virgini, tanquàm id supra omnes alios singulariter promerenti, concessum.

Ibidem.

Debebatur adhuc Christo incorru- Christo ex vi vnionis hypostaticæ debebatur resurrectio.
ptio corporis, & glorioſa resurrectio, ex altero capite, nimirùm ratione vnionis hypostaticæ: ex hoc enim fonte Christi corpori debita fuit vita perpetua, & glorioſa. Nam quòd corpus illud fuit aliquando mortale, id factum est ex dispensatione propter nostram salutem; consummata autem nostra salute, debebatur illi corpori vita glorioſa per se, ac propter se, etiamsi nobis non esset vtilis, ac necessaria eius resurrectio. Ita docet S. Athanasius lib. de Incar. Verbi, asserens resurrexisse Christum: *Vt* inquit *ostenderet, non ex imbecillitate mortuum esse, sed ad extinguendam mortem, quid reliquum erat, nisi vt in trophæum deuictæ mortis excitaretur.* Quocirca, si hæc intrinseca causa resurrectionis perpendatur, excitandus fuisset Christus statim, vbi redemptionem nostram per mortem consummauit. Et ideò docent sancti Patres, dilationem resurrectionis omninò fuisse propter nos, vt de veritate mortis euidentius cõstaret;

S. Athanasius.

staret; hac verò causâ, & necessitate finita, statim ab intrinseco redijsset ad vitam, multò magis, quàm reducatur aqua ad pristinam frigiditatem remoto impedimento. Vnde dicit S. Athanasius epist: ad Epictetum: *Corpus mortalis naturæ per Verbum, quod in ipso erat, supra naturam resurrexit.* Quemadmodùm igitur aqua ablatis impedimentis, naturâ suâ sit frigida, primò quidem propter seipsam, quia hæc est naturalis dispositio, quàm eius forma requirit: deinde, vt res alias frigefacere possit; ita corpus Christi ablatâ mortis necessitate, quasi ab intrinseco ad vitam reuocatum est, & gloriam sibi connaturalem accepit. Primò quidem propter se, quia hic status erat illi debitus ratione vnionis, & secundùm originem Diuinæ prædestinationis, per se primò intentus, deinde verò propter nostram vtilitatem. Hinc eleganter Petrus Chrysologus serm. 78. & 81. dicit, Christum resurrexisse propter creaturarum omnium, seu totius vniuersi exaltationem, ad nouam pacem, & tranquillitatem: *Orbem* inquit, *totum pristinum reformat in corpus, vt quem sibi taliter viderat esse compassum, suam secum suscitaret ad gloriam.*

Idem.

Christus primario propter se, secundariò propter nos resurrexit.

Chrysolog.

Disceptatio tamen est inter Doctores, vtrum Angeli aliquod ministerium exhibuerint ad præparandam materiam resurrectioni Christi, quoniam à mulieribus in sepulchro deprehensi sunt. Et S. Augustinus 3. de Trinitate cap. 4. docet, in communi resurrectione Angelos aliquid esse ministraturos, colligendo cineres dispersos, & congregando illos in locum resurrectioni accommodatum. Ex hac autem generali doctrina, videtur idem esse dicendum de Christi resurrectione. In primis, quia est eadem necessitas: nam etiam aliquæ partes materiæ in corpore reassumendæ Christi, erant dispersæ, proinde necesse erat, vt in sepulchro congregarentur, nimirùm sanguis effusus, capilli capitis, aut barbæ, & si forsan aliquæ carnis, atque cutis particulæ, flagellis, vel alijs cruciatibus diuulsæ erant, & si quæ aliæ partes materiæ ante separatæ, aut resolutæ à corpore Christi, iterum erant resumendæ. Præterea, quia Deus administrat inferiora per media, iuxta D. Augustinum, loco cito; vnde quod commodè fieri potest per Angelos ministros, non oportet fieri à Deo immediatè, & per seipsum. Hæc autem actio, cùm per solum morum localem fiat, commodè fieri potuit per Angelos. Insuper, nostra resurrectio est ad imitationem resurrectionis Christi, proinde si in nostra resurrectione interueniet ministerium Angelorum, etiam verisimile est hoc ministerium Angelorum fuisse exhibitum in resurrectione Christi, cùm nihil deroget perfectioni, & excellentiæ illius resurrectionis. Si enim hominum ministerio factum est, vt corpus Christi deponeretur de cruce, & collocaretur in sepulchro, cur non fuit etiam decentissimum, vt sanguis, capilli, & reliqua, ministerio Angelorum in eodem sepulchro reponerentur? nam si homines potuissent, omnia illa colligerent, & custodirent: ergo quod homines aut facere non potuerunt, aut non cogitârunt, conuenienter per Angelos effectum credi debet, Tandem, piè satis censet Caietanus cum alijs, in partu Virginis, ministerio Angelorum puerum fuisse susceptum, & in manibus Virginis repositum. Imò etiam addit Caietanus, natum infantem ab Angelis mundatum fuisse, & secundinas eorum ministerio fuisse separatas, alioq; traductas: ergo potiori iure dici potest, in Christi resurrectione hoc ministerium Angelos exhibuisse.

Angeli in communi resurrectione colligét cineres dispersos, & congregabunt in vnũ locum.

S. Augustinus.

Caietanus.

Circa natiuitatẽ Christi Angeli ministrabant.

Nihilominùs concors est omnium sententia, in mysterio resurrectionis Christi, Angelos nullam operam, nullamque efficaciam adhibuisse, sed totum negotium resurrectionis peractum esse, per efficientiam ipsius Christi, præsertim mediante anima. Patet hæc veritas ex eo, quia iuxta sanctos Patres Christus propria virtute operatus est suam resurrectionem: ergo non egebat ministerio Angelorum. Et hoc videtur sentire Diuus Thomas in 4. dist: 8 q. 2. ar. 3. vbi agens de Christi conceptione, dicit: *Non fuisse conueniens, vt illi creatura aliqua còoperaretur, propter dignitatem Christi seruandam.* Idem docet Alexan. Alensis 4. p. q. 13. membro 1. ar. 2. in solutionibus argumentorum. vbi loquens de hac ministeriali cooperatione, quærit, an potuerit virtus creata cooperari hoc modo in conceptione Christi; & respondet potuisse quidem, sed minus fuisse conueniens. *Sicut* inquit, *virtus Angelica cooperabitur resurrectioni corporum in generali resurrectione; non tamen decuit propter nimiam sublimitatem carnis, quia illa caro vnienda fuit diuinitati. Vnde quod non sit sibi cooperata virtus creata, magis congruitatis fuit; quàm necessitatis.* Eadem autem est congruitas in resurrectione: quia eadem est sublimitas illius carnis, quæ non iam vnienda, sed vnita erat

Secùs in resurrectione.

S. Thomas.

Alexan. Alens.

erat diuinitati. Præterea, quia vbi est sufficiens, decens, ac proportionatum principium, proximum alicuius actionis, ibi superfluum esset, adhibere extrinsecum ministerium Angelorum. Sed in Christi resurrectione ita se res habuit: nam anima Christi Domini erat sufficiens principium, sicut ad disponendum corpus; ita etiam ad colligendas partes, quæ dispersæ erant, & addendum, si quid materiæ fortassè deerat. Quoniam virtus instrumentalis illius animæ, istas omnes actiones, ac multò plures complectebatur, eratq; illa anima maximè decens, ac proportionatum principium huiusmodi actionis. Tum, quia habebat curam illius corporis, tanquàm proprij. Tum etiam, quia erat velut diuinus motor; quemadmodùm corpus illud erat diuinum quoddam mobile propter vnionem ad Verbum. Tandem, quia sanguis, capilli, & si quid aliud colligendum fuit ad Christi resurrectionem, id totum debuit collocari intra sepulchrum, & coniungi corpori, quo ad fieri potuit, Sed hoc fieri non potuit virtute Angelica, nisi aut remouendo lapidem ab ostio sepulchri, aut aliqua ex parte illud diuidendo, quod neutrum asserendum est: nam vsq; ad resurrectionem Christi omninò clausum permansit sepulchrum. Non potuerunt ergo illa omnia intra sepulchrum reponi, nisi transeundo ab extremo ad extremum sine medio, vel penetrando corpora intermedia; neutrum autem horum fieri potuit naturali virtute Angelorum: ergo circa resurrectionem Christi, Angeli nihil penitùs operati sunt.

Quid per quartam & quintã Sabbathi intelligitur.

S. Hieron.

Ipse igitur Christus propria virtute surrexit die tertia, id est, die Dominico: & ideò dies, in qua Christus resurrexit, vocatur ab Euangelista, *prima Sabbathi*, Matth. vltimo. Vbi nomine *Sabbathi* potest intelli vel tota hebdomada, ita, vt idem sit *prima Sabbathi*, quod *prima die hebdomadæ*, quæ est Dominica. Nam *dies sabbathi* erat septimus hebdomadæ, in quo Deus post creationem mundi requieuit. Vel certè intelligitur propria dies Sabbathi, & sic *prima Sabbathi*, significat primam diem post sabbathũ. Hebræi enim à die sabbathi tanquàm à solenniori, cæteros dies hebdomadæ appellabant, nimirùm *prima Sabbathi, secunda Sabbathi.* Hinc D. Augustinus, quia in titulo Psalmi 23. dicitur: *in prima Sabbathi*, exponit hoc de resurrectione Domini: *Quæ* inquit, *prima Sabbathi facta est, qui iam dies Dominicus dicitur.* In titulo autem Psalmi 8. vbi dicitur: *in quinta Sabbathi*, & in titulo Psal. 93. vbi dicitur: *in quarta Sabbathi*, exponit de feria quinta, & feria quarta hebdomadæ. Similiter sanctus Hieronymus, per *primam Sabbathi*, intelligit diem Dominicum: ita enim in Psalmo 47. loquitur: *Prima* inquit *Sabbathi fecit lucem, prima Sabbathi resurrexit lux Christus.* Et non operosè id deducitur ex Marci capite vltimo, vbi dicit Euangelista: *Et cùm transisset Sabbathum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Perspicuè ostendens, die proximè sequenti Sabbathum, Christum non esse inuentum in sepulchro, eò, quòd iam surrexisset; post sabbathum autem dies proxima est Dominica. Deducitur & ex Euangelio Lucæ, qui in fine capite 23. de mulieribus concludit: *Et Sabbatho quidem siluerunt.* Postea capite 24. inquit: *Vna autem sabbathi valde diluculo, &c.* Quasi clariùs diceret: finito sabbatho, *vna die*, id est, *prima die post illud* Vnde etiam in Genesi more Hebræorum, vna dies, ponitur pro prima, Genes: 1. *Factum est vespere, & mane dies vna*, hoc est, primus.

Dies resurrectionis cur dicitur prima Sabbathi.

S. Augustin.

Marci vlt.

Lucæ 23. & 24.

Genes. 1.

Quomodò intelligendum, quod Christo die tertia resurrexit.

Quod si quispiam dixerit, si Christus resurrexit die Dominica, ergo inter mortem, & resurrectionem Christi non intercesserunt tres dies. Tunc sciendum est, quando scriptura dicit, Christum resurrexisse die tertia, hoc intelligi debere de die tertia inchoatâ; non autem finitâ: quia cùm Christus mortuus fuerit feria sexta iam exeunte, si ante resurrectionem fuissent tres dies integri transigendi, non potuisset die Dominica resurgere. Vnde, quando in alijs locis dicitur resurrexisse post tres dies, intelligendum est de diebus inchoatis. Quemadmodùm intelligitur illud Lucæ 2. *Postquàm consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer*, hoc est, cùm dies octauus aduenisset. Et iterùm in eodem capite: *Post triduum inuenerunt eum*, hoc est, tertio die. Ita ergo in præsenti, illis tribus diebus, computandi sunt duo extremi, vnus mortis, & alter resurrectionis. Quemadmodùm etiam, quando dicit Euangelista Lucæ 9. aiens de tempore tranfigurationis: *Post dies octo.* Alij Euangelistæ habent, *post dies sex*, vt Matthæi 17. & Marci 9. Tunc S. Lucas computauit dies extremos, quos alij omiserunt, quos necesse est sumi inchoatos, quia ante exactum octauum diem, necesse fuit tranfigurationem fieri: & sic ex vno scripturæ testimonio, aliud exponitur.

Lucæ 2.

Matth. 17. Marci 9.

Difficul-

Quot horæ effluxerunt à morte ad resurrectionem Christi.

Difficultas solùm est, quotnam horæ fuerint transactæ à morte Christi, vsque ad resurrectionem. Verùm ex communi sensu, & traditione Ecclesiæ constat, quadraginta ferè horas intercessisse, quibus anima eius apud inferos morabatur; corpus verò ferè triginta sex horis iacuit in sepulchro, vt refert S. Augustinus in Dialogo ad Orosium 65. quæstionum. q. 26. Nam Christus mortuus est horâ 9. diei feriæ sextæ; resurrexit autem in aurora diei Dominicæ, id est, aut duodecimâ horâ noctis præcedentis, aut propè illam. Ergo à morte vsq; ad resurrectionem intercesserunt quadraginta horæ, nimirùm quatuor horæ diei Parasceues, duodecim primæ noctis sequentis, iterum aliæ duodecim diei Sabbathi, & aliæ duodecim noctis sabbathi, quæ omnes efficiunt quadraginta horas. Ex quibus quatuor primæ, partim in cruce post mortem elapsæ, partim in funere procurando consumptæ sunt; reliquis verò triginta sex iacuit in sepulchro secundùm corpus; secundùm animam autem, quæ statim post separationem à corpore descendit ad inferos, indeque non exijt, donec ascendit, vt suo corpori vniretur: & sic totis quadraginta horis in corde terræ manſit.

De fide itaq; est, Christum Dominum descendisse ad inferos secundùm animâ, hoc est ad locum aliquem certum subterraneum. Deducitur hoc manifestè ex Actor. 2. Scriptura Sacra: in primis actor. 2. vbi D. Petrus ad probandam Christi resurrectionem, adducit illa verba Psal. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et paulò inferiùs subdit: *Prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem.* Si ergo anima Christi post separationem à corpore non fuit derelicta in inferno, sed inde reuocata, vt Christus resurgeret, manifestè sequitur, quòd antea illuc descenderit. Sic citatum locum exponunt S. Basilius, Hieronymus, Theodoretus, & alij interpretes super Psal. 15. D. Augustinus epist. 57 & 99. S. Ambr. serm. 74. Præterea, Matth 12. *Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus* Qui locus intelligitur de anima ad inferos descendente. Quocirca Tertull. lib. de anima cap. 55. ex hoc loco probat, inferos esse in profundo terræ, eleganter in hunc modum discurrens: *Nobis inferi non nuda cauernositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra aperto, & intra ipsam cauato, & infertoribus adhuc abijssis superstructo.* Paulòq; inferiùs subiungit: *Formâ humanæ mortis apud inferos functus, hic quoq; legi satis fecit, neque ante ascendit in sublimiora cælorum; quàm descendit ad inferiora terrarum, vt illic Patriarchas & Prophetas sui compotes faceret.* Insuper ad Rom. 10. dicit Apostolus: *Quis ascendit in cælum?* id est Christum deducere. *Aut quis descendit in abyssum?* id est, Christum à mortuis reuocare. Vbi nomine *abyssi* significatur infernus. Descendit autem Christus ad inferos, vt animabus sanctis, quæ in sinu Abrahæ erant, essentialem beatitudinem, cæteraq; animæ dona, quæ illam consequuntur, conferret, cum certùm sit, illas animas ante Christi mortem non vidisse Deum: quoniam solus Christus per mortem suam aperuit hominibus ianuam regni, qua aperta animæ sanctæ cæperunt videre Deum. Instat Caluinus cum Brentio. Si Christus in triduo mortis secundùm animam descendit ad inferos: ergo anima Christi pœnam inferni sustinuit. Quod probant ex Scriptura Sacra, in primis Actor. 2. *Quem Deus suscitauit à mortuis soluto doloribus inferni* Quibus verbis dicunt significari, in resurrectione solutam fuisse Christi animam à doloribus inferni. Item Psalmo 57. in persona Christi dicitur: *Doleres inferni circumdederunt me.* Et Psal. 87. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis.* Probāt insuper ratione: quia non fuit repugnantia, quominùs anima Christi separata à corpore, licet videret Deum, pateretur. Nam quemadmodùm passa est per corpus; ita etiam potuit pati immediatè: quoniam tristitia & dolor vtroq; modo redundant in eandem voluntatem; non fuit ergo repugnantia, neq; indecentia, vt anima Christi pœnas inferni per triduum sustineret, cùm id non esset contra aliquam virtutem. imò potuit esse opus magnæ charitatis, & accommodatum ad exaggerandam malitiam peccati.

S. Basilius, S. Hieron. S. August. S. Ambr. Matth. 12.

Tertullian.

Roman. 10.

Christus ad quid descendit ad inferos.

Pſal. 57. Pſal. 87.

Damnati afflictiones internas cur patiuntur.

Sed temeraria satis obiectio, & ex malo fundamento procedens: anima enim Christi neq; in corpore, neq; à corpore separata, passa est vllos cruciatus internos & afflictiones, quas damnati patiuntur, ex eo, quòd apprehendant Deum sibi iratum, & quòd de sua salute totaliter desperent, quod apud omnes Catholicos

licos Authores de fide habetur, ita vt contrarium asserere, hæreticum, atque blasphemum sit. Et manifestè hæc veritas ex eo constat, quia Christus in passione non fuit incertus de sua salute, neq; formidauit, quin Pater se, & suam humanitatem diligeret. Quod sufficienter declarant illa verba, quæ Christus dixit Matth. 27. Caiphæ: *A modo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli.* Et illa, quæ latroni in Lucæ 23. cruce dixit: *Hodiè mecum eris in paradiso.* S. Hilarius. Quæ vtraq; verba ponderans S. Hilarius lib. 10. de Trinit. quasi nouos Hæreticos impugnans dicit: *Anne tibi metuere infernum credendus est, dicens latroni hodiè mecum eris in paradiso? Dominus communionem ei paradisi mox pollicetur, tu Christum sub pœnali terrore constituis.* Idipsum comprobant illa verba, quæ Christus dixit mulieribus, Lucæ 23. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quasi diceret, se nonnisi temporalem pœnam pati; grauiorem autem peccatoribus reseruatam esse.

Quòd etiam anima Christi separata à corpore non sit passa vllam pœnam sensus, seu ignis inferni, aut purgatorij, deducitur facilè ex illis Christi verbis Lucæ 24. Lucæ 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum, nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Vbi euidenter loquitur Christus de passione crucis, vbi gloriam, & triumphum consecutus est. Similiter Ioan. 19. quando Christus in cruce dixit: *Consummatum est*, manifestè indicauit & passiones suas, & nostram redemptionem in Lucæ 18. morte sua, fuisse consummatas, iuxta illud Lucæ 18. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ dicta sunt à Prophetis de filio hominis.* Omnes autem Prophetæ prædixerunt passiones eius, vsque ad mortem corporis; non verò post illam duraturas fuisse. Et hoc egregiè declarat S. Paulus, ad Philipp. 2. dicens: *Exinaniuit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Palam ostendens, obedientiam Christi de redimendis hominibus, consummatam esse in morte eius, quæ fuit summa exinanitio, post quam non est secuta vlla maior pœna; sed potiùs gloria, & triumphus. Vnde subdit Apostolus. *Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.*

Anima Christi ad locum damnatorū non descendit.

Præterea, quia isti Hæretici supponunt, animam Christi descendisse ad inferos, etiam in gehennam vsq; ad locum damnatorum, quod falsum esse docet

Ioan. 19.

Ad Phip. 2.

Anima Christi descendit ad sinum Abrahæ.

Christę nemine ex damnatis, neq; ex pueris in solo originali decedentibus eduxit secum.

solo originali decedentes: quia licet hi A in modo pœnæ ab aliis differant; tamen in æternitate pœnæ damni, eadem est de illis ac de cæteris ratio.

Hinc facilis est responsio ad instantiam Hæreticorum. Nam in primis locus ille ex Scriptura Sacra Actor. 2. adductus: *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*, dupliciter exponitur à sanctis Patribus. *Primò*, vt hæc verba referantur ad ipsum Christum, & hoc modo soluit dolores inferni, non auferendo quos passus est; sed præueniendo, ne illos pateretur. S. Augustin. sic docet S. Augustinus epist. 99. vbi dicit: *Facilè est intelligere, sic eos solutos, B quemadmodùm solui possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt.* Secundò, vt referantur ad alios, & sic soluit dolores ab animabus sanctis, in virtute suæ passionis exclusionem à vita gloriæ ab eis remouens. Nam per hoc sancti Patres detinebantur in inferno, quòd eis ad vitam gloriæ, propter peccatum primi parentis, aditus non pateret. Atq; in hoc sensu Christus descendens ad inferos, dici- Zachar. 9. tur sanctos Patres ab inferis liberasse. Zachariæ 9. *Tu verò in sanguine testamenti tui, eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* S. Chrysost. autem Chrysost. hom. 6. in Acta, citatum Apostoli locum ita legit: *solutis doloribus mortis.* Quæ lectio facilem habet explicationem, nimirum Christum resurrexisse solutis doloribus, quos in morte passus est: vel resurrexisse soluta morte, quam tot doloribus sustinuerat. Vel denique, quòd sicut morte sua, & resurrectione mortem interemit, ita & dolores, qui mortem comitari solent, quodammodò soluit, dando nobis spem vitæ immortalis, & impassibilis.

Psal. 17. Similiter locus ille ex Psal. 17. adductus: *Dolores inferni circumdederunt me*, tali modo exponitur, *per dolores inferni*, non intelligendo eos, qui sunt in inferno, sed dolores mortiferos. Ita exponunt S. Ba- D silius, & Theodorethus: quia enim per mortem omnes homines descendebant in infernum, ideò mors quasi quidam transitus ad infernum existimabatur, atque hac de causa, grauissimi dolores, qui mortem possint inferre, *dolores inferni* dicuntur S. autem Hieronymus, dolores inferni, ita exponit: *Inuidiæ detrahentium, quæ mortem infernalem operantur.* Quod adhuc clariùs explicat D. Augustinus, his verbis: *Dolores inuidiæ, qui perducunt ad infernum peccati, circumdederunt me.* Significans, non esse sermonem de doloribus, quos Christus patiebatur, sed quos ex inuidia patiebantur, qui eum persequebantur, ita vt significetur ira, & rabies, quæ Iudæos in Christum agitabant. Tandem ille locus ex Psal. 87. *Posuerunt me in lacu inferiori*, indicat acerba tormenta, quibus Iudæi Christum affecerunt, vt eum morti traderent. Proinde in his omnibus, & alijs huiusmodi locis, non est sermo de doloribus, quos damnati in inferno patiuntur.

Psal. 87.

Vnde concors est Theologorum sententia, animã Christi Domini ab instanti, in quo fuit à corpore separata, fuisse omnino impassibilem. Quod sic deducitur, anima rationalis à corpore separata, solùm potest ex natura rei, à spiritibus naturæ superioris per vim alicubi detineri. At verò anima Christi à nullo spiritu potuit hanc vim pati, cùm rationem vnionis haberet vim, & efficaciam supra omnes spiritus. Vnde etiam in corpore mortali existens, eos suo nutu ac voluntate mouebat. Præterea, potest anima separata ex natura rei pati, receptione aliqua intentionali, recipiendo scilicet aliquam speciem, aut speciei modum, vel à Deo, vel per locutionem, aut illuminationem ab alio spiritu. Quæ recep- Anima Christi nihil potuit pati, aut recipere ab vllo spiritu. tio cùm potiùs pertineat ad passionem C perfectiuam, non potuit locum habere in anima Christi separata, cùm hæc omni scientiâ plena esset, cùmq; ratione vnionis esset omnibus creaturis superior, nihil ab eis præsertim inuoluntariè pati, aut recipere poterat. Propterea quod etiam in hac vita corpori vnita, non potuit à dæmonibus pati suggestionem aliquam inrernam. Cùm verò esset Deo vnita, & plenè beata, nec ab ipso Deo quidquam simile pati, nec aliquod obiectum repræsentari ei poterat, quod eam contristaret. Quoniam diuina fruitio, nullam, etiam minimam tristitiam secum pati possit. Cùm ergo anima Christi ab instanti mortis omnino fuerit impassibilis, ideò sine vllis doloribus, tristitiâ internâ, & afflictione morabatur apud inferos per quadraginta horas.

Verùm hinc difficultas magna oritur: Quomodò triduũ mortis Christi 40. horis potuit cõprehendi. quoniam quadraginta horæ nõ constituunt tres dies, & noctes, quomodò à morte Christi ad eius resurrectionem, solùm quadraginta horæ interfuisse dicuntur? cùm Christus mortuus, tribus diebus, & tribus noctibus in sepulchro iacuisse referatur. Ad hoc respondetur, horum trium dierum, & noctium computationem, ab hora mortis, vsq; ad horam resurrectionis, non esse intelligendam in omni

omni rigore, hoc est, accipiendo istas A tres noctes, & dies, pro integris, & naturalibus; sed debere intelligi per synecdochen, à parte totum numerando, qui modus frequentissimus est tàm in scripturis, quàm in alijs Auctoribus. Et hoc modo optimè possunt tres dies in quadraginta horis comprehendi, nimirùm vt dies intermedius sit integer; extrema verò secundùm partes. Ita explicat san- S. Hieron. ctus Hieronymus Ionæ 2. & Matth. 12. S. August. S. Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 24. Et lib. 1. quæstionũ Euangelic. q. 7. & l. 3. de doctrina Christiana cap. 36. multiq; alij. Porrò hæc B figura synecdoche, non solùm diebus, sed etiam tribus noctibus ita potest applicari: nimirum vnam noctem vnius diei naturalis, non fuisse totam noctem continuam, quæ est ab occasu solis, vsq; ad ortum; sed duas complecti partes noctis, inter quas artificialis dies continetur, quarum vna incipit à media nocte, vsq; ad ortum solis; altera verò ab occasu solis vsque ad mediam noctem. Nam dies naturalis à media nocte incipit, & vsq; ad mediam noctem terminatur. Hinc cœna, quæ fit post mediam noctem, ad sequentem diem spectat, nõ ad præcedentem.

Quod ingeniosè obseruat Caietanus Lucæ 2. Lucæ 2. vbi ex illis verbis: *Qui natus est hodie Saluator*, colligit Christum natum fuisse post mediam noctem. Similiter quia Dies primus azymorum vnde dictus. agnus Paschalis occidendus erat lunâ decima quartâ, facilè colligitur occidendum fuisse ante mediam horam noctis. Atq; ideò Euangelistæ vocant diem illum, *primum azymorum*: & Ecclesia sancta Eucharistia nocte instituta. institutionem Eucharistiæ computat factam esse die Iouis. Licet enim facta fuerit nocte; fuit tamen facta ante mediam noctem. E contrario autem eadem sancta Ecclesia natiuitatem Christi celebrat vigesimâ quintâ Decembris: quia D licet acciderit in nocte, quæ sequitur post vigesimam quartam; tamen à media nocte euenit. Propria igitur, & quasi naturalis, ac maximè vsualis distinctio, & computatio dierum naturalium, à media noctè in mediam noctem accipienda est. Cùm enim dies constitui censeatur ex præsentia solis, propterea meritò censetur naturalis dies incipere, quando sol incipit ad nos redire, & appropinquare, quod fit à media nocte, & vsq; ad mediam sequentis noctis procedit: & sic vna nox vnius diei naturalis prædicto modo computari debet. Prima ergo dies, & prima nox mortis Christi, ac sepulturæ eius, durauit ab hora nona Parasceues, vsq; ad horam sextam noctis: seu ex vsu communi loquendo, ab hora quinta post vesperam, vsq; ad duodecimam horam noctis sabbathi. Tertia tandem nox, & dies fuit à duodecima hora noctis sabbathi, vsque ad auroram diei Dominici. Et sic in vtroq; extremo accipitur pars diei, & pars noctis, rectèque per synecdochen verificantur tres dies, & tres noctes. Hæc est expressa doctrina S. Anselmi Matth. 12. vbi di- S. Anselm. cit: *nam primus dies à parte extrema annumeratus est; dies verò tertius à parte prima.* Postea verò explicans istas partes subdit: *Sextæ C quidem feriæ diei partem, in qua sepultus est, cum parte noctu pro nocte, & diei accipiens, sabbathum cum nocte, & die; noctem Dominicam cum eodem die illucescente, pro toto similiter accipiens, habes triduum, & tres noctes.*

Dies ex præsentia solis constituitur.

Tres dies, & tres noctes mortis Christi accipi debent per synecdochen.

Ecce igitur habemus Christum rediuiuum, denicta morte, & spolijs inferorum detractis, cum triumpho resurgentem, cui gloriosa resurrectio debebatur, tum quòd natus esset de illibata Virgine, omnis maculæ originalis experte, tum ex vi vnionis hypostaticæ. Igitur triumphum eius piâ lætitiâ, & læta deuotione agendo, veniam peccatorum nostrorum postulemus.

DIE ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI.

Assumptus est in cælum, & sedet à dextris virtutis Dei. *Marci 16.*

Deducitur Christi dignificatio, quâ in sua glorioſa aſcenſione cohoneſtatus eſt.

Vtrum conueniebat Christum in cælos ascendere. Væstionem magni satis momenti agitat S. Thomas 3. p. q. 57. ar. 1. Conueniebatne, vt Christus redẽptione peracta, & Apostolorum collegio Euangelij dogmatibus, ac Ecclesiæ sanctæ ritibus erudito, in cælos glorioſus remearet. Oppositum tria argumenta, suadent. *Primum* ex Aristotele desumptum 2. de cælo, vbi docet Philosophus, *illa, quæ optimo modo*

mo modo se habent, possidere suum bonum sine motu. Sed Christus optimè se habuit, cùm & secundùm naturam diuinam esset summum bonum. Cùm igitur ascensio sit quidam motus, ideò non videtur conueniens fuisse Christo, vt in cælum ascenderet. *Alterum argumentum est*: quia omne, quod mouetur, propter aliquid melius mouetur. Sed Christo non fuit melius esse in cælo; quàm in terra, cùm illi nihil accreuerit per hoc, quòd in cælum assumptus sit, nec quo ad animam, nec quo ad corpus: ergo non videtur Christo conueniens fuisse, in cælum ascendere. *Tertium argumentum*: quia Verbum æternum humanam naturam assumpsit adnostrã salutem. Sed magis esset salutare hominibus, si Christus semper cum illis conuersaretur in terra, quemadmodùm ipsemet discipulis suis intimauit, Lucæ 17. *Venient dies, quando desiderabitis videre vnum diem Filij hominu, & non videbitis.* Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens Christum ascendere in cælum. Verùm hæc argumenta facilè dissoluuntur: quando enim dicit Aristoteles, illud optimè se habere, quod sine motu possidet suum bonum, per hoc intelligit ipsum Deum, qui est omninò immutabilis, vt habetur Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Nihilominùs quia omnis creatura est mutabilis; natura autem humana assumpta à Verbo, remansit creatura: ideò licet ascensio in cælum sit motus quidam, non potuit illi inconueniens esse. Similiter quando dicitur, Christo nihil accreuisse ex ascensione in cælum, fateor Christum per ascensionem nullam essentialem gloriam, aut gaudiũ consecutum esse; cæterùm spectabat ad maiorem quandam decentiam, & gaudium accidentale, vt corpori eius ad immortalem vitam suscitato, cælestis locus tribueretur. Nam Christus post resurrectionem, immortalem & incorruptibilem vitam inchoauit; solus autem locus cælestis, est locus incorruptionis, cùm locus hic in quo nos degimus, sit locus generationis atque corruptionis. Quapropter non erat conueniens, quòd Christus post resurrectionem in terris remaneret, sed oportebat, vt ascenderet in cælum. Vnde ex hac ascensione accreuit Christo gaudium accidentale: quia natura assumpta de hac decentia nouo modo gauisa est, tanquàm de re impleta, iuxtà illud Psal. 15. *Delectationes in dextera tua vsq; in finem.* Quem locum Glossa exponit: *Delectatio, & lætitia erit mihi in conspectu tuo humanis obtutibus subtracto.* Tandem, quando dicitur, magis fuisse salutare hominibus, si Christus perpetuò cum illis conuersaretur, certum est, præsentiam quidem Christi corporalem, subtractam esse fidelibus per ascensionem; verùm præsentiam diuinitatis præstò illis adesse. Quemadmodùm ipsemet promisit Matthæi vltimò: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi.* Imò etiam nobis maximè conueniebat, Christum ascendisse in cælum, vt per hoc in fide, spe, & charitate erga Deum magis firmaremur. Quod eleganter Leo Papa serm. 1. de Ascensione perstringit his verbis: *Vt mirabilior fieret gratia Dei, cum remoto à conspectu hominum, quæ meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non reperet.* Et profectò cum fides nostra fundetur in rebus indiuisibilibus, vt docet S. Paulus Hebr. 11. *Fides* inquit, *est argumentum non apparentium*, non potuit aliter in nobis firmari, nisi triumphali Christi ascensione, per quam nobis præparauit locum in regno cælorum, quod promiserat Ioan. 14. *Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum.* At, quis hoc credidisset, nisi Christi ascensione fides nostra fuisset firmata? quoniam Christi ascensio nostra proiectio est, & quò processit gloria capitis, eò spes vocatur corporis. Quod S. Leo serm. 2. de Ascensione ponderans ait: *Magnarum hic vigor est mentium, & valdè fidelium lumen animarum, incunctanter credere, quæ corporeo, non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas vnde in cordibus nostris nasceretur, aut quomodò quisquam iustificaretur per fidem, si in ijs tantùm salus nostra consisteret, quæ obtutibus subiacerent.* Christus itaque per mortem ius ad regnum cæleste nobis acquisiuit; per ascensionem verò quasi possessionem nomine omnium nostrum sumpsit, certificans fidem nostram de futura resurrectione, & in cælos ascensione. Nam teste D. Thoma supra citato, per hoc, quia Christus humanam naturam assumptam in cælo collocauit, dedit nobis spem illuc perueniendi. Quemadmodùm promisit Matthæi 24. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Considerabimus igitur, quomodò Christus in sua ascensione dignificatus sit.

Summam Christi dignificationem, quam in sua admirabili ascensione à Patre æterno obtinuit, deducere volens D. Pau-

Matthæi vltimò. — S. Leo. — Lucæ 17. — Hebr. 11. — Ioan. 14. — Malach. 3. — Matth. 24. — Psal. 15. — Glossa.

Christ⁹ per ascensionẽ solùm accidentalem gloriã consecutus est.

D. Paulus, sic dicit Ephes: 1. *Constituit illum super omnem Principatum, & Potestatem, & supra omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro.* Ad Colossen. autem c. 2. ait: *Qui est caput omnis Principatus, & Potestatis.* Meritò equidem vocat Christum Dominum caput omnis Principatus, & potestatis: quia est Dux bellorum, & Dominus exercituum. Neq; enim sine bello, & sanguine nouam Dei domum ædificauit. Ipse est principium, & initium rerum: principium, in quo Deus condidit omnia. Initium & finis, Alpha, & Omega, ipsomet loquente ad Iudæos: *Ego Principium, & qui loquor vobis.* Ipse Princeps, & caput Euangelicæ domus, & Christianæ familiæ. Quod prophetico spiritu olim prædixerat Isaias; c. 2. v. 2. loquens: *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Montem appellat Christum in primis, quia sicut mons est terræ altus tumor, quasi ab eminendo dictus; ita Christi humanitas propter summam eminentiam, quâ inter omnes cælicolas assurgit, dicitur mons. Sic censent S. Basilius, & Procopius: *Monti porrò comparatus est Christi in terram descensus, quia mons est, quod in terra multum eminet, ipsaq; Domini caro terra alioqui naturæ communione existens, per eam, quam habet cum Deo affinitatem sursum assumpta, eleuataq; est.* Montem appellat Christum, quia nouus est legislator: *De Sion exibit lex, & docebit nos vias suas.* Legi autem promulgandæ, & accipiendæ, aptissimus est mons. Hinc est, quòd Moyses legis tabulas digito Dei conscriptas, acceptur⁹ à Domino, montem ascendit, vt doceret omnia illa legum documenta esse sublimia. Iesvs pariter in montem octo beatitudines prædicaturus ascendit, atque sic legem nouam laturus mons dicitur, quia verba illius dirigunt ad superna, vt lex eius meliùs audiretur, dum de monte exiret. Montem deniq; appellat Isaias Christum Dominum, quia domus Dei super ipsum constructa est, propter quod nuncupatur mons domus Domini. Sicut etiam vrbi construendæ aptior, & salubrior locus est in monte, quàm in planitie, quoniam ibi benignior cæli influentia, ventorum aura suauior solet esse, nec terrenis exhalationibus facilè inquinatur. Mons ergo iste in quo domus Dei constructa est, adeò sublimis, & eximius ab Isaia sancto Propheta describitur, vt sit apex, & corona montium. Conferte cum hoc monte alios celebratissimos montes, vt sinam, Moriam, Thabor, Sion. Quod si metaphoricè accipere velitis montes pro viris sanctitate conspicuis, conferte cum hoc monte Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Moysen, Eliam, omneq; alios Prophetas, & videbitis eos huic monti nec æquari, nec comparari posse. Cùm Christus sit montium Coryphæus, & Ecclesiæ caput inter Angelos, atq; homines, sanctitatis & gratiæ obtinens principatum.

Hinc D. Gregorius homilia de Ascensione, ex citatis D. Pauli verbis; *Super omnem Principatum & potestatem*, probat Christum Dominum, etiam supra choros Angelorum sublimatum esse, ita discurrens. *Qui fecerat omnia, supra omnia sua virtute ferebatur.* Quod S. Thomas 3. p. q. 57. subtili ratione in hunc modum declarat. Tantò alicui rei debetur altior locus, quantò est nobilior: siue illi debeatur locus per modum contactus corporalis, quemadmodùm corporibus; siue per modum contactus spiritualis, quomodò substantijs spiritualibus. Et ideò spiritualibus substantijs secundùm quandam congruentiam debetur locus cælestis, qui est supremus locorum: quoniam illæ substantiæ sunt supremæ in ordine substantiarum. Sed corpus Christi, etiamsi considerando conditiones naturæ corporeæ, sit infra substantias spirituales; considerando tamen dignitatem vnionis, quâ est personaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium substantiarum spiritualium. Ergo ratione huius immensæ dignitatis, debetur illi locus altior supra omnem creaturam etiam spiritualem. Quomodò autem hoc fieri possit, cùm loco proprio sanctorum Angelorum, nullus sit locus superior, siquidem & Angeli, & beati existunt in cælo empyreo, qui locus est supremus, & in superficie extrema illius cæli, non est vlla pars altior alterâ respectu centri, cùm sit perfectè sphæricum. Respondet Caietanus, in conuexa superficie cæli empyrei posse considerari quandam partem, puta orientalem, diuinitùs destinatam, vt sit veluti solium Principis, & sic censetur esse locus supremus totius cæli; & ideò pro varietate meritorum vnusquisque in cælo habiturus est proportionatum locum, Christo propinquiorem, aut distantiorem. Dicit itaq; citatus Caietanus, Christum Dominum in triumphali sua Ascensione, secundùm corpus, in illa parte cæli empyrei, tanquàm in supremo loco, & throno diuino collo.

Ad Ephes: 1. — Ad Coloss: 2. — Isaiæ 2. — S. Basilius. Procopius. — S. Gregor. — S. Thomas.

Christus quare dicitur mons.

Lex Dei in monte conscripta & Moysi tradita est.

Montes cc.

Iebratissimi in Scriptura Sacra quatuor.

Subsantijs spiritualibus debetur locus cælestis.

Christi corpori debetur locꝰ altior supra omnẽ creaturam etiam spiritualem.

Beati pro varietate meritorum habebunt proportionatum locum.

no collocatum esse, iuxta Prophetiam Dauidis Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Id est, Dominus Pater, Domino Deo Christo Filio throni sui obtulit sublimem confessum, & honoris gratiâ ad dexteram suam illum æternâ sede constituit.

Quo testimonio confutata est impietas Iudæorum: proposuerat quippè idem ipse Dominus quæstionem hanc Iudæis, Matth. 22. Matthæi 22. cuius filium Christum scripturarum authoritate didicissent, & eisdem respondentibus, quòd ex Dauid venturus semine traderetur, confestim Dominus cæcitatem illorum arguens Psalmo 109 subintulit. *Quomodò ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede è dextris meis.* Quasi diceret: Intercluisistis vos, o Iudæi, intelligentiæ viam, & dùm solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce priuastis. Iudæi Christum solum hominem purum venturum putabant. Expectantes enim secundùm vestræ persuasionis fabulosa figmenta, Dauid filium de sola stirpe corporea, dùm spem vestram in homine tantùm constituistis, Deum Dei Filium repulistis. Non poterant igitur Iudæi propositam soluere quæstionem: quia non intelligebant, in vno Christo, & progeniem Dauidicam, & naturam prophetatam esse Diuinam. Maiestas autem Filij Dei æqualis Patri, vestiens se humilitate seruili, nec metuebat minui, nec indigebat augeri: ipsumque effectum misericordiæ suæ, quem restitutioni impendebat humanæ, solâ exequi poterat virtute deitatis, vt creaturam ad imaginem DEI conditam, à iugo diræ dominationis erueret. Sed quia non ita in primum hominem violentus extiterat, vt eum in partes suas sine liberi arbitrij consensione transferret: sic destruendum peccatum fuerat voluntarium, & hostis consilium, vt dono gratiæ non obesset norma iustitiæ. In totius igitur humani generis strage communi, vnum solùm fuit remedium sub diuinæ rationis occulto, quòd posset subuenire prostratis, si aliquis filiorũ Adam, originalis præuaricationis alienus, atq; innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine propago esse, iuxta illud Iob 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Iob 14. Dominus Dauid factus est filius Dauid, & de promissi generis fructu proles est orta sine vitio, in vnam personam gemina conueniente natura: vt eodem conceptu, eodemq; partu gigneretur Dominus noster Christus, cui vera inesset deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam passionum. Conuenimus itaq; cum Iudæis in hoc, qui interrogati, cuius filius sit Christus, voce Apostoli confitemur, quia *factus est ex semine Dauid secundùm carnem.* Rom. 1. Sed in hoc ab eorum impietate discernimur, quia quem ex progenie Dauid hominem nouimus natum, eundem secundùm quod, *Verbum Caro factum est*, Deum Ioan. 1. Deo Patri credimus coæternum.

Neq; sanè minor Iudaica excæcatio, Hæreticorum cæcitas, qui censent Christum à Dauide vocari Dominum, quasi per hoc à consortio diuinitatis excludatur, & quædam illi solùm dominatio tribuatur. Sed temerè satis, propter quod S. Hilarius lib. 3. & 9. de Trinitate, S. Hilarius. S. Ambrosius lib. 5. de Fide, cap. 2. Cyrillus, & alij sancti Patres, futilem hanc argumentationem vocant, & Scripturæ Sacræ contrariam. Quod deducunt ex illis verbis D. pauli ad Philipp. 1. v. 1. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESV Christo.* Vbi dùm Christo Domino tribuit dominationem, appellando eum Dominum nostrũ; quem admodùm etiam 1. ad Corint. 8. v. 6. dicendo: *Vnus* 1. ad Corint. 8. *Dominus IESVS Christus*, non denegat dominationem Patri: quia etiam verè est Dominus. Ita planè, quando Patrem appellat Deum, & vnum Deum, non aufert Filio diuinitatem, quam pluribus alijs in locis ipsi singillatim, & disertis verbis tribuit. Imò vt verùm fatear, Hæretici suo se gladio iugulant: dùm enim Christum Dominum esse concedunt, etiam Deum Patri consubstantialem fateri coguntur, stando in doctrina S. Pauli, qui vnum tantummodo esse Dominum clarè docet ad Ephes: 4. v. 5. *Vnus* inquit, *Dominus, vna Fides, vnum Baptisma.* Cùm ergo Patrem etiam Dominum esse, ipsi non negent, manifestè sequitur ipsum Patrẽ, vnum Dominatione, diuinitate, & naturâ cum Christo esse. Quam rationem ingeniosè perstringit D. Ambrosius lib. 10. S. Ambr. in Lucam cap. 7. tale argumentum pro Christi diuinitate conficiens, ex verbis Centurionis. *Hoc idem Centurio cum alijs, qui secum erant, tremefactis mundi cardinibus in passione Domini confiteatur, & tu hæretice negas. Centurio dicit:* Verè Filius Dei erat iste. *Erat,* inquit *Centurio: & Arrianus dicit: non erat ille: ergo generationu & veritatem, & æternitatem asseruit, manu cruentus, sed mente deputus. Tu hæretice veritatem generationis negas, tempus adscribis. Vtinam manus potiùs, quàm animum cruentasses. Sed nec manu innocens, & mente feralu, quantum in te est, mortem infers, qui infirmum opinaru. Imò quod grauiùs est, si diuinitas vulnus sentire non possit, quod in te tamen est, maiestatem suam in Christo, non corpus interficere conaris. Verùm igitur Deum dubitare non possumus, quem verum Dei filium, & carnifices crediderunt, & dæmones fatebantur: quorum nunc non testimonia requiruntur, sed tuis tamen sacrilegijs præferuntur. Illos nominauimus, vt erubesceres, diuina quoq; responsa adhibuimus, vt crederes.* Et Dauid igitur Propheta, & S. Paulus tribuunt Christo nomen Domini, vt per hanc vocem, præter Christi diuinitatem, quam etiam ipsa exprimit, significetur ipsius magnum, & supremum imperium in omnes creaturas, & extrema potestas iudicandi de illis, quæ ipsi à Patre propter crucis humilitatem donata sunt, vt sic supra omnes creaturas dignificaretur.

Inepta Hæreticorum cõtra Christi diuinitatem argumentatio. Verùm, contra hanc dignificationem Christi, atq; sessionem à dextris Dei, insurgit impia hæresis, argutiarum temeritate diuinitatem farigare attentans, & ex personarum gradu, inæqualitatem inferens. Si inquit Pater dedit Filio dexteram: ergo Filius maior est Patre: qui enim dat, potior est accipiente: quoniã qui accipit, indigus acceptione probatur, cùm accipiat ab alio id, quo caret. Imò, sit hoc, quòd Deus Pater Filio sine maioritate donet dextram, & Filius absque dedecore eandem accipiat; adhuc tamen Filius præstantiori loco sedebit, quàm Pater. Nam si Filius sedet à dextris, sequitur Patrem à sinistris consistere: ergo Filius in dignitatis prærogatiua Patrem superat: quoniam gradu, hoc est, sedis aut loci præstantiâ Patri antistat. His argutijs diuinitatem Christi inquietare nititur hæresis. Cæterùm D. Ambrosius pro eximia sui ingenij subtilitate, facilè omnem difficultatem extricat, ita respondens: *Attolle oculos, intuere qui sedeat, cum quo sedeat, vbi sedeat. Sedet Christus ad dexteram Patris, quod si oculis non potes comprehendere, audi Prophetam dicentem: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Sedet ergo ad dextram Patris Filius.* Et inox subdit: *Dic nunc qui de sæcularibus arbitraris æstimanda diuina, num tibi videtur inferior, qui ad dexteram sedet? num iniuria Patris, qui ad sinistram sedet? Pater honorat, & iniuriam putas?* Quid melius dici potuit? Deus Pater triumphanti Filio dicit, vt ad dexteram eius sedeat: non igitur putes Patrem sinistrâ dehonestari: qui dextram, quam honoris causâ vrbanissimè donat, donando non amittit, cùm hoc sit humanæ comitatis sacramentum, cui Christiana virtus renuntiare non debet, monente D. Paulo ad Rom. 13. *Honore inuicem præuenientes, nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Roman. 4.

Difficilis equidem locutio, dùm dilectio debenda magis, quàm persoluenda ab Apostolo præscribi videtur. An fortè D. Paulus probat eorum sensum; de quibus Plutarchus in libello de amicitia in plures diffusa ita loquitur: *Porrò complures inuenias, qui amicitiam meant, id solùm spectantes, quòd possint accipere, non etiam quòd cogantur ex æquo præstare. Neq; meminerunt, quòd multorum adiuti commodis vicissim ijsdem multi inseruire debeant, operâ eadem egentibus? Absit.* Sed hoc exprimere voluit D. Paulus, ita vnicuiq; quod debetis persoluite, vt nihil siue æris alieni, siue cuiusuis alterius rei apud vos maneat, quin creditori persoluatis, vno tantùm dilectionis debito excepto, quod ita indesinenter à vobis reddendum, ac persoluendum amicis est, vt simul vobis id fuerit persuasum, denuò huic debito manere obnoxios. Sed qua ratione obsecro, quo iure id dici potest? Quoniam C solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio, ex sententia Iure consultorum. Respondet D. Augustinus Epist. 29. *Quia dilectionem tantò magis debemus, quantò ampliùs impenderimus.* Verùm ignotum per ignotius, & difficilis sententia per aliam difficiliorem videtur explicari: quomodò enim quò magis diligimus, eò magis dilectionis debitores sumus, cùm potiùs dilectionem, quam alteri debeamus, ita videamur persoluere, dùm officijs & dilectione respondemus, vt ab omni beneuolentiæ obligatione liberi maneamus. Profectò, quia cùm & diligentis animus diligendo quiescat, ac mira suauitate perfundatur, ipsaq; dilectio ardentior ex operatione fiat, non possumus dùm dilectionis debitum persoluimus, nouam subinde obligationem non contrahere. Quod eruditè Seneca lib. 3. de beneficijs cap. 29. edixit: *Nunquam* ait, *vincitur beneficio, cuius beneficium est ipsum, quo vincitur.* Ita planè nunquam dilectionis obligatio dilectione tolli potest, cùm ipsamet dilectio, quæ impenditur, & reperditur, ita diligentis animum recreet, atq; delectet, vt suauissimo huic debito maneat obnoxius. Vnde citatum D. Pauli locum Clemens Romanus 4. Constit: Apost. c. 13. sic

Deus Pater Christũ ad dexterã cõstituens, nõ se eodẽ honore exuit.

Dilectionis debitũ semper exoluẽdum manet.

S. Ambros.

S. Augustinus.

Seneca.

Clemens Romanus.

sic exponit: *Nemini quidquam debeatis, nisi amicitiæ signum*: quoniam qui honorat, seipsum honorat. Quod argutè satis Plutarchus in Politicis ad Traianum edisseruit his verbis: *Stulti sanè, qui intelligere nequeunt, honorare quàm honorari quid præstet, cùm sæpenumerò gloriosius, & honorificentius sit.*

Sessio Christi in duobus consistit,

Et profectò malè intelligit hæresis, sessionem Christi à dextris Dei, cùm metaphora huius locutionis in duobus consistat, nimirùm in verbo *sedere*, quod nō significat corporaliter sedere; *sed existere, permanere, habitare, pacificè possidere.* Et in voce *dextera*, quæ non significat partem corporis humani, neq; localem situm; sed diuinam beatitudinem, aut potestatem iudicandi, atque regendi. Vnde in nomine *sessionis* duo possunt considerari, nimirum *quies*, secundùm illud Lucæ vltimo: *sedete hic in ciuitate.* Deinde regia, aut iudiciaria potestas, iuxta illud Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Et hoc vtroq; modo dicitur Christus sedere ad dexteram Patris. In primis, in quantum æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ eius dextera dicitur in sacris literis, Psalmo 15. *Delectationes in dextera tua vsq; in finem.* Hoc expressè docet D. Augustinus lib. de symbolo exponens illud: *sedet ad dexteram Patris*, vbi ita loquitur. *Sedere, habitare intelligite, quomodo dicimus de quocunq; homine, in illa patria sedit per tres annos. Sic ergo credite Christum habitarè in dextera Dei Patris: beatus enim est, & ipsius beatitudinis nomen, est dextera Patris.* Deinde Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, in quantum Patri conregnat, ab eoq; habet iudiciariam potestatem: quemadmodùm ille, qui considet Regi ad dexteram, dicitur illi assidere in regnando, & iudicando. Hoc etiam docet citatus Augustinus libro 2. de Symbolo cap. 7. *Ipsam* inquit, *dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui priùs venerat iudicandus.*

Lucæ vlt.

Prouer. 20.

Psal. 15.

S. August.

Dextera significat iudiciariā potestatem.

Per dexterā Dei quatuor intelliguntur.

Per *dexteram* itaq; *Dei*, quatuor possunt intelligi. In primis, *beatitudo per essentiam*, & sic Verbum diuinum etiam vt Deus, sedet ad dexteram Patris, hoc est, existit in eadem gloria, beatitudine, & dignitate, quam habet Pater; nihilominùs Pater non potest ita propriè dici, *sedere ad dexteram Filij*: quia illa particula *ad*, ordinem, seu authoritatem originis importat. *Secundo per dexteram*, potest intelligi *participatio creata diuinæ beatitudinis*: & hæc sicut non est collata Christo vt Deo, sed vt homini; ita non conuenit illi sub hac ratione sedere ad dexteram Patris vt Deo, sed vt homini. *Tertio, per dexteram Dei*, potest intelligi absolutè *participatio diuinæ beatitudinis*: & sic non soli Christo. sed omnibus beatis competit sedere ad dexteram Dei, iuxta illud ad Ephes. 2. *Conresuscitauit nos; & consedere nos fecit in cælestibus in Christo IESV.* Nam in Christo tanquam in capite omnes resurgimus, & ascendimus, & per ipsum datur nobis spes resurgendi, & ascendendi, ac beatitudinem inamissibiliter possidendi, quod est, sedere ad dexteram Dei iuxta hunc sensum. *Quartò demùm per dexteram Dei*, quasi per antonomasiam potest intelligi eminens participatio diuinæ beatitudinis, præ cæteris quibusuis creaturis, cum quadam denominatiua potestate, quasi propriâ, & connaturali. Et sic soli Christo appropriatur, sedere ad dexteram Dei, Hebr. 1. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis.* Licet enim locus hic possit intelligi de Filio ratione diuinæ naturæ; magis tamen propriè intelligitur de Christo, vt homine. Si enim Christus est verus Filius Dei, sedens à dextris Dei in vera æqualitate cum Patre, necessariò sequitur, Christum etiam vt hominem, gloriâ, & maiestate præcedere omnes creaturas, atq; etiam secundum humanitatem sedere ad dexteram Dei pro omnibus creaturis.

Ad Ephes. 2.

Hebr. 1.

Iustitia distributiua non solum merita, sed etiā dignitates personarum spectat. Philipp. 2.

Equidem debebatur Christo iste consessus ad dexteram Dei, hoc est dignificatio, & sublimatio vltra omnes creaturas, in primis, ob profundam eius exinanitionem. Singularem doctrinam tradit S. Paulus ad Philipp. 2. de dignitatibus, & muneribus distribuendis, non sufficere ad distributiuam iustitiam, vt dignitates non nisi dignis, & benè merentibus conferantur, nisi pro singulorum meritis debita proportione seruata, vt illustria illustribus, dignioribus maiora dreddantur, ipsorum munerum distributio fiat. Quod in Christi exaltatione ad viuum expressit: postquàm enim Christum humilè ita depressisset, vt ipsum exinanitum, exhaustum, & velut vltimū de plebe hominem depinxisset, illis verbis: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Postea non vtcunq; exaltatum, sed superexaltatum supra omnem dominationem, Principatum, & potestatem, & omni, quam mens humana, siue Angelica excogitare potest, gloriâ superiorem fecit,

Ibidem.

fecit, inquiens: *Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est, supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestriū, & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quò nihil iam maius, nihil excellentius dici potuit, Authore D. Anselmo in citatum locum. *Non enim maior humiliatio* inquit, *aut maior exaltatio fieri poterat.* Ecce, quia Christus infra omnes creaturas se demisit, vltra omnes quoq; seruata proportione meriti cum præmio, sublimari debuit, vt eleganter discurrit S. Chrysosthomus in Moral. *Christus* inquit, *vsq; ad vltima obedientiæ ascendit, propterea ad excelsum illum bonoris gradum peruenit: seruus factus est, propterea omnium factus est Dominus, & Angelorum, & cæterorum hominum.*

S. Anselmus.

S. Chrysost.

Zachar. 4.

Ad hanc sublimationem prophetico spiritu allusisse videtur Zacharias Prophera, cap. 4. iuxta D. Hieronymi & Cyrilli Alexandrini explicationem, hoc de Christo Domino edens vaticinium. *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Vbi licet Rabbi Haccados, & antiqui Hebræorum apud Galatinum lib. 7. de Arcanis. cap. 3. per hunc lapidem primarium matrem Messiæ intelligant, ex qua ille excidendus erat, innuere volentes, non minori benignitate Deum, in prima Virginis cōceptione, quàm in reliquo vitæ decursu se gessisse, dùm æquali gratiæ tenore primum ipsius instans, ac reliqua vitæ spatia omni labe expertia esse voluit. Exæquauit enim Christus Mariæ gratiam gratiæ non tantùm omnium creaturarum; sed etiam sui ipsius, non quod Virginis gratia Christi gratiæ æqualis fuerit, quæ enim finiti ad infinitum proportio, & æqualitas? sed quòd tàm filius, quàm mater omnibus mortalibus in hac purissimæ eductionis gratiâ omninò æquales sint. Meliùs tamen à citatis Doctoribus locus hic de Christo accipitur. Vnde citata Zachariæ verba Chaldæus apertissimè Christo attribuens, ita vertit: *Et emerget Christus, cuius ab æterno nomen dictum est.* S. autem Paulus hunc lapidem *primarium*, vocat lapidē fundamenti, Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo IESV.* Tandem in Hebræo legitur: *Lapidem capitis*, nimirum illum, qui in fastigium constituitur, & sublimatur, & quo ædificium coronatur, atque vltimam perfectionem accipit.

Rabbi Haccados.

Christi Virginis Mariæ gratiā quo modo cum sua gratia exæquauit.

Ephes 2.

Quæ ergo hæc est diuersitas, vt idem-

D

Psalmo 117

Isaiæ 9.

Genes. 49.

Aquila.

S. Ambr.

S. Leo.

met lapis & imus, & summus sit? Profectò, vt per hoc Christi exinanitio, simulque eius superexaltatio innotescat, iuxta Prophetiam Dauidis. Psal. 117. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Qui vt docet S. Paulus, *descendit primùm ad inferiores partes terræ, ipse est, qui & ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia*, vt sic pro exinanitionis mensura, esset & superexaltationis modus, debitaq; inter merita, & præmia intercederet proportio. Quod pridem vaticinatus erat de Christo Isaias cap. 9. *Et factus est Principatus super humerum eius.* Et quid *humerus* in Scriptura Sacra, nisi Patientiæ, & laborum tolerantiæ typum gerit? vt constat ex Genes. 49. vbi de Issachar Christi typum præferente dicitur: *Vidit requiem, quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributu seruiens.* Dum ergo Christo principatum super humerum factum proclamat Isaias, euidenter ostendit, regni Christi amplitudinem, & immensam ipsius exaltationem, eius laboribus, ac humilitati, velut columnam basi, cui superponitur, & cum qua commensuratur, incumbere, vt præmia meritis æqua, ac iusta proportione responderent. Diuino prorsus ingenio id assecutus est D. Ambrosi. lib. de benedict. Patriarcharum, vtrumq; Isaiæ, & Geneseos locum ita conferens: *Itaq; vt ad resurrectionis suæ gratiam vocaret gentes (ipsa est enim pinguis, & fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus centesimos, & sexagesimos) subiecit humerum suum ad laborandum, subiiciens se cruci, vt nostra peccata portaret, ideoq; dicit Propheta: Et factus est Principatus super humerum eius.* Id est, super corporis passionem, diuinitatis potestas. Aquila autem apud S. Hieronymum, & citatum Ambrosium lib 3 in Lucam, hunc Isaiæ locum ita vertit: *Facta est mensura super humerum eius.* Quasi diceret: Christi humero regnum illi æternum Patrem fuisse dimensum.

Debebatur & ex altero capite Christo Domino hæc summa dignificatio, & superexaltatio, quia inaccessam suæ diuinitatis maiestatem, pro vilissima hominis abiectione permutauit. Propter quod à S. Leone serm. 3. de Passione, Dei Filius negotiator cæli appellatur, qui commutatione mirabili salutare nobiscum inijt commercium: *nostra, accipiens, & sua tribuens, pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam.* Vultis nosse huius in auditæ negotiationis, quæ, & quanta sint lucra? Audite quid de illis

D

dicat

Prouerb. 2. LXX. dicat Salomon Prouerb. 7. *non est vir in domo sua.* LXX. legunt: *Non enim adest vir meus in domo, abijt viâ longissimâ, sacculum pecuniæ secum tulit.* Pagninus. Pagninus autem vertit: *Ligamen argenti tulit in manu sua.* Vbi S. Hieronymus & Hugo, per istum virum intelligunt Christum Dominum, quem S. Matthæus cap. 25. sub parabola hominis peregrè proficiscentis introducit. Quia vt docet S. Gregor. D. Gregor. homil. 9. in Euang. *in carne, quam assumpserat, abijt in cælum.* Sacculum igitur pecuniæ Christus in cælum ascendens, hinc tulit secum, id est, immensa lucra, quæ ex sua passione fecit, & de terra in cælum asportauit, quasi huc sapiens negotiator, tanquam ad locupletissimam regionem, lucro ductus ad quæstum consequendum, compendiumque faciendum aduenerit, sic exponit S. Hieron. S. Hieronymus: *Gloriam* inquit, *resurrectionu, & immortalitatem Deus secum detulit, quo illius Patriæ ciues beatificaret, ac ditaret.* Vt hinc crucis, ac passionis Christi virtutem, atq; efficaciam cognoscamus, quæ Dei sacculum plenum, turgentemque, puta Deum ipsum diuitem, & locupletem quodammodò reddidit, dùm ipsum hominibus manifestum, conspicuumq; effecit.

De Iobo narrat sacra historia, quòd post tot labores, ac ærumnas, luce tandem post tenebras obortâ, duplicia bona de manu Dei acceperit. Iob, 42. *Et addidit Dominus omnia, quæ fuerunt Iob duplicia.* Quid aliud patientissimus Iob, nisi typum Christi Domini gessit, qui ex sua passione duplicata bona reportauit: quia duplo, quàm antea, quoad externam manifestationem, & gloriam, ditior, ac locupletior euasit. Profundè id Rupertus lib. 2. de operibus Spiritus sancti cap. 9. Rupertus. considerans illa Apostoli verba: *Propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. in hunc modum elucidat: *Iam hic cum Propheticis, atq; Apostolicis præconijs, vt à proposita beati Iobi allegoria, vel figuratiua speculatione sermo non recedat, dicamus, quia addidit Dominus omnia, quæcunq; fuerunt Iob duplicia. Quid enim noster iste Iob, quid inquam Deus Christus, quid homo Christus habuerat? Diligenter vtrobiq; possessiones eius apprehendamus, quas ante passionem suam habuerat, & non dubium erit, quin cuncta receperit duplicia. Quid Deus Christus habuerat? nouem ordines Angelorum. Nam cùm in forma Dei esset, & nondum se exinaniuisset, formam serui accipiens: claritatem habebat Deus apud Deum, diuinu obsequijs adoratus Deus, & Rex Angelorum. Sed ecce, quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & hæc passus est, quæ prædicta sunt, Deus, & Rex Angelorum pariter & hominum.* Ergo duplicia Deo Christo reddita sunt: quoniam ante non nisi Angelorum, nunc etiam hominum Rex habetur: ante passionem homo vilissimus, nunc Deus immensus ab omnibus creditur, & adoratur.

Hinc imprecatus Iacob tribui Iudæ benedictionem, prævidens Christi mysterium, & resurrectionis Dominicæ triumphum, cum leone, & leæna IESVM comparauit. Gen. 49. *Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum.* Genes. 49. Quia nimirum Christi diuinitas atq; maiestas, non nisi post passionem, & gloriosam resurrectionem, in admirabili eius ascensione mundo innotescere debuit. Considerans enim S. Epiphanius, cur leoni simul, & leænæ comparetur Dominus IESVS, respondet in Physiologo cap. 2. *Quia leæna mortuum, & cæcum edit catulum, iuxta quem defixos in illum habens oculos, triduo cubat; hu verò transactu, leo accedit, & in catulum spirat, qui statim & ad vitam reuocatur, & lumen oculorum recipit.* Leæna catulum cæcũ parit. Statimq; hanc leonis, & leænæ physiologiam, idem Epiphanius S. Epiphan. Christo Domino sapienter accommodat his verbis: *Sic gentes, quæ non credebant, per trium dierum sepulturam, & Dominu nostri IESV Christi resurrectionem respexerunt, & ad vitam reuocatæ sunt.* Leo catulũ mortuũ spirando viuificat. *Ante baptismum enim & cæcæ, & mortuæ dicebantur: verùm à leæna, id est, à Sancto Spiritu per triduum sepulturæ obseruabantur. Cùm autem leo, hoc est, viuificum Verbum venit, & in ipsos Spiritum sanctum inspirauit, ad vitam eos reuocauit, & omnes ab inferno eduxit.* Præclarè satis: verùm ad nostrum propositum accommodatiùs per leænam, possumus intelligere humanam naturam, hæreditarij criminis nexibus obnoxiam, quæ hominem parturiebat cæcum, & mortuum. Hæc enim mala subijt grauissima cæcitatis, & mortis filius Adæ, post primam præcepti diuini transgressionem; donec his iactata calamitatibus, & mundi malis oppressa, assumpta est à Verbo, & formatus nouus Adam Christus. In eo enim Verbum Dei, & spiritum viuificantem, nuncupare possumus leonem: nam postquàm maximos pertulit cruciatus, & mortem, caro illa diuina cubans triduo in tumulo, apertos & defixos instar leænæ, diuinitatis, & potestatis habebat oculos, donec transacto dormitionis spatio, animus vnitus corpori, corpus suscitans suum, accessit velut leo ad genus humanum, quod tanquàm catulum mortuum, Adam & Eua pepererant, inspirauit de viuificante suo spiritu spiraculum vitæ, & ad immortalitatem reuocauit.

Iacebat

Iacebat itaq; natura humana, velut mortua, donec leo de tribu Iuda, id est, Verbum incarnatum, in die suæ Ascensionis, Spiritum Sanctum Apostolis insufflaret, in illisq; vniuersum genus humanum, de morte ignorantiæ resuscitaret, ad suæ diuinitatis notitiam eleuans: vt meritò iam sententiam D. Epiphanij immutare possimus in hunc modum. *Accessit leo, & in catulum spirauit, qui statim & ad vitam reuocatus est, & lumen oculorum recepit.* Quoniam per admirabilem ascensionem mundus veram fidem, & Christus diuinitatis notitiam suscepit.

Iudæorum Gentilium & Arrianorũ error circa Christi diuinitatem vnde. Diceret forsan nonnemo, si Christi diuinitas per admirabilem eius ascensionem, maximè mundo innotuit, quare ad hæc vsq; tempora, obstinatus Iudaismus Christum negat esse Dei Filium? quare spurcissimus Arrianismus creaturam eum duntaxat esse vult? quare & probrosus gentilismus, licet Prophetam fateatur, diuinitatem illi tamen subscribere recusat? Respondent aliqui ideo, quia diuinitas est immensa, & incomprehensibilis, & idcircò cùm in Christi humanitate lateret, non facilè à gentilibus concipi potuit, multò minùs à Iudæis, qui in vnitate diuinæ naturæ trinitatem personarum consistere, pro re impossibili reputant, proptereà, quòd generationem Verbi ex solo Patre, & spirationem actiuam ex vtroq; concipere non valeant. Sic olim Sophar Naamathites de Deo ad Iobum locutus est: Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsq; ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, quid facies? profundior inferno, vnde cognosces? longior terrâ mensura eius, & latior mari. Iob 11. Probans his verbis, non posse Deum à Iobo perfectè cognosci: quia non solùm naturâ, quæ infinitis spatijs humanam excellit; sed etiam loco ab humana habitatione longissimè distat, ad quem homo in hoc mortali statu neq; ascendere potest, neq; descendere. Quoniam est cælo sublimior, quò attolli nequit terrena moles; & ipso etiam inferno, id est, abdito sinu terræ profundior, ad quem locum homo quantumcunq; se deprimat, altè non perueniet. Quod subtiliùs adhuc comprobat Philo Hebræus, de confusione linguarum ita loquens: *Deus autem implet omnia, non contentus, sed continens, qui solus vbiq; simul, & nusquàm est.* Philo. Quòd nusquàm sit, probat: quia ipse locum, & regionem creauit vna cum corporibus, nec fas est. Auctorem intra vllam suam creaturam includi. Quòd verò vbiq; sit, ostendit: quia potentijs suis, per terram, aquam, aërem, ac cælum extensis, nullam partem mundi destituit. Vnde concludit citatus Philo: *Vere Deus dicitur omnia continens in gremio, & omnia penetrans, id indiuisibile, incomprehensibile Numen cùm sit vbique, nusquàm tamen vere cernitur, aut percipitur.* Vbiquitas soli Deo est debita. Fateor magni ponderis ratione hanc esse, quia Deus vbiq; simul, & nusquàm est, ideò difficulter ab intellectu humano dignosci potest. Cùm enim vbique sit, ideò si eum fortè mentis acie, & sensuum ingenio attrectare præsumas, tunc quantocyùs quasi fugit, & velut comprehensus se proripit, & sic nusquàm inuenitur. Vnde cùm Christus certo loco secundùm humanitatem constiterit, & nunc consistat, mundus ei diuinitatem tribuere verebatur, ne vbiquitatem Deo debitam negaret.

Aliam ego tamen meo proposito accommodatam magis rationem inuenio, quia Iudæi, & Gentiles de Christi diuinitate non fuerunt certificati ideò eum pro Deo hucusq; non agnoscunt, quod sic deduco. Post Christum Dominum ereptum oculis discipulorũ, duo Angeli illis astiterunt, ita loquentes Actor. 1. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet.* Actor. 1. Angeli igitur astiterunt non Iudæis obstinatis, non gentibus barbaris, sed Apostolis, in quibus futura credentium posteritas continebatur, vt scientes in gloria rediturum Dominum, repellerent tristitiam ex discessu euenturam. Sic censet S. Chrysost. serm. de Pentecostes: S. Chrysost. *Ascensionu* inquit *tristitiam, regressionis commemoratione consolabantur: & separationis dolorem aduentus futuri pollicitatione sedabant.* Quoniam maximè aut aufertur, aut sopitur dolor de absentia illius qui scitur in magna gloria rediturus. Hinc Apostoli videntes Iesum ascendentem in cælum, non mœrore, sed lætitiâ repleti erant, lætis oculis eum intuentes. Actor 1. *Cumq; intuerentur euntem illum in cælum.* Actor. 1. Res stupenda, duo solùm corpora legimus in sacris literis per aëra ascendisse, nimirum Eliam curru igneo ad cælum raptum, & Iesum baiulâ nube candidâ vectum in æthereas regiones, à supra Empyrei apicem. Verùm in ascensu Eliæ, præ animi dolore, ac tristitia, Eliseus eius discipulus scidit vestimenta sua 4. Reg. 2. *Ascendit Elias, Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga eius. Et non vidit eum amplius: apprehenditq; vestimenta* 4. Reg. 2.

Eliseus in discessu Eliæ cur vestimenta scidit.

sua, & scidit illa in duas partes. Quid causæ? Quòd Eliseus tot doloris, tot luctus signa in discessu Eliæ ostenderit; cùm Apostoli videntes Iesum abeuntem, & in cælum auolantem, nullam emiserint vocem, nullum gemitum dederint, nec præ tristitia, & animi angore, vestimenta dissciderint? An, quia minus amabant Iesvm? Absit: sed quia habebant Angelos certificantes de reditu Iesu, quos Eliseus non habuit. Profundè id adnotat

S. Chrysost. D. Chrysost. tomo 3. serm. de Ascensione: *Ne* inquit, *hoc faciant Apostoli, quod Eliseus fecisse dicitur, conscidit vestimentum, cùm magistrum vidisset eleuatum ad cælum: non enim habuit præsentem Angelum, qui Eliam promitteret aduenire. Ne igitur & isti hoc faciant, ideò Angeli stabant, animas eorum tristitiæ solatio releuantes.* Quia igitur Angeli non Iudæis, nõ barbaris Atheis, sed solis Apostolis astiterunt, ideò populus Christianus per Angelos in Apostolis edoctus Christum esse verum Deum confitetur; Iudæi autem & barbaræ gentes, quibus Angeli suam assistentiam, doctrinam, & consolationem non præbent, difficulter id assequi possunt.

Elias in cælum curru eleuatus est, Christus sine curru.

Illud tamen obstupesco, quòd dùm Elias cælum conscendere debuit, currus igneus è cælo, illum eleuaturus descendit; ad Iesum autem eleuandum in cælestia, nullus currus, nulla lectica, nullum vehiculum submissum legitur. An forte quia Christus, Eliâ minor est? Absit: imò potiùs quia Christus valentior est, & ideò adminiculis non egebat. Ita

S. Bernard. acutè resoluit D. Bernardus de gradibus humilitatis: *Raptus est* inquit *Paulus, raptus & Elias, translatus est Enoch, Redemptor noster legitur eleuatus, non aliunde adiutus, deniq; non currus vehiculo, non Angeli adminiculo, sed propria virtute.* Vehicula enim solùm infirmis dantur; Christus autem qui validissimus erat, & potentissimus, in hoc ostendebat suam valentiam, quòd nullis egeret adminiculis. Addit tamen sacra pagina: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Quæritur S. Bernardus supra citatus: *Cur hoc? An fessum iuuit? An pigrum impulit? An cadentem sustinuit? Absit: sed suscepit eum ab oculis carnalibus discipulorum, qui etsi Christum nouerant secundùm carnem, iam non nouerant.* Nubes igitur suscipiens Iesum ascendentem in cælum, non illi adiumento fuit, sed discipulorum bono seruiuit, vt discerent, nõ videre carnaliter Magistrum. Nihilominùs etiam ipsi Christo nubes illa deseruiuit ad triumphum, quod inde facilè coniectari possumus. Extollebat olim

Nubes Christo ad triumphũ seruiuit.

Plinius. Plinius Traianum Imperatorem in hæc verba: *Per hoc omne spatium cùm legiones ducerес, seu potiùs (tanta velocitas erat) raperes; non vehiculum vnquàm, non equum aspexisti. Leuis hic non subsidium itineris, sed decus, & cum cæteris subsequebatur, vt cuius nullus tibi vsus.* In hoc robustam virtutem Principis demonstrans, quòd nec vehiculis, nec equis vteretur, qui tamen Principem subsequebantur, non pro adiutorio, sed pro pulchritudine. Ita planè Christus Dominus non vehiculis, non curribus, non nubibus vtebatur pro adiutorio; sed pro pulchritudine: subsequebantur enim ascendentem nubes pro pulchritudine, & decore triumphi.

Ecce igitur habemus Christum in admirabili ascensione, supra omnes creaturas dignificatum esse, tum propter summam eius exinanitionem; tum propter permutationem diuinitatis pro vilissima humanitate. Quare dignificemus & nos cum triumpho ascendentem in dexteram Patris pro modulo nostro, humiliter postulantes, vt quamdiù hic viuimus, nos suâ prouidentiâ non deserat; post exolutum verò naturæ debitum, nos in cælestibus consedere faciat.

DIE PENTECOSTES.

Et apparuerunt illis linguæ dispertitæ, seditq; supra singulos eorum. *Actorum 2.*

Spiritus Sanctus venit ad nos in figura linguæ, tùm vt nos doceret vnanimitatem in dissemináda doctrina salutis. Tùm vt linguas nostras vaniloquio, & detractionibus corruptas reformaret in melius.

Ioan. 16. Romiserat Christus Dominus se missurum Spiritum Sanctum illis verbis: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*: ideo hodiè implet suam promissionem, vt se ostendat verum Deum ex adimpletione promissionis: quoniam promissiones Dei infallibiliter adimplentur. Nam sicut iuxta Diuum Paulum ad Hebr. 6.

Necessitas aduentus Spiritus Sancti.

Hebr. 6. impossibile est Deum mentiri, & fallere; ita impossibile est, eum non implere suas promissiones. Misit igitur Spiritum Sanctum, qui in spiritu vehementi descendit, tanquàm ignis, seditq; supra singulos Apostolorum. Et quæ necessitas erat, vt Spiritus Sanctus descenderet in mundum? Profectò, vt disponeret, & præpararet corda nostra, ad recipiendam totam Sanctissimam Trinitatem, vt docet ipsemet Christus Ioan. 14.

Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quippè Spiritus Sanctus facit nos templum Dei, B

1. ad Corint. 3. proclamante id Doctore gentium Diuo Paulo 1. ad Corint. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et eadem epist. cap. 6. v. 19. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Et ad Ephes: 2.

Ad Ephes: 2. *Et vos coædificamini in habitaculum Dei.* Primarium ergo templum Deus in hoc mundo voluit habere, Virginem sanctissimam, in cuius vtero conceptus requiesceret Christus. Propter quod à S. Paulo ad Hebr. 9. vocatur tabernaculum *non manu factum.* Quod exponens Dionysius Alexandrinus in epist.

Dionysius Alexand. contra Paulum Samosat. dicit: *Non in seruo habitauit, sed in sancto suo tabernaculo non manu facto, quod est Deipara: illic enim in ipsa* C *Rex gloriæ factus est Pontifex.* Altorum verò templum sibi elegit, fideles suos, iustè & sanctè viuentes, in quibus per gratiam sanctificantem inhabitaret. Mariæ igitur templum altiori modo consecratum esse, quàm nos, facilè quisq; ex aliorum

Ritus in cõsecratione templorũ. templorum consecratione coniiciet. Docet enim S. Bernardus serm. 1. in Dedicat templi, in templorum consecratione hunc ritum obseruari, vt inscriptæ in templi parietibus cruces oleo inungantur. Quod sanè ad spiritualia templa accommodatum, dùm oleum vulneribus curandis adhiberi solet, Isaiæ 1.

Isaiæ 1. v. 6. *Vulnus* inquit, *& liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Non obscurè indicat, nos per Christi crucem remissionem peccatorũ, atq; omnium vulnerum, tàm quæ à primo parente contraximus; quàm quæ nobismet ipsi sponte inflximus, curationem, sanitatemq; siue in baptismo, siue in alijs sacramentis percipere. Hinc Cantic. 1. de animabus à Christo redemptis

Cantic. 1. dicebat Sponsa: *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Euidenter ostendens, ideò Christum Dominum in sui amorem homines vehementiùs rapere, quòd se illis in vulnerum medici-

nam, velut oleum effuderit. Atque hac communi lege omnes in Dei templa consecramur; Maria verò singulari consecratione gaudet: & ideò de seipsa dicit Cantic. 1. *Dilectus meus mihi*: quasi diceret aliter ego ab alijs iustis in Dei templum consecror, quòd multò honorificentius erga me Christus meus se gesserit, non solum oleum gratiæ infundens, sed etiam ab originali labe singulariter præseruans. Dicitur autem tota SS. Trinitas in nobis manere, non solùm sicut Deus est in alijs rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam, conferendo illis aliquid, quod pertinet ad esse naturale eorum, vti est creatio, & conseruatio; verùm etiam per specialem gratiam Spiritus Sancti. Et tali modo est in hominibus iustis, vocando eos, iustificando, prædestinando, glorificando, quem modum Theologi vocant modum redeuntis ad Deum, quoniam creatura per illum redit ad Deum: nam per naturam exit, & per gratiam redit. Quemadmodùm docet Dionysius Areopagita in

S. Dionys. principio libri cælestis Hierarchiæ asserens, quòd opus Dei sit, conuertere ad se omne, quod replet: *Omnia* inquit, *à parte mota manifestationis luminum processio, in nos optimè ac largè prouenians, vt viuifica virtus nos replet, & conuertit ad congregantis partis vnitatem, & deificam supra simplicitatem.* Vnde, quia creatura rationalis, vt humana, & angelica, solùm est capax supernaturalis gratiæ, sine qua per vires naturales perfectè conuerti, & redire impossibile est, ideo Deus hominibus, & Angelis confert suam gratiam, vt ad illum per eam redeant, eò quòd sit principium, & finis omnium rerum, maximè verò hominũ, & Angelorum. Illud tamen admiratione dignum, quare Christus non ante suam ascensionem, sed post completos dies Pentecostes misit Spiritum Sanctum? Cuius hanc potissimam rationem inuenio: quia non debebat Spiritus Sanctus dari, antequàm Christus esset glorificatus, ascendissetq; in cælum, ad ostendendum, quòd Spiritus Sanctus ab illo procedat, & quòd ipse habeat potestatem mittendi Spiritum sanctum. Vt hinc cognoscamus vtrumque, & Patrem & Filium, eundem spiritum verè spirare. Quod non operosè deducitur ex Scriptura Sacra Ioan. 15. vbi Filius dicitur

Ioan. 15. mittere Spiritum Sanctum: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*: ergo Spiritus Sanctus etiam à Filio procedit. Nam missio in diuinis personis denotat

processio-

Maria præstantiori modo dicitur templũ Dei quam nos.

Deus in hominibus iustis est per specialem gratiam.

Spiritus S. cur ante Christi glorificationẽ non venit.

S. Gregorius. processionem, vt explicat S. Gregor. homil. 26. in Euangelia. *Missio* inquit, *Spiritus Sancti, est eius processio de Patre & Filio.* Et S. Hilarius. S. Hilarius lib. 8. de Trinit. dicit: *Spiritus Sanctus mittitur à Filio, quia esse ab illo accipit.* Et licet etiam ipse Christus dicatur Isaiæ 48. mitti à Spiritu Sancto Isaiæ 48. & 61. *Dominus Deus misit me, & spiritus eius,* hinc tamen non sequitur, Christum à Spiritu Christus secundum veramq; naturam dicitur mitti. sancto procedere; quemadmodùm sequitur Spiritum Sanctum à Christo procedere, ex eo, quòd ab illo mittatur. Quia in Christo duplex est natura, videlicet diuina, & humana; & secundùm vtramq; dici potest mitti: verùm secundùm diuinam mittitur à solo Patre, à quo solo procedit; at verò secundùm humanam, dici potest etiam mitti à Spiritu Sancto, imò & à seipso, vt subsistente in natura diuina, quæ missio fit per imperium. Cæterùm cùm in Spiritu sancto non sit duplex natura, ideo solùm potest dici mitti secundùm naturam diuinam, & consequenter quia naturam diuinam accipit per originem à Patre & Filio, verè dicitur ab vtroq; mitti, ac procedere. Hæc veritas definita est in Concilio Ephesino, in epist. totius Concilium Ephesinum. cilij ad Nestorium his verbis: *Nam spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, vnde & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit.* Similiter in Concilio Lateran. Sub Innocentio 3. cap. *Firmiter de summa Trinitate.* vbi dicitur: *Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab vtroq;.* Tandem in Concilio Florentino, decreto de Concil. Lateranen. Processione Spiritus Sancti, vbi post prolixas Græcorum disputationes, tandem veritas Fidei ab omnibus credenda, definita est hæc: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet à Patre, & Filio, & ex vtroq; æternaliter procedit.* Pugnant pro hac veritate zelosè sancti Patres: in primis S. Basilius. Basilius lib. 5. contra Eunomium in titulo cap. 8. *Imago* ait *vera, & naturalis Dei, ac Filij spiritus est.* Cùm autem naturalis imago necessariò debeat procedere ab eo, cuius dicitur imago, & in ratione talis imaginis inuoluatur relatio producti ad producens: ideò dùm S. Basilius tribuit Spiritui sancto rationem imaginis respectu Filij, euidenter supponit illum à Filio procedere. Quod magis adhuc confirmat idem S. Doctor in titulo cap. 11. Idem qui supra. vbi dicit: quòd *Sicut Filius ad Patrem se habet; ita & Spiritus Sanctus ad Filium.* Sed Filius refertur ad Patrem, tanquàm ab eo procedens: ergo iuxta doctrinam S. Basilij Spiritus Sanctus refertur etiam ad Filium, tanquàm procedens ab illo, cùm nulla alia relatio, habitudo, aut respectus fingi possit, secundùm quem ita se habeat Spiritus Sanctus ad Filium; sicut Filius ad Patrem, præter respectum producti ad producens. Ad extremum ratio fundata in principijs Theologicis hoc ipsum corroborat: quia omnia, quæ sunt Patris, sunt etiam Filij, vt sæpiùs docet ipsemet Christus, inquiens *Omnia* Matthæi 11. v. 27. *quæ habet Pater mea sunt: omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: præter esse Patris, vt docet Concil. Florentinum in decreto de processione Spiritus Sancti; proinde & virtus spiratiua est Filij: ergo & Spiritus Sanctus procedit à Filio. Consequentia manifesta: nam quemadmodùm virtus generatiua existens in Patre priùs ratione, quàm generetur Filius, reddit illum fæcundum ad generandum; ita pariter virtus spiratiua in Filio præexistens spirationi Spiritus sancti, debet illum reddere fæcundum ad spirandum. Præterea, quia quandò nominantur tres personæ Diuinæ, Spiritus sanctus semper tertio loco ponitur, quod signum est esse posteriorem filio secundùm originem. Vnde cùm Filius in eodem rationis instanti, quo producitur, habeat omnia, quæ sunt Patris, præter esse Patris, habet virtutem producendi Spiritum Sanctum, & ita Spiritus sanctus procedit à Filio. Dubium nihilominùs est, quare Spiritus sanctus in figura linguæ venerit ad nos, quod in hodierna concione, adiuuante eodem diuinissimo spiritu resoluere conabor.

Doctores Ecclesiæ sanctæ in doctrina Euangelij debent esse vnanimes. Duplici vt video de causa, Spiritus Sanctus in figura igneæ linguæ descendit in Apostolos. *Primò*, vt eos vnanimes redderet, edoceretq; proprium Doctorum Ecclesiæ sanctæ characterem esse, vnanimi inter se consensione, in dissemi-
nanda sacri Euangelij doctrina conspirare. Hinc à Domino Redemptore nostro, ad Euangelicam doctrinam disseminandam non singulos, aut ternos; sed binos discipulos missos fuisse legimus. Lucæ 10. *Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.* Vt scilicet charitatis, atque concordiæ typum, vbiq; secum ferrent. Atq; hac de causa de Doctoribus Ecclesiæ sanctæ frequenter sub duplicatorum membrorum imagine, in Canticis Canticorum locutus introducitur: puta oculorum, vberum, manuum, vt

Cantic. 4.

Cantic. 4. Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa in vno oculorum tuorum.* Vbi ex sententia Philonis Carpathij, & aliorum Patrum, de Ecclesiæ sanctæ Doctoribus loquitur Sponsus, quòd nimirum, sicut licet duo sint oculi, ob internam tamen vnionem, non duplicatas, sed singulas res videant; ita planè Christo Domino, spiritualium Ecclesiæ oculorum, id est Doctorum consensio est gratissima, quòd licet duo, imò & plures fuerint; non duas tamen, aut plures seorsim res, sed vnam vident. Quando de vno sensu, ac veluti palato, atq; sapore in mysterijs fidei enucleandis, doctrinaq; tradendâ, non solùm vnanimi consensione degunt, sed idem faciunt, docent, atq; loquuntur. Hoc monitum frequenter inculcat D. Paulus, Ad Rom. 15. Ecclesiæ sanctæ Doctoribus. Roman. 15. *Deus autem patientiæ, & solatij, det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundùm Iesum Christum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Quod ingeniosè exponit Philo Hebræus in caput quartum Canticorum sic loquens: *Ob id in vno oculorum, & in vno crine Sponsæ se vulneratum esse dixit; non autem duobus oculis, neq; multis crinibus, vt ne quid nisi spirituale totum esse intelligamus, sanctæq; concordiæ, & charitatis plenum.* De hac vnanimitate gloriabatur Doctor gentium, quòd cum suo Timotheo omnimodam tàm voluntatis, quàm sensus, & Ad Philippen. 2. iudicij consensionem haberet, ad Philippen. 2. *Neminem* inquit *habeo tàm vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.* Ibidemq; paulò inferiùs de eodem Timotheo addit: *Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut Patri filius, mecum seruiuit in Euangelio.* Trutinate verba: quid enim pater, & filius, nisi vnum caput, vnum os, idem velle, idem nolle designat? Quod si strictiore locutione delectari volueris: Quid filius, nisi Patris imago, & vmbra est, Ita planè Doctores Ecclesiæ sanctæ, necesse est, vt sint vnanimes, consenti-
entes in doctrina fidei, ne ex diuersa, & multiplici doctrina, Schismata in Ecclesia sancta exoriantur.

Arripite huius veritatis arcanum ex Apocalypsi S. Ioannis cap. 21. vbi dicitur: *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Quomodò obsecro, si singulæ portæ ex singulis margaritis, duodecim margaritis constare poterant? Enimuero si literam respicias, sermo in hoc loco fit de vrbe Hierosolymitana, cuius fundamenta, & portæ singulis lapidibus constabant, omniq; lapide pretioso or-

Apocal. 21. Quomodo singulæ portæ cælestes ex duodecim margaritis constructæ.

nata erant. Vt autèm spiritualem sensum, seu verius occultum mysterium retegam, per istas portas D. Augustinus in Psal. 86. intelligit Doctores Ecclesiæ sanctæ, ita loquens: *Quare sunt portæ, quia per ipsos intramus in regnum Dei.* Quid ergo necesse erat singulas portas singulis constare margaritis, & duodecim margaritas esse in singulis portis? nisi adeò sibi coniunctos, & copulatos Doctores Ecclesiæ sanctæ esse debere, vt duodecim portæ vna porta, & duodecim margaritæ, vna margarita, id est vna omnium vnio sit. Ita, vt licet in Ecclesia sancta sint multi Doctores, multi confessarij, omnes tamen inter se, & charitate, & doctrinæ vnitate sint coniuncti, atq; vniti. Hinc meritò disceptatur, quoniam Linguæ super Apostolis die Pentecostes apparentes nõ fuerũt plures, sed vna. in diuinissimi spiritus aduentu, singulæ linguæ super singulos appatuerunt Apostolos, fuerintne plures, an non? Et concors Doctorum sententia est, omnes eas linguas vnicam fuisse, nec pluralem in eis numerum formaliter, sed tantùm materialiter sumi debere. Quia licet plures numero fuerint Apostoli, eandem tamen doctrinam, vnomet spiritu ducti, non secus, ac si vnica omnibus lingua esset, docerent, ac loquerentur. Et hoc est mysterium, quòd Christus Dominus mittens Apostolos ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, Spiritum sanctum in ipsos, non in singulos separatim, sed in vniuersos vno halitu insufflauerit, Ioan. 20. *Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis; Accipite Spiritum sanctum.* Vt argumento esset, vnum, eundemq; spiritum, a quo linguæ omnes mouentur, ituris per vniuersum mundum dari, vt vnâ illis lingua, eadem animorum ac sensuum consensio ineesset. Ioan. 20.

Linguæ igneæ instar coronarum consederũt supra Apostolos. Quærunt hic aliqui, quomodò istæ linguæ igneæ, in quibus Spiritus sanctus descendit in Apostolos, consederint, supra ipsos: & respondet D. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 17. istas linguas igneas tanquàm coronas insedisse capitib⁹ Apostolorum. Quid causæ, quòd capita Apostolorum igneis coronis visibiliter resplenduerint? Ratio hæc videtur esse, quia oportebat pulchro, & glorioso ornamento virtutum illos vestiri, qui initiabantur, vt populos afferrent Christo. Sic censet D. Cyrillus Alexandr. in Ioëlem cap. 2. *Oportebat enim* ait, S. Cyrill. *oportebat Ecclesiæ mystagogos, & orbis terrarum magistros futuros, etiam ante alios dono Spiritus sancti coheonestari & veluti quoddam ornamentum per fidem in sanctificationem ab initio factos, diuinâ*

uinâ & cæleſti gratia inaurari. Meritò equidem: ſi enim Scriptura ſacra refert Labanum, ad tradendam ſororem ſuam Iſaaco, externis muneribus allectum fuiſſe. Geneſ: 24. *Cumq; vidiſſet Laban inaures, & armillas, in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis, venit ad virum, qui ſtabat prope fontem aquæ.* Ita planè, vt Apoſtoli ſancti, ad fidem Chriſti allicerent populos, linguis diſpertitis, tanquàm coronis ornari debebant: quia plurimum valet extrinſecus Eccleſiæ ornatus, ad lucrandas hominum animas. Si enim pulchritudo arboris in paradiſo allexit mulierem ad guſtandum fructum, Gen. 3. *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile: & tulit de fructu eius.* Quantò magis in Eccleſia ſancta plantæ, id eſt, Doctores debent aſſurgere ad fructificandum, vt ſint oculis aſpicientium pulchræ, & multo virtutum decore exornatæ. Quod ingeniosè tetigit S. Bruno libr. de laud. Eccleſ: cap. 8. *Bonæ* inquit *arbores paradiſi, quæ & pulchræ ſunt viſu, & ad veſcendum ſuaues. Tales arbores gignit Eccleſia ſancta, quarum pulchritudinem, & religionem nos legere, & audire delectat; quarum verbis, & doctrinâ noſtræ mentes nutriuntur, & reficiuntur. Talis arbor B. Paulus, qui & viſu tam pulcher eſt, vt nihil ſibi conſcium ſit.* Pulcher erat D. Paulus quia omni decore virtutum ſplendeſcebat ornatus, quem debent imitari omnes, qui in Eccleſia ſancta veri Doctores eſſe cupiunt.

Conſedit profectò hodiè Spiritus S. in capitibus Apoſtolorum ſub figura linguæ, tanquàm aureæ coronæ, vt hinc addiſcamus, neminem in cælis coronandum, niſi cuius lingua veram diuinitatem benedicit, & confitetur: ſiquidem uera diuinitas maximè lingua benedicente exprimitur. Cuius certum documentum ſumitur ex ſacra pagina, Geneſ: 32. quando Iacob luctabatur cum viro, quærebat luctatoris nomen, vt inde perſonam ſciret: *Dic mihi quo appellaris nomine.* Luctator non explicuit nomen, ſed benedictionem impertitus eſt, reſpondens: *Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco.* Et cur nominis loco potiùs maluit benedicere? Audite myſterium: Luctator ille Dei Filius erat, ideo abſtinuit à manifeſtatione ſui nominis, benedictionibus autem imprecandis incubuit: quia diuinitas nullo nomine ita exprimitur; quemadmodùm lingua benedicente. Vnde & ipſe Chriſtus Dominus ſuam doctrinam à benedictionibus exorſus eſt. Matth. 5. *Aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu.* Ex quo Tertullianus libro 4. in Matth. conuincit, Dominum Ieſum Filium eſſe ſummi creatoris, ita diſcurrens: *Vento nunc ad ordinarias ſententias eius, per quas proprietatem doctrinæ ſuæ inducit ad edictum Chriſti: Beati Pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Tam hoc ipſum, quod à benedictionibus cœpit, creatoris eſt, qui vniuerſa prout edidit, nulla alia voce, quàm benedictionis dedicauit. Eructauit inquit cor meum ſermonem optimum. Hic erit ſermo optimus, benedictionis ſcilicet, qui & noui teſtamenti initiator agnoſcatur de veteri exemplo.* Ex voce igitur benedictionis Dominus Ieſus cognoſcitur eſſe noui teſtamenti mediator, Dei creatoris, Dei inquam antiqui Filius, quaſi non poſſit non putari diuinitas, quæ os benedictionibus adiunctum habet. Quoniam lingua humana eſſe deſinit, & tranſit in ſortem diuinam, quando loquitur benedicens, ita vt nullum ſit euidentius diuinitatis inhabitantis ſignũ, quàm lingua benedictiones ſonans. Cognoſcite hanc veritatem in Zacharia Ioannis Baptiſtæ parẽte, qui interrogatus de pueri nomine, Lucæ 1. poſtulans pugillarem ſcripſit, *Ioannes eſt nomen eius.* En ecce ſtatim lingua eius ſoluta eſt: *Apertum eſt autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.* Vbi quidam interpretes putant, Zachariæ linguam iam tunc non fuiſſe humanam, ſed diuinam. Quod non tàm colligunt ex miraculo, quòd lingua eius cùm fuerit ligata, & muta, ipſa ſe expedierit, & loqui cœperit; quàm potiùs ex eo, quòd Zacharias loqueretur benedicens Deum. Ita Origenes lib. 9. in Lucam. *Statim* inquit, *vt ſtylus impreſſus eſt ceræ, lingua, quæ priùs fuerat vincta, laxata eſt, recepit eloquium non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius. Humana tamen fuit: vinxerat enim eam incredulitas, ſtatim vt ſoluta eſt, humana eſſe deſijt: & loquebatur benedicens Deum.* O felix lingua, quæ Deum benedicit, quoniam certiſſimum eſt diuinitatis inhabitantis argumentum.

Venit præterea Spiritus ſanctus in figura linguæ, vt reformaret linguam noſtram, quæ eſt vniuerſitas iniquitatis. Quid eſt enim lingua hominis? niſi odij artifex, maleuolentiæ officina, gloriæ nubilum, famæ venenum: & ideò nouaculæ aſſimilatur Pſalm. 51. *Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolum.* Quaſi diceret Prophetа: ſicut nouacula, quæ præter expectationem

Lingua Deũ benedicens in cælis coronatur.

Matth. 5.

Tertullian.

Christus ex benedictionibus cognoſcitur Dei Filius.

Lucæ 1.

Lingua Zachariæ quomodò diuina, & humana dicatur.

Pſal. 51.

Lingua nouaculæ ſimilis.

tionem aberrat, ſecans carnem, aut iugulum, loco capillorum, & barbæ; ita homo perniciosus fallit, ita celeri fraude, & præter opinionem atrociter lædit. S. Auguſtinus profundè contemplans nouaculæ vſum, qui eſt ſuperflua reſecare, atq; ſic exornare, ad potentes mundi, & inferiorum oppreſſores id muneris flectit. *Quare* inquit, *dolum potentiæ, malæ nouaculæ comparauit? quia non admittitur niſi ad ſuperflua noſtra.* Sicut igitur nouacula capillos; ita auari oppreſſores, facultates & opes, (quæ crinium inſtar hominem adornant) abſumunt, & miſeros homunciones depilant. Profundiùs adhuc Diuus Ambroſius lib. 3. offic. cap. 11. citatum Pſalmi locum exponit, *ſicut nouacula feciſti dolum,* in hunc modum diſcurrens: *Nequitiæ* inquit, *arguit proditorem, eò quòd inſtrumentum huiuſmodi ad hominis adhibetur ornamentum, & plerumq; vlcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat proditoris exemplo, iſtius comparatione cenſetur, quòd ebriæ mentis, ac titubantis vitio manus vulnerare conſueuit.* Quid verius? nouacula adhibetur ad ornatum, quòd ſi dum munus ſuum obit, per imprudentiam exerrauerit, graue infligit vulnus; tantoq; grauius, quò ornatum quærens ictum inuenerit. Ita planè lingua ad hominis adhibetur ornatum, verùm ſi à ſcopo ſuo aberret, illumq; proditoriè vituperet, ſicut nouacula acuta facit dolum, & deerrans à ſuo fine, grauiùs fauciat: quia ſicut nouacula inſenſibiliter ſecat.

Vt hinc diſcamus, linguam meliorem, & ſimul deteriorem eſſe partem. Si enim ad laudes ad veritates ſe mouet, bona; imò optima pars hominis cenſetur eſſe. Si verò ad calumnias, & detractiones, peſſima. Vnde cùm Rex Ægypti victimam ad Pittacum miſiſſet, monens, vt optimam, peſſimamq; carnem victimæ auferret, linguam præſcidit, & Regi victimam offerenti remiſit, vt hoc facto ſummorum bonorum, ac grauiſſimorum diſcriminum fontem eſſe, linguam demonſtraret, quæ non rarò alienam famam adureret. Auctore Plutarcho lib. de garrulitate, vbi ſic refert: *Pittacus, cùm victimã ei Rex Ægypti miſiſſet, præcepiſſetq;, vt optimã, & peſſimam carnem auferret, victimam excisã remiſit linguâ, quòd tàm bonorum ea; quàm malorum organum ſit ſummorum.* Equidem ſumma mala è linguæ oriri peruerſitate dubium non eſt: propter quod licet manus valeat hominẽ occidere, ac trucidare; non duas tamen illi linguas; ſed duas manus artifex naturæ conceſſit. Hinc ad inuehendam confuſionem, non exacutos, leoninoſq; mutuatus eſt vngues, ſed ſerpentinam linguam induit, per quam omnia humanæ gloriæ fundamenta ſubuertit. Quocirca licet Chriſtus Dominus mortem moriendo viciſſet; nondum tamen noſtra felicitas cumulatiori reſplendebat fortunâ, quoaduſq; diuinus ſpiritus cæleſti linguam poſſedit flammâ: vt iam linguæ venenum eximeret, quò humana felicitas ſecurior, & felicior reſplenderet, teſte ſacrâ paginâ, Actor. 1. *Factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquàm aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis.* En vltimum felicitatis complementum, lingua cæle i ardore poſſeſſa, & ab omni veneno murmurationis remota manſit. *Exemptum eſt,* inquit Septimius, *linguæ venenum.* Quibus verbis argutè oſtendit, linguam eſſe venenatam: quia non ſolùm vitam abſcindit, verùm etiam famam non rarò adurit; cùm autem apud magnos viros pluris æſtimetur famæ elogium, quàm vitæ augmentum, ideò plùs verentur linguæ maleuolæ veneno obſcurari; quàm violento ferro præcidi. Hinc odibiliores ſunt, minuſq; commiſeratione digni, nominis gloriam innubilantes; quàm vitam corporis auferentes. Accipite hanc veritatem ex Sacra Scriptura Ioſue 20. vbi dicitur: *Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus ſum ad vos per manum Moyſi, vt confugiat ad eas, quicunq; animam percuſſerit neſcius.* Ecce homicidis cælitùs prouiſa ſunt ciuitatum remedia; venenatis autem linguis nulla decreta ſunt aſyla, quaſi in detrimentum pietatis vergat, iniquæ linguæ durationi prouidere remedium; pietas autem occidenti per errorem dexteræ prouidenter quærat auxilium. Vt ingeniosè obſeruat Abulenſis q. 3. *Si* inquit, *alius alium infamaſſet, ita vt timeret mortem, non poterat confugere illuc, vt euaderet, nec proderat ſibi quidquam huiuſmodi ciuitas.* Optimè equidem: dignum quippè eſt, vt ſanguinem per errorem effundens, commiſerationem mereatur, & immuni ciuitate recipiatur; qui autem pretioſiorem famæ ſanguinem linguæ gladio effundit, ciuitatem, quá recipiatur non habeat.

Vnde, non immeritò vitam, & mortem hominis in manibus linguæ poſitam eſſe, poſſumus affirmare. Plerumq; enim vnico etiam verbo æternam ſalutem aucupamur. Sic quondam pijſſimus Rex Dauid, de grauiſſimis adulterij, & homi-

E cidi,

Lingua & melior & deterior pars.

Auguſtinus.

Ambros.

Plutarchus

Actor. 1.

Septimius.

Abulenſis.

Ioſue 20.

Vita & mors hominis in manibus linguæ.

cidij facinoribus, à Nathan propheta Dei nomine admonitus, humili confessione dicens: *Peccaui Domino*, statim veniam meruit, respondente Nathan: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum à te: Non morieris.* 2. Reg. 12. Ecce mortis æternæ antea reum, maximis animi turbinibus, ac fluctibus in miserrimum naufragium euntem, iamque ad gehennæ scopulos appellentem, temonem subinde linguæ paululum immutantem, versâ in paradisum prorâ, velut nauim saluam, ac incolumem in portu collocauit. Audite Eucherium Lugdunen. ingeniosè hac de re discurrentem: *Velox* inquit *confessio, velocior medicina, facto peccauit, verbo pœnituit: annuit Deus, & sanitas redijt.* Quod magis exaggerat D. Augustinus homil. 41. ita loquens: *Dauid grauiter increpatus est; post comminationes Dei terribiles exclamauit, dicens: Peccaui, & mox audiuit: Dominus abstulit peccatum tuum. Tantum valent tres syllabæ: tres syllabæ sunt, peccauit: sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cælum.*

Eucherius Lugdunen.

S. Augustin.

Videte pariter mortem in manibus linguæ, vnico etiam verbo omisso, animæ illatam. Infelix ille ad regias nuptias sine veste nuptiali, nimirum absq; cultu, & splendore decenti, temerario ausu introierat, Rege ipsum benignè admonente: *Amice quomodò huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. Versio autem Syriaca legit: *Socie mi, quomodò huc ingressus es, non habens vestimenta conuiualia?* Obmutuit. Hinc eius misera perditio subsecuta est: *Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Et vnde obsecro tantam iram, tamq; dira supplicia promeruit? An, quòd vestem nuptialem non habuerit? minimè: quippè licet inurbanus, & delicto obnoxius; amicus tamen, & socius à Rege vocabatur, quasi bonus Princeps, mali inurbaniq; conuiuæ amicitiam, & societatem ambiret. Cur ergo in tenebras exteriores missus est? Ideò certè, quòd Rege eum non secus, quàm Dauidem criminis arguente, vt sic admonitus peccatum fateretur, illudq; efficax, & salutare verbum proferret, *Peccaui*, ipse præmalo pudore sermonem compresserit, noxiumq; linguæ iniecerit frænum. *At ille obmutuit.* Ob prauum igitur silentium, noxiumq; pudorem, quòd peccati confessionē recusauerit, ita durè punitus est. Quod ingeniosè Galfridus ponderat in allegorijs Gotfridi Tilmani in c. 22. Matt. vbi dicit: *Sed considerandа est diligentiùs hu-*

Matth. 22.

Inuitatus ad nuptias cur in tenebras exteriores missus.

Galfridus.

ius Regis, & maiestas etiam incomprehensibilis, & dignatio amabilis, & indignatio valde terribilis. Maiestas, quâ penetrat omnia, vnuersa discernit. Dignatio, quâ ante iudicium ad pœnitentiam prouocat, dùm misericorditer conuenit, quem reum inuenit. Indignatio, quâ eundem tacentem tenebris addicit, & supplicijs. Et paulò inferius id ipsum ad nostros informandos mores accommodat in hunc modum. *Et nunc charissimi multos hodiè conuenit Rex ingrediens, aut per hominum linguas, aut per sacras Scripturas, aut per suggestiones internas. Quoties enim homini peccata sua indicat, qui ipsius promissa sperat, idem est, ac si dicat, Amice quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem.*

Eleuate altius vestrum intellectum, & vitam atq; mortem in manibus linguæ positam esse animaduertite. Peccauit immaniter primus parens, cibum vetitum edens in paradiso. Peccauit quoq; atrociter Cain, fratri suo diram necem inferens. Singulis obuiam sigillatim Dominus prodijt, Adam vocans: *Adam vbi es:* Genes. 3. Cainum verò similiter alloquens: *Vbi est Abel frater tuus.* Genes. 4. Quid hoc est? Num forsan locum vbi Adam, & Abel essent, seu facinus ab vtroq; perpetratum ignorabat Dominus? Minimè equidem: sed quia illis interrogationibus eos, qui peccati conscientiâ delitescebant, in sui conspectum cupiebat euocare, vt vitâ atq; morte in manibus ipsorum linguæ positis, si peccata confiterentur, veniam obtinerent, si verò negassent, damnationem subirent. Profundè id pensitante Tertulliano in Marcionem: *Stulte qui tantùm argumentum diuinæ maiestatis, & institutionis vanè agit. Interrogabat Deus, quasi incertus, & hinc liberi arbitrij probans hominem in causa, aut negationis, vt daret ei locum sponte confitendi debitum, & hoc nomine releuandi: sicut de Cain scisitatur, vbinam frater eius, quasi non iam vociferatum à terra sanguinem Abelis audisset; sed vt ille haberet potestatem ex eadem arbitrij potestate sponte negandi delicta, & hoc nomine grauandi, atq; ita nobis conderentur exempla confitendorum potiùs delictorum; quàm negandorum, vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina. Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis.* Matt. 12. Ergo vita, & mors, salus & damnatio, de manibus linguæ pendent.

Genes. 3.

Genes. 4.

Tertullian.

Matth. 12.

Quis hoc non videt? lingua quippè filios Dei, aut filios diaboli designat: cuius manifestum documentū habemus in sacris literis, in quibus viri illi, qui adducti erant contra Naboth, Filij diaboli vocantur 3. Reg. 21. *Et adductis duobus viris, filijs diaboli, fecerunt illos sedere contra eum.*

3. Reg. 21.

At illi

At illi scilicet vt viri diaboli, dixerunt contra eum testimonium, coram multitudine. Neq; mirum, quòd illi viri, dicantur filij diaboli, quandò contra innocentem Nabothum constituti, in eum contorquere linguam ausi sunt, dùm multa falsa & iniqua calumniosè contra eum dicerent. Quoniam ex malignitate, aut bonitate linguæ innotescit, quis sit Dei, & quis diaboli filius. Nam Apocalypsis 13. de bestia magna dicitur: *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.* At verò de Domino Iesv Christo Matth. 5. dicitur: *Et aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu.* Componamus iam Filium Dei, & filium diaboli: agnum innocentissimum, & bestiam sanguinolentam: vterq; aperuit os suum, vterq; locutus est: sed filius diaboli loquebatur blasphemias, Filius Dei beatitudines. Quod ingeniosè notat Rupertus lib. 8. *Omnia* inquit *illius contraria sunt eis, quæ de Christo dicuntur. Primò, quòd datur illi os loquens magna, ori Christi contrarium est. Et hic quidem in blasphemias in Deum illud os magniloquum aperiet: Iesus autem in confessionem, & in laudem Dei os suum aperiet. Item ille non solùm nomen Domini, sed & eos, qui habitant in cælo, blasphemauit: Iesus autem non solùm Deo Patri, Domino cæli & terræ confessus est; sed eos, qui in cælis habitant, & habituri sunt, honorificauit, sicut in Euangelio scriptum est: Aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu.* Ponderate, quàm diuersa sonet lingua Filij Dei, & lingua diaboli: hæc blasphemias in Deum, illa laudes Dei sonat: hæc dehonestat etiam sanctos, illosq; multis calumnijs tentat dedecorare: illa etiam pauperculos honorificat, & in cælum euehit. Pulchrè hanc linguarum differentiam expressit S. Iudas Apostolus, in sua epistola Canonica loquens: *Cum Michaël Archangelus, cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus. Hi autem quæcunq; quidem ignorant, blasphemant.* Ecce Michaël filius Dei altercans cum diabolo, non est ausus aduersùs illum malum, & acre verbum dicere; homines autem maleuoli tanquàm filij diaboli, non cessant aduersùs Deum, & proximum blasphemias fulminare.

Apocal. 13.

Matth. 5.

Rupertus.

Epistola Canonica v. 10.

Quod si scisciteri volueritis, quomodò ex lingua filius Dei, & filius diaboli cognosci possit? Lydium lapidem ad probandum accipite, quando lingua cum mente concordat, filium Dei ostendit. Hoc signum assertor nostræ salutis dedit suis discipulis Matth. 5. dicens: *Sit sermo vester: est, est: non non.* Et cur hac affirmationis, seu negationis conduplicitate, *est est: non non*, vsus fuerit Dominus, cùm altera nec ex re, nec ex vsu sit? Quis enim de re aliqua interrogatus, sciret, v. g. an non sciret; vidisset, an non: respondere solet, *non non*, vel *est est*; sed tantùm simpliciter *est*, aut *non est*? Respondet Rabanus: *Ideò dicitur bis est, est; siue non, non ita est, vt quod ore affirmes, operibus probes, & quod verbo negas, factis non confirmes.* Quasi clariùs diceret: ideò tibi præscribitur, vt bis dixeris est est, siue non non: vt externæ affirmationi, aut negationi tuæ, alia affirmatio, siue negatio interiùs respondeat, & quod ore sentis, intùs loquaris: nec aliud animo, aliud fronte geras. Hoc licet adhuc gentilismi tenebris obuolutus Cicero probè agnouit, qui libro 2. de finibus ita monet: *Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quò grauior viderēre, non esses tui similis: verba si fingas, & ea dicas, quæ non sentias, aut etiam vt vestitum, sic sententiam habeas: aliam domesticam, aliam forensem, vt in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur, vide quæso rectumne sit.* Ergo quando lingua cum mente concordat, talem hominem Dei filium esse ostendit.

Rabanus.

Cicero.

Lingua filij Dei, & filij diaboli multum differe. pant.

Quod si aliud fronte, aliud ore geras, aliud verses in corde, non Dei, sed filium diaboli lingua tua te prodit, quia mala lingua diaboli sedes est, & inferno cognata; ita vt inter gehennæ flammam, ac venenosam linguam, vix vllum discrimen reperias, cum vtraq; dæmonum sit, & instrumentum ad perdendos homines, vt eleganter docet S. Chrysosthomus homil. 52. in Matthæum. *Regius quidem equus est lingua nostra, si ergo ei frænum immiseris, ascendet in eum Rex, & quiescet in eo: si autem nullo fræno domueris, sed huc, atq; illuc insirenem tractare permiseris, diaboli eam vehiculum feceris.* Ex quo enim rupto fræno lingua virus diffundit. Statim diaboli apparet sedes, inquia velut in proprio, & natiuo solo dæmon requiescit. Equidem inter linguam, & cor, magnum humanæ conuersationis geritur sacramentum; sed inter prudentes huius sæculi, veriùs dixerim astutos, & dolosos, nihil tam longo interuallo distat. Iam enim hodiè frequentatum est, aliud corde abscondere, aliud ore promere, vt mens ori respondeat, inter viros numerari vix, aut ne vix quidem merearis: neq; aliâ certius viâ, pectori concredita scies, quàm si tacitus tecum cogites, quid aduersetur verbis. Non rarò videbis aliquem prolixè omnia spon-

Mala lingua sedes diaboli.

S. Chrysost.

Apud modernos politicos aliud est in ore, aliud in corde.

dentem, opulentisq; verbis promissa diuitantem, & vltrò operam suam deferentem; sed longè diuersa experieris: licet enim amicum ore referat; hostem tamen animo circumfert. Et licet amicos dederit amplexus, & infra genua sese inflexerit, scito Iudæ, & Ioabi oscula verbis animum metiri, non factis. Dissimilis certè apud malevolos homines est cordi frons, cognatum eis vrbanè loqui, & dolosè insidias struere, datam fidem fallere, mille licet iuramentis firmatam, elegantiæ quoddam genus apud ipsos est. Si quispiam veris assuetus compareat, simplicioris est ingenij, & semel totus videtur, inter fatuos computatur, & incrudito censetur ingenio. O tempora! ô mores! Infortunata est candidior veritas; verum mendacio sua non deest fortuna.

Congenita equidem hominibus libido, eos maximè his temporibus ad maledicentiam instigat, qui est velut arcanus quidam humanitatis character, & vitiatæ naturæ nævus, totum hominem deuenustans, dùm fraudibus, & dolis proximùm circumuenire, falsisq; detractionibus famam eius denigrare non verentur. Sic quondam Principes Sacerdotum, & scribæ populi: *Miserunt obseruantes insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent Iesum in sermone.* Lucæ 20. Quod profundè trutinans Chrysologus serm. 31. ait: *Verè sicut scriptum est, progenies viperarum submittebant capita, adulabantur linguâ, vulnera dabant dolu, blasphemijs venena fundebant, & quasi non sufficeret ad odium contemptus, despectus ad iniuriam, sic Christum prosequebantur insidijs, tentabant dolu, interrogatione pulsabant, appetebant contumelijs, & tota cupidi simulatione vellabant: obijciebant curandos in sabbatho, vt si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus; de lege maneret calumnia, si curasset.* En quanta malitia, ore amicitiam simulare, & corde hostilia moliri, quod his temporibus supramodum increbuit. Plerique enim inueniuntur, qui dispertitarum linguarum miraculum à Spiritu sancto diuinitùs patratum improbè æmulantur, dum aliâ, & aliâ linguâ à seipsis discrepantes, loquuntur. De quo ingeniosè Galfridus in allegorijs Gotfridi Tilmani. *Pessimè* ait *nonnulli diuinum miraculum æmulantur, vt dispertitas linguas, vt ignem accepisse videantur. Diuinus siquidem ignis non scandalo vrit, sed amore magis accendit; inflammatio autem gehennæ vrit, linguas malè dispertiens, vt quisq; nostrum suâ cuiq; linguâ, & quasi nunc græcè, nunc hebraicè, nunc latinè loquatur.* Verùm quis poterit coërcere effrenes vituperonum linguas? quis oppilabit curiosas vulgi aures, quas obmurmurationis libido malè dulci voluptate titillat? ecquis sistet serpentem, hanc humanæ malitiæ pestilentiam latè grassantem, & proborum etiam famam atrociter depopulantem.

Vnicum duntaxat, vt video remedium, contra pestem hanc malitiosam superest, nimirum illius contemptus, vt docet Seneca lib. de vita beata cap. 26. inquiens: *Nullam mihi iniuriam factus, cùm mihi detrahitur; sed ne dijs quidem, his qui aras euertunt: sed malum propositum apparet, malumq; consilium, etiam vbi nocere non potuit. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodùm Iupiter optimus maximus ineptias Poëtarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit, & obnoctantem; alius sæuum in Deos, alius iniquum in homines, alius ingenuorum corruptorem, & cognatorum quidem. Quibus nihil aliud actum est, quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, si talem credidissent.* Ingenium hoc malitiæ est, in malos pariter ac bonos, obtrectatorũ linguas exacuere, vt confusanea indifferenter malitia, pudore malitiæ homines eximat. Iam nec Deus ipse in suæ diuinitatis solio tutus est ab his, qui posuerunt in cælum os suum; & inde lingua eorum transiuit in terram, hominum proborum innocentiam culpans, impudenti obmurmurandi licentiâ. Contemptus igitur & patientia, optimum contra detractionem remedium. Audite patientem Iobum c. 5. *Flagello* iuquit *linguæ absconderis, & non timebis calamitatem, cùm venerit.* Vbi flagellum linguæ, vocat linguam nequam, calumniãtem, vituperantem, obtrectantem, maledicentiæ aculeo venenatam; à qua etiam ipsa innocentia vapulat. *Haud leue est,* ait D. Chrysostom; *imò verò magnum, eum posse iuuante Deo hominem effugere, qui nihil boni vnquam loquatur: linguâ enim nihil improbius; quibuslibet insidijs, quolibet ense immanior, atq; intolerabilior.* Ergo etiam iuuante Deo, magnum est, aliquem effugere sæuam obtrectatorum maledicentiam.

O quàm impotenter maledicorum lingua in bonos grassatur, probos quosq; proscindit, & lacerat, vt etiam iuuante Deo, præstabilius remedium sit, fuga, & latebra. Imò quia nec ibi satis tutus eris à maledicæ linguæ insidijs, totus patientiæ armis obdurandus es, & prudenti neglectu roborandus, vt eius minas negligas, vt eius ictibus rupeâ patientiâ obsistas, Fatigetur improbitas illius patientiâ nostrâ, nostroq; neglectu sentiat aduersa-

Chrysolog. — Lucæ 20. — Galfridus. — Seneca. — Impostura Ioui à pœtis imposita. — S. Chrysost. — Detractio contemptu & patientia vincitur. — Iob. 5.

aduersarius casso vulnere è maledicentiæ pharetra perperam tela vibrasse. Hoc consilium dat Regius Vates Psal. 30. qui nimiùm exacerbatus, dùm se lacerari videret inhonestis rumoribus, quos vituperonum linguæ spargebant, clamabat ad Dominum: *Erubescant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersùs iustum iniquitatem, in superbia, & abusione. Perfecisti eu, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Psal. 30. v. 18. Et quidnam tale perfecerit Deus, vt à maledica lingua iustos liberet? Respondet Psalmista: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum: protèges in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Palam faciens à contentiosa linguarum maledicentia absondendos iustos in diuinæ faciei abscondito, vt, si vel diuina facies satis tutum asylum non sit, cui nõ parcat sacrilega vituperonum temeritas; saltem latebras offerat, quibus iusti à maliloquio interim abscondantur. Sed quod est obsecro illud Dei tabernaculum, in quo iustos à contradictione linguarum protegendos affirmat Prophetа? Equidem non aliud, nisi contemplatio sacratissimæ Christi passionis, profundè id enucleante, Hugone: *Proteges* inquit *eos, in tabernaculo tuo, id est, in contemplatione humanitatis, & passionis tuæ, à contradictione linguarum; vt detrahentes, & contraducentes patienter feramus, exemplo illius, qui in factis habuit obseruatores, in dictis contradictores.*

Psalmo 30. — Procopius. — Hugo. — Exodi 4. — Cassiodor.

En, quantum virus in calumniatrice lingua, vt nec in diuinæ faciei, absconditò satis tutus, quis esse possit ab eius infectione. Quia vt docet Cassiodorus lib. 7. epist. nulla potestas est, quæ qualitatem famæ suæ de ore hominum possit auferre.

Hoc ergo grande malum prævidens Saluator noster, mittit hodiè diuinissimum spiritum, vt linguas hominum à pestifera detractione coërceat, cùm hoc solius Dei omnipotentis opus sit, Authore Procopio super cap. 11. Genes. *Creatoris* inquit *est, nouas formare linguas, Spiritus Sancti opus est, linguas mutare, vt discamus Apostolorum exemplo, quibus donum linguarum obtulit sub specie ignis.* Venit igitur hodiè diuinissimus spiritus ad nos in figura linguæ, tùm vt nos vnanimes reddat: tùm vt linguas nostras reformet in meliùs; quemadmodùm ipsemet promisit, Exodi 4. *Ero in ore tuo, docebo te: quid loquaris.* Septuaginta legunt: *Aperiam os tuum, & instruam te.* Quare tàm desideratum hospitem cum omni humilitate suscipientes, postulemus vt auferat omne venenum de linguis nostris, vt non mendacia, sed veritates; non vana mundi, sed Dei laudes loquantur. Quoniam hominis est, animam præparare, & Domini gubernare linguam Prouerb. 16.

DIE SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Ioan. 6.*

Enumerantur octo potentiæ, seu miracula Dei, in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento manifestata, & ostenditur quanta præparatio ad eius sumptionem necessaria sit.

Præuidens Regius Vates in Domino augustissimũ Eucharistiæ Sacramentũ, meritò exclamauit Psal. 105. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius.* id est, vt exponit Genebrardus Theologus Parisiensis: quis poterit explicare potentissimos Dei effectus, qui ab vnica Dei potentia procedunt. Vbi censet per potentias Domini significari admiranda, & fortia Dei facta, quibus populum suum liberauit, & muniuit. Iusta equidem admiratio: quomodò enim caro Christi verè cibus esse dicitur? quoniam licet caro, & sanguis Christi reapsè, ac verè in Eucharistia à nobis sumantur; non tamen ideò verus dicetur cibus, quòd verè manducetur, siquidem multa verè manducari solent, quæ mortem potiùs, quàm vitam manducantibus afferunt: Nam vt noxios cibos præteream, verè illud à Plinio lib. 26 cap. 8. dictum esse censeo. *Plurimum homini negotij, aluus exhibet, cuius causa maior pars mortalium viuit, alias enim cibo non transmittit, alias non continet, alias non capit, alias non conficit, eoq; mores venêre, vt homo maximè cibo pereat.* Nihilominùs verè cibus dicitur caro Christi, quia veri cibi naturam, & conditiones ab Aristotele lib. 1. de Generat. cap. 1. assignatas habet. Verè enim depellit famem, nutrit animam,

Psalm. 105. — Plinius. — Caro Christi veri cibi cõditiones habet.

animam, & quod deperditum est, restau- A rat, vt docet Euthymius in Matthæum cap. 64. inquiens: *Verè cibus, id est, aptissimus, vt pote animam, quæ propria hominis pars est, nutriens.* Comprobat S. Basilius in caput 3. Isaiæ sic loquens: *Quemadmodùm enim corpora nostra conualescunt, ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum: ita quiddam est, quod consentaneè pascit animam, eiq; suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est? nimirum, quòd dixerat Dominus: quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* O bone Deus lethalissimæ hominum fami, de carne tua, & sanguine prouidisti remedium? cùm in B carne tua, & sanguine multa ab hominibus mala perpessus sis. Ne miremini: ideò enim per hæc ipsa, voluit malefactoribus remedia procurare, & multa bona referre; quia in illis inenarrabilia mala perpessus est. Hinc de carne Chri-
Euthymius. sti dicebat D. Augustinus in Psal. 33. *Nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est.* Ecce idem, quod fuit susceptiuum tot iniuriarum, factum est medium, per quod multa ad nos bona descendunt, vt de sanguine dicit idem S. Doctor in psalm. 65. *Homicidis donatus est fusus sanguis innocentis, & ipsum sanguinem quem per insaniam fuderant, per gratiam biberunt.* San- C guis ergo fusus per iniuriam, gratias profusoribus infudit. Idcircò dicebat An-
Matth. 28. gelus mulieribus, Matth. 28. *Scio quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum, in quo positus erat.* Mulieribus inquam Christi resurrectionem annuntiabat, simulque eas vocabat, vt viderent sepulchrum, & inde acciperent spem vitæ. Cur obsecro Angelus eas vocauit, vt viderent sepulchrum? cur in die lætitiæ tantæ, eas inuitauit ad videndam sedem mortis, & tristitiæ? Quia nimirùm, quidquid mortis, & sepulchri in Deo fuit, agnoscerent fœminæ culpam fuisse; ideoq; illas iuf- D sit appropinquare malo, quod intulerant, vt inde ex Deo venientia bona reciperent, cuius est, per illa mala acce-
Chrysolog. pta, bona refundere. Ait Petrus Chrysologus serm. 80. *Venite mulieres venite: Videte vbi Adam posuistis vos: ibi sepelistis hominem: ibi virum vestro consilio contrusistis, per quod fecistis pro seruo ipsis Dominum sic facere: & intelligite erga vos tantam magnitudinem veniæ, quanta fuit iniuriæ Domino magnitudo.* An certè non magnam veniæ magnitudinem Christus in Sacramento Eucharistiæ nobis præstitit? per quod ingloriosa mortis, titulos sustulit. Cùm enim patulo ore, & inexplebili ingluuie mors in omnium corpora inhiaret; corpus Christi suaproiecit voragine, & comedens corpus corruptionis alienum, ab homine mortalitatis titulos erasit, corporibusq; in cinerem redactis, incorruptionem peperit. Pulchrè S. Chrysosth: homil. 24. in 1. Corint. cap. 10. fatur: *Quemadmodùm qui cibum accipiunt, quem continere non possunt, etiam quem ante comederant, propter illud euomunt; ita in Christi morte vsuenit. Mors cùm corpus quod corrumpere non poterat, accepisset: etiam illa eiecit, quæ comprehenderat.* Vbi aperte loquitur de Christi corpore in Eucha- B ristia, quod crucifixum est, illiusq; immensas vires ostendit in detriumphata morte. Insinuat inquam os aureum, quod prima omnium mors, vt ita loquar, communicauerit, & corpus, quod in cruce fixum, ac mortuum fuerat, accepit. Nam licet etiam Apostoli in vltima cæna corpus Domini accepissent, nõ tamen cruci confixum; sola & prima omniũ mors corpus adhuc in cruce pendens sumpsit ad suam ignominiam, simulq; sceptrum, quod in regione vmbræ mortis possidebat, amisit; ac malè olentia cadauera, fœtidos pulueres, & putridos, eximijs splendoribus, stolaq; im- C mortalitatis vestiuit. Eò quòd corpus accepisset, quod videre non poterat corruptionem, corpora sanctorum à corruptione liberauit, ô bona mors, per quam viuimus! o corruptionis mater, per quam incorruptionem adepti sumus! o Regina cadaueris, cineris, & pulueris, quæ Deificum corpus accipiens, has labes, & ignominias obliterasti à corpore, quod vitâ priuasti, & deuorasti, honor. decus, & imperium nostrum. Quis igitur loquetur potentias Domini, quæ in hoc Sacramento manifestantur? Quis auditas faciet omnes laudes eius? hoc est, quis dignè poterit hoc ineffabile sacramentum laudare? in quo maximè diuina potentia ostenditur. Quocirca potentias Domini in Sacramento Eucharistiæ ostensas, & quanta ad illud præparatio requiratur, hodiè considerabimus.

S. Chrysostomus.

Mors Christi corpus mortuũ ad suam ignominiã sumpsit, & per hoc imperium suum amisit.

Insolitum quid forsan videbitur, potentias Domini in Sacramento Eucharistiæ inuestigare, cùm vnicam tantùm in Deo potentiam esse, doceat S. Thom. 1. dist: 42. q. 1. ar. 2. Quod ipsamet ratio euidenter ostendit, in primis ex parte subiecti: quia Deus est simplicissimus & vnus secundùm essentiam, proinde & eius potentia, cùm in Deo essentia & potentia

potentia sint omninò idem. Nihilominus. quia diuina potentia producit varios, & diuersos effectus, ideò aliquando in numero plurali dicitur; quemadmo-
Psal. 105. dùm in citato Psalmistæ loco: *Quis loquetur potentias Domini.* vbi sumitur potentia pro effectu ipsius, quasi vellet dicere Propheta: quis poterit explicare potentissimos Dei effectus, qui ab vnica Dei potentia procedunt, quod verissimum est. Nam potentia Dei, quemadmodùm & eius essentia est nobis inexplicabilis ex eo: quòd sit infinita: à priori enim non possumus cognoscere potentiam DEI, nisi per eius essentiam, quoniam poten- B tia sequitur essentiam. Cùm ergo diuina
Baruch. 3. essentia infinita sit, iuxta illud Baruch. 3. *O Israël quàm magna est domus Dei, magnus & ingens locus possessionis eius, magnus est, & non habet finem.* Hoc palam docet S. Damascenus
S. Damasc. 1. de fide cap. 8. *Credimus* inquit, *vnum Deum viuum, principium sine principio, increatum, ingenitum, infinitum, incircumscriptum, interminatum.* Et S. Augustinus de fide ad
S. August. Petrum cap. 12. *Firmissimè* inquit *tene, & nullatenùs dubites, Trinitatem Deum immensum esse virtute, & non mole.* Similiter libro de Speculo cap. 33. tom. 9. dicit: *Sicut corde credo ad iustitiam, ita ore confiteor ad salutem te Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te* C *Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam & individuam Trinitatem, vnum Deum in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum.* Cùm inquam diuina essentia infinita sit, etiam potentiam eius infinitam esse necesse est, iuxta illud Eccle-
Eccles. 43. siastici 43. *Ipse enim omnipotens super omnia opera sua; terribilis, magnus, & mirabilis potentia ipsius.* Si ergo Deus est omnipotens, euidenter sequitur illum esse, & habere
Deus infinitam potentiam habet. potentiam infinitam. Quod facilè cognoscitur ex tribus stupendis eius præcipuis effectibus, imprimis ex creatione, quæ est productio alicuius ex nihilo, ad quam requiritur potentia infinita. De- D inde ex Incarnatione Verbi, quæ est effectus infinitus non solùm ex parte potentiæ, sed etiam ex parte termini, quia terminus Incarnationis est Homo Deus. Insuper ex sacramento Eucharistiæ, siquidem conuersio panis, & vini in corpus & sanguinem Christi, requirit infinitam potentiam. Octo igitur potentias, seu præcipua miracula Deum in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento patrasse video.

Prima potentia est: quia Deus in hoc Sacramento humanitati communicauit illud, quod est proprium diuinitatis, nimirum esse vbique, quod vni soli Deo conuenit. Nam per hoc sacramentum fecit etiam Deus, quòd corpus eius aliquomodò possit esse vbique, cum possit esse in infinitis hostijs consecratis, si possent dari: imò si totus mundus esset plenus hostijs consecratis, in omnibus illis esset corpus Christi. Et licet non simpliciter ac propriè diceretur esse vbiq;, cum hoc illi non conueniat ex natura sua, & per se; sed ratione vnionis: aliquomodò tamen dicitur esse vbiq;, quia est in re, quæ est vbique. Et ideò sicut Deus est in rebus, totus in toto, & totus in qualibet parte; idemq; Deus est in omnib⁹; ita quoq; Christus est in omnib⁹ hostijs consecratis, & in singulis, totusq; in tota hostia, & in qualibet parte eius. Similiter sicut Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, vt constat ex illo Psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es,* per quod signifi- Psal. 138. catur diuina essentia: *Si descendero in infernum ades,* id est, per præsentiam: nam adesse tangit præsentiam. *Si habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua;* per quod significatur potentia, quæ est dextera Dei. Quod paucis verbis complexus
Ad Rom. 11. est S. Paulus ad Romanor. 11. ita scribens: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia,* Ex ipso, id est, per potentiam ipsius: per ipsum, id est, per essentiam ipsius: in ipso, id est, in præsentia ipsius sunt omnia. Vnde Richardus
Richardus de S. Vict. de S. Victore in libr. de Trinit cap. 23. ingeniosè de his tribus modis essendi vbique argumentatur. *Si Deus est omnipotens, consequenter vbiq; potest. Si vbiq; potest; ergo potentialiter est vbiq; Si potentialiter est vbiq;: ergo etiam essentialiter: quia in Deo non est aliud, & aliud essentia, & potentia: alias plùs se extenderet potentia, quàm essentia Dei. Quod si essentialiter, & potentialiter vbiq;, ergo & præsentialiter, quia vbicunq; est potentia, & præsentia Dei, est etiam ibi essentia.* Ita pariter in Sacramento Eucharistiæ, esse realem, præsentiam, essentiam, & potentiam Christi confitemur.

Vbiquitas corpori Christi aliquomodò conuenit.

Altera potentia Domini, siue miraculum in Sacramento Eucharistiæ ostenditur ex modo essendi: sicut enim modus, quo Deus est in omnibus rebus, est inexplicabilis, & transcendit nostrum intellectum; ita pariter modus, quo Christus est in hoc Sacramento, est nobis inexplicabis. Quid enim difficilius quàm intelligere, quomodò corpus Christi sit in hoc Sacramento; & tamen non sit modo

Modus quo Christus est in Sacramẽto, inexplicabilis.

modo quantitatiuo, aliaq; plurima, quæ fide creduntur, quamuis non intelligantur. Ita vt in nullo opere Deus sic admirabilis; quemadmodùm in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento appareat. Enimuero amore, & ardentissima in Deum affectione eleuatus, ac propemodùm totus ignitus, ex operum Dei consideratione Propheta Rex, Psal. 110. ad Dei laudem prorumpens ex corde, ex præcordijs sic inclamabat. *Confitebor tibi*
Psal. 110. *Domine in toto corde meo, in consilio iustorum, & congregatione.* Quasi diceret: omnium pene creaturarum, hominum, mulierum, virorum, infantium, sapientium, & ignorantium, siue simplicium. In Hebræo autem textu legitur: *Collaudabo Dominum ex toto corde, tùm priuatim apud sanctos, tùm pro concione.* Inuestigate serio, quæ causa fuit huius tanti affectus, tanti ardoris, tantæ aduocationis, & videbitis, quia operum Dei admirabilium consideratio. Sic ipsemet Propheta Domini respondet: *Magna* inquit *opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Torquent nihilominùs verba hæc expositorum ingenia, ita vt in diuersas sententias abeant.

Incognitus enim subtiliter hoc considerans affirmat, ideò omnia opera Dei dici magna, quia *exquisita*, id est, facta per solam eius voluntatem, sicut omnia alta, & magna quæcunq; considerare velis, non ampliùs Deus in illis elaborauit; quàm velle ea facere, cùm in illo idem sit velle, & posse. Ait citatus Auctor: *Di-*
Incognitus. *xit, & facta sunt: potentia sua, est voluntas sua, & voluntas est potentia; & ideò sic leue est Deo magna opera facere velle, ac & illa facere.* Hinc exquisita in omnes voluntates eius, id est, secundùm imperium voluntatis eius. ideoq; Paulò inferiùs concludit. *Si ergo consideras Dei operum magnitudinem, quòd totum mundum ex nihilo creauit, quòd cælos incorruptibiles fecit, & in suo motu infatigabiles, quòd in homine naturam spiritualem, & corporalem sic coniunxit, vt nullatenùs ab inuicem separari velit, & cætera: Si autem horum omnium causam effectricem requiras, certè nulla alia cadit responsio, nisi quia voluit.* Ex operum igitur magnitudine, amplitudine, multiplicitate, altitudine, magna elucet Dei potentia, ad illumq; confitendum nos impellit, dùm licet talia, & tanta, non ampliùs ad illa efficienda tempus consumpsit; quam velle.

S. verò Gregorius lib. 6. moralium, cap. 61. alium moralem sensum ex citatis verbis erigens, ita exponit: ideo dici *magna opera Domini*, quoniâ omnia, quamuis à peccatore assumantur aliquando, vt Dei obsistant voluntati, eadem tamen obsistentiâ illi obtemperant, hinc omnia parua, & magna, censentur exquisita, id est effecta ad omnes voluntates Dei, siue homo velit, siue nolit. *Iustus namq; & misericors Deus*, dicit S. Doctor, *facta mortalium disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, sicq; illa, quæ permittit, sic tolerat, vt etiam hæc in suæ voluntatis usum conuertat, vnde miro modo fit, vt quod sine voluntate Dei fit, ei contrarium non sit, quia dum in bonum vsum mala facta vertuntur, eius voluntati militant, etiam quæ eius voluntati repugnant.* Egregiè profectò: Reflectite paulisper considerationem ad præterita, præsentia, & futura; pendite malitiam hominum, imò ipsiusmet diaboli in creaturarum vsu contra Deum militantis, eisq; velut instrumento contra ipsum vtentis creatorem; dumq; prospicitis non solùm eas contra Deum non militare, sed magis adhuc tunc obsecundare, exclamate cum Propheta: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.*

S. Gregor.

Tandem Anastasius apud Agellium censet, ideò omnia Dei opera esse magna, quia secundùm omnes eius voluntates ita extant perfecta, vt nihil in eis
Anastasius. superst, neq; deficiat. Ait citatus Auctor: *Singula eius opera exquisita sunt, neq; superfluum quidquam habent, neq; mancum.* Quod vt verum esse cognoscatis, considerate singula, alta & infinita: consulite singulos Philosophos, qui sapientiâ inflati vltra sidera se extulêre, seq; veluti dij ad speculandum naturæ mirabilia intrusêre, & neminem vnquam illorum ita audacem inuenietis, etiamsi in infinitos propemodùm errores prolapsi fuerint, qui naturam aut mancam, aut superfluam dicere præsumpserit, quo nihil mirabilius in Dei operibus cogitari potest. Non abnuo laude dignas expositiones, quæ augustissimo Eucharistiæ Sacramento facilè accommodari possunt. Licet enim Sacramentum hoc magnum sit, licet altum, licet supra omnem naturam; Deus tamen in illo efficiendo non ampliùs elaborauit, quàm dicendo, quàm volendo, iuxta *Incognitum*. Licet aliqui eo abutantur, aut contra ipsum per hæreses militando, aut indignè sumendo; omnia tamen in eius ampliorem cedunt gloriam, vt meritò exquisitum dici possit in omnes eius voluntates, iuxta Diuũ Gregorium. Licet sit opus ita perfectum, completum, & vndequaq; absolutum, vt nihil in eo superfluum, nihil mancum

mancum reperiatur, quod desiderari possit; ita vt iuxta Anastasium, *magnum opus omni confessione dignum censeatur.* Nihilominùs tamen proposito meo maximè arridet exposito S. Chrysosthomi. magni in Ecclesia Christi Doctoris.

Qui in Psalm. 110. ideò existimat omnia Dei opera esse magna, atq; ideò in stuporem rapuisse Psaltem: quia omnia ita sunt ad Dei voluntates prompta, & exquisita, id est, obuia, parata, ac expedita, vt non solùm ad naturalia; verùm etiam ad supernaturalia: non solùm ad ea, quæ secundùm earum naturam sunt; sed etiam ad ea, quæ contra, aut supra eam, semper exquisita, promS. Chrysost. pta, parata inueniantur, sine vlla repugnantia. *Hoc mihi videtur dicere*, ait S. Chrysosthomus: *de creaturis, hoc est, prodigia, miracula, quæ sæpè perficit hominum genus administrans, quæ sunt exquisita in omnes voluntates eius, hoc est, præparata, perfecta, absoluta, sufficientia ad eius faciendas voluntates, quæ nec claudicant, nec manca sunt, ad iussa eius peragenda, ita vt non solùm agant, ad quæ constituta sunt, sed etiamsi iusserit contraria.* Profundè satis: ideò omnia Dei opera magna, & in stuporem ducentia, quia non solùm ad quæ ordinata sunt, ea efficiunt; verùm etiam ad inordinata, & cõtraria obtemperant Ad. dit S. Doctor: *Iussit mari, & non solùm non inundauit, quod est eius proprium officium, sed fratu suis fluctibus, vel petrã firmiùs & stabiliùs transiit populum Iudæorum: fornax non solùm non ardebat; sed rorem etiam præbebat sibillantem: feræ non solùm non deuorabant; sed Danieli erant loco satellitum: cetus non solùm non deuorauit, sed etiam saluum conseruauit depositum: terra non solùm tulit, sed etiam mari vehementiùs inundauit, quando aperta est, & deuorauit Dathan, & Abiron.* Quid maius, quid mirabiliùs in illis considerari potest; quàm ita exquisita in omnes Dei voluntates reperiri, vt ex se exquisita, prompta, parata sint, ad omne altum, supernaturale, contrarium
Paschasius. efficiendum. Hinc Paschasius Natbert. de corpore & sanguine Domini affirmat, quòd sicut velle Dei, est ipsum suum esse; ita naturæ esse sit ipsum Dei obsequium: *Sicut* inquit *velle Dei, eius profectò est esse; ita quoq; esse naturæ est, quidquid eam Dei virtus esse decreuerit.*

Sacramẽto Eucharistiæ nihil mirabilius, nihil præstãtius.

Cùm igitur hæc sit magnitudinis Dei operum ratio, considerate quæso, nihil maius, nihil mirabilius, nihil præstantiùs inueniri Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo tota inuertitur natura, toti contradicitur rationi, totus pessundatur discursus. Prædicat Dei omnipotentiam vasta cælorum machina, solare iubar, lunæ splendor, vniuersus deniq; mundus. Prædicant prodigia, miracula & alia stupenda; sed hæc omnia in augustissimo Eucharistiæ Sacramento reconduntur, velut in omnium eorum memoriali, teste Regio Vate Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quæ verba considerans D. Thomas opusc. 59. S. Thomas cap. 1. dicit: *In præparatione, & in dispositione, & ordinatione ipsius benedicti panis, Deus tot, & tanta mirabilia inclusit, quot in ipso videtur, quasi omnium mirabilium, quæ ab initio mundi memoriam reuocasse.* Vt autem rem ita se habere clariùs constet, duo præcipua, ex antiquis miraculis nobis in memoriam reuocemus, ex quibus Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenti eminentiam, quantùm se supra illa eleuet, non operosè poterimus coniectari.

Magnum fuit, meritoq; stupendum miraculum, instantanea mulieris conuersio in statuam salis, ob inobedientiam, quòd contra mandatum Dei retrorsum aspicere ausa fuerit, vt horrendum incendium Sodomiticum cernere posset. Genes. 19. v. 26. *Respicienſq; vxor eius post se,* Genes. 19. *versa est in statuam salis.* sed quid hoc est cum ineffabili transubstantiatione huius Sanctissimi Sacramenti. Quippè in illa conMutatio Mulieris in statuam salis fuit instantanea. uersione nihil aliud interfuit, nisi in instanti noua forma, remanente eadem materiâ, proinde non fuit maius miraculum instantaneâ transmutatione; quod autem natura per tempus operatur, Deus in instanti efficere potest. At verò in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non noua inducitur forma, non eadem remanet materia; sed tota substantia panis conuertitur in substantiam carnis, tota substantia vini in substantiam sanguinis, nihil omninò de priori remanente, nihil existente, vt fides Catho-
Dæmonis error in Christi diuinitate inuestiganda. lica docet. Ita vt Deus, & Christi diuinitas, ex nullo opere nescio quàm admirabili ita cognoscatur, quàm ex transubstantiatione Eucharistica; cùm solius diuinæ potentiæ sit eam efficere. Hinc turpiter errauit dæmon, dùm ex conuersione lapidum in panes conijcere voluit, vtrum Christus Deus esset, quando Matthæi 4. v. 3. ad eum accedens dixit: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Super quæ verba S. Hilarius Cant. 3. in S. Hilarius. Matthæum ita discurrit: *Eam ergo intentando conditionem operis proposuit, per quam in Deo ex mutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret, vt in homine obiectamento cibi patientiam*

patientiam esurientù illuderet. Quid ergo Dominus? stoliditatis ac imperitiæ eum damnauit respondens: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. Arguens in primis dæmonem, quòd impertinenter tale miraculum expostulauerit, cùm ibi & herbæ adessent, quibus se homo sustentare posset; superfluum est autem miracula quærere, dùm ad sustentationem necessaria adsunt. Simulq; taxans dæmonem ignorantiæ, quod verum deitatis signum non petierit. Quippè conuersio lapidum in panes, nequaquam diuinitatis signum est: nam etiam Moyses virgam proijciens coram Pharaone, licet virtute diuinâ statim eam in colubrum vertit; non tamen ob hoc pro Deo habitus est, Proinde sola transubstantiatio Eucharistica est verum diuinitatis signum, quam si dæmon expostulasset, nequaquàm de Christi natiuitate ampliùs potuisset dubitare. Tunc enim Deum esse aliquem certò cognoscitur, quando non transmutando lapides in panes, comestibiles eos reddit, eadem remanente materia; sed tunc, quando hæc remanet totaliter pereunte, aliaq; transmissâ, seu transubstantiatâ. Atq; sic ex transubstantiatione Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramentum, supra omnia miracula se erigit.

Transubstãtiatio Eucharistica est verum diuinitatis signum,

Alterum non minùs, imò maximum ac præcipuum DEI opus antiquis illis temporibus in cælo manifestatum fuit, stabilitas solis, ac lunæ in medio cæli, voci hominis obediente Deo. *Stetit itaquè Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, non fuit antea, nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominu, & pugnante pro Israél.* Ioſue 10. v. 14. Quod admiratus Sapiens Ecclesiastici 46. v. 3. dicit: *Quam*, id est, *quantam gloriam adeptus est in tollendo manus suas? an non in iracundia eius impeditus est sol, & vna dies facta est quasi duo.* Imò auget miraculum S. Dionysius Areopag. epist. 7. ad Polycarpum scribens, tunc non omnes simul orbes cum sole constitisse, sed solùm inferiores eo, mouentibus se sole superiobus, ex quo fiebat, vt si solem continentes orbes mouerentur, ipse per se immobilis existeret. Vnde Apollophanem quendam magnum Philosophum reprehendens, & ad fidem adducere laborans, hoc ei miraculum obiecit, Deum summum ex eo probans Auctorem esse naturæ, atq; ad nutum eâ vti, prout vult, prout iubet, sic eum alloquens: *Cur igitur non colu eum, quem ex hoc quoq; verè omnium Deum esse cognoscimus propter potentiam, quæ omnium causa est, nec verbis exprimi potest? cùm ab eo sol, & luna, vi statuq; naturæ superiore, vna cum reliquo cælo superioribus, & stellis omninò immobiles efficiuntur, atq; toto die in ijsdem punctu insistunt omnia, aut quod maius est, quando omnibus, quæ & præstantiora sunt, & continent, ita in orbem motu, ea quæ illorum complexu continebantur, non vna in orbem, circumq; ferebantur.* Verùm conferte tantùm miraculum cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & quasi nihil apparebit. Iturus quippè Christus ad Patrem, corpus illud Sanctissimum simul immobile, vt ita loquar, promisit se vsq; ad consummationem sæculi daturum nobis, ita vt simul in cælis existente, verè, realiter, ac proprijssimè idem omninò corpus in Sacramento existat. Quod inter omnia augustissimi istius Sacramenti mirabilia, summè admirandum constituit S. Thomas opusc. 59. cap. 8. *Inter omnia* inquit *mirabilia, quæ sunt in isto Sanctissimo Sacramento, istud videtur mirabilius, & difficilius ad intellectum.* Sol quidem iussu Domini stetit orante Ioſue, sed vix vna die; at verò Christi corpus vsq; ad consummationem sæculi ibi ex duobus vna dies effecta est; hic ex Christi corpore, & speciebus vnum Sacramentum? ibi mouebantur orbes solem continentes immoto sole; hîc quotidiè videmus, & credimus motis speciebus, ac circumlatis, & cum eis ipsum Christi corpus, tantùm in cælo immobile ipsum permanere; ibique vt sic dicam, non vnum, sed æternùm efficere diem. O quantùm miraculum, quàm stupendum, vt meritò à D. Thoma omniũ maximum appelletur.

Stante sole tempore Ioſue cæli superiores mouebantur Dionysius Areopag.

S. Thomas

Ioſue 10.

Eccleſ. 46.

Tertia potentia, siue miraculum in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ostenditur ex modo, quo Christus vnitur nobiscum, quando illum dignè recipimus, qui etiam est plenè ineffabilis, cùm nos arctissimo modo Deo copulet, assentiente ipsomet Christo Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Nam totis viribus Christus in id incubuit, vt non solùm per dona Spiritus Sancti, sed etiam per veram, realem, ac substantialem corporis eius sumptionem Deo vniremur, vt quod Spiritus sanctus per sua dona, hoc ipse per carnem suam efficeret, se nobis tribuens, se nobis incorporans, ac in diuinum transferens consortium. Hinc in vltima cœna post sacrosanctam communionem cum discipulis factam, pro nobis omnibus postulauit, Ioan. 17. v. 21. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri*

Ioan. 6.

Ioan. 17.

credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt ipsi in nobis vnum sint. In quibus verbis vnionem illam petijt, quæ fit Per fidem, spem, & charitatem, ratione donorum Spiritus sancti, & ratione ipsiusmet Spiritus sancti, in quo, & per quem fideles vniuntur cum Deo, & in quo vnum fiunt cum illo, vnde S. Cyrillus lib. 11. cap. 26. dicit: *Omnes in Christum credentes, Spiritum sanctum vnum, & eundem participant, & in ipso vniuntur, & per ipsum in Deo diuuntur esse, non quidem diuinitatem ipsam in se recipientes. sed per gratiam, fidem & charitatem participantes; & quia in eu est vnus, & idem quodammodò, quantùm ad animas in vnica re indiuidua, vnum sunt, nempè Spiritu sancto.* Ex quo vlteriùs infert: *Multum similes sunt in vnitate Patri, & Filio, qui vnica substantia sunt vnum.* Quamuis non omninò sit paritas: quia diuina natura eadem est in Patre, & Filio naturaliter; at verò Spiritus sanctus est idem in fidelibus per participationem gratiæ, ac donorum. Christus igitur eam vnitatem nobis à Patre postulauit, quâ, mediante Spiritu sancto vnum cum Deo in ratione donorum efficeremur, & quasi vt sic loquar, in Deos transformaremur: postulauit inquam, quia ab æterno ita decretum vidit, nimirùm sanctificationem animarum, & vnitatem, seu paticipationem diuinitatis per Spiritum sanctum efficiendam. Ne tamen quidquam cederet aut Patri, qui nobis ipsum dedit incarnando; aut Spiritui sancto, qui nos cum Deo vnit per gratiam sanctificando, ita nostri extitit amans, ita nostræ vnionis cupidus, vt opus Spiritus sancti præueniens, hoc diuinissimum Sacramentum instituerit, quo mediante ipsam suam nobis conferens diuinitatem, non solùm ratione donorum; sed ratione veræ, realis, ac substantialis sumptionis, & cibationis ipsius, ratione eius sanctissimæ carnis, cum qua in eius sumptione vnimur, voluit nos Deo arctissimè coniungere, vt sic per istam communicationem carnis, & sanguinis eius, cum ipso, & Patre ac Spiritu sancto vnum efficeremur. Et ideò post dictam petitionem subiunxit: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eu, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Vbi per *claritatem*, S. Cyrillus & Hilarius lib. 8. de Trinitate, intelligunt ipsam diuinitatem, quamediantè non solùm ipsos secundùm animam; sed etiam secundùm corpus, vnum secum effecit.

S. Cyrillus.

Ioan. 17.

Disceptant nihilominùs Authores, qualis sit ista vnio Sacramentalis inter corpus Christi, & corpus suscipientis, realisnè ac physica, an certè quæpiam alia? Verùm missis varijs sententijs, & stando in rigore vnionis physicæ, ac naturalis, quæ iuxta Aristotelem 5. Metaph. cap. 7. est illa, in qua duo extrema ita vniuntur physicè, vt propriè, & realiter componant vnum, quæ extrema si sint substantiæ, vnio erit substantialis, & modus ille substantialis. vti est materiæ, & formæ; animæ & corporis; Quòd si fuerit inter subiectum erit accidentalis. Tunc verissimum est, nullam prorsus interuenire realem, ac physicam vnionem, inter carnem Christi, & recipientis: sed solùm vnionem affectuum, & charitatis, ex qua resultat vt in corpus suscipientis diffundantur gratiæ spirituales, quibus, & caro refrenatur, & fomes moderatur, & passiones mitigantur, potissimùm carnales, ita vt homo fiat ex hoc membrum Christi, & mysticè, ac moraliter, membrum de membro. Cùm verò id non quomodolibet fiat. nimirum, aut per habitus infusos, siue gratiæ vtsic; sed per realem, & physicam sumptionem carnis Christi in nobis; ideò talis vnio fundamentaliter dici potest naturalis, realis, & quodam modo physica, quatenùs per species Sacramentales caro nostra vnitur carni Christi, eo modo, quò possibile est, nimirùm solùm per contactum, per species Sacramentales. Vnde dicitur realis, ac naturalis, quatenùs distinguitur contra fictitium, & chimericum: Physica inquam, quatenùs in se physicè recipit Christum fontem, & originem spiritualis vnionis. Sic illam appellat Turriscremata in cap. *Christo Pater* de consecrat. dist. 2. Petrus Martines in epist. Iudæ loco 23. & præcipuè S. Thomas 3. p. q. 79. ar. 1. ad 3. vbi docet, hoc Sacramentum non operari in corpus, nisi quatenùs effectus gratiæ in corpus redundant. Hoc apertè docent sancti Patres. Primò S. Cyprianus serm. de Cæna Domini, vbi dicit: *Fidei nostræ infirmitas docetur, visibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tàm corporali, quam spirituali transitione Christo nos vniri.* Moxq; paulò inferiùs subdit: *Non vsq; ad consubstantialitatem Christi, sed vsq; ad societatem germanissimam, eius hæc societas peruenisset.* Et post pauca ait: *nostra, & ipsius coniunctio, nec miscet personas, neq; vnit substantias; sed affectus consociat, & confœderat voluntates.* Præterea, S. Damascenus lib. 4. cap. 14. dicit: *Ex voluntate quippè coniunctio hæc existit; non autem citra animi nostri sententiam, omnes*

Vnio inter corpus Christi, & recipientis quasi intercedat.

S. Cyprian.

S. Damasc.

omnes etiam vt Apostoli verbis vtar, vnum corpus A sumus, quoniam ex vno pane participamus. Palam ostendens, totam vnitatem ex voluntate, atq; amore fieri. Insuper D. Cyrillus
S. Cyrillus. Cathech 4. Mystag. ita loquitur: *Sumpto corpore & sanguine Christi, effici nos comparticipes corporis, & sanguinis eius, & sic Christophori erimus, cùm eius corpus, & sanguinem in membra nostra receperimus, atq; ita vt Beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiamur.* In quibus verbis S. Cyrillus ex sumptione corporis Christi, nullam aliam vnionem assignat, nisi spiritualem, & diuinam.

Quarta potentia, seu miraculum in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento B ostenditur ex eo, quia licet ab omnibus vnus, & idem Christus recipiatur; non tamen eundem effectum operatur in omnibus, sed secundùm dispositionem
S. Thomas. cuiusq;. Nam vt dicit S. Thomas in sua Prosa: *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus.*

Quinta potentia, siue miraculum in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ostenditur ex eo: quia Christus potuit, & sciuit excogitare modum mirabilem, quo Christus esset in homine, & homo in Christo, iuxta illud: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Diuerso tamen modo Deus C est in rebus, & res in Deo: nam Deus est in rebus quodammodò secundùm modum rerum, accommodans se illis: omne enim quod est in aliquo, est in eo secundùm modum eius, in quo est. Res autem sunt in Deo secundùm modum Dei, & perfectiori modo, quàm in seipsis. Ita pariter Christus est in nobis secundùm modum nostrum, accommodans se paruitati nostræ, & sic venit ad nos in parua hostia, còopertus illis speciebus panis, & vini, vt possimus illum recipere; nos autem sumus in Christo, secundùm modum Christi, vniti illi tanquam membra suo capiti, à quo, & in quo viuimus, D mouemur, & sumus.

Deus aliter est in reb⁹, aliter res in Deo.

Sexta potentia, seu miraculum in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento ostenditur ex eo: quia Christus hoc Sacramentum nō instituit propter aliquam suam necessitatem, aut vtilitatem, sed propter nostram perfectionem, & commodum, vt constat ex illis Christi verbis:
Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Et iterùm: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternùm.* Diuerso tamen modo se Deus habet in suis operationibus, ab alijs agentibus creatis: nam alia agentia creata, etiamsi amore prouocantur ad operandum; nihilominùs operantur propter aliquod bonum ipsorum, aut propter aliquam perfectionem, seu vtilitatem, quam acquirunt operando. Deus verò, quia nulla re indiget, nullam perfectionem ex creaturis acquirit, sed tantùm esse repræsentatum, & cognitum à creaturis, & sic dicitur omnia facere ad manifestandam gloriam suam. Sic Rex vult congregare exercitum, & ædificare arcem propter securitatem suam ab hoste; at verò Deus, quia nihil ei nocere potest, nec prodesse, nullam perfectionem ex rebus volitis intendit acquirere, sed tantùm esse representatum à creaturis. Et quoniam gloria est clara cum laude notitia de excellentia alicuius, propterea dicitur Deus omnia facere ad manifestandam suam gloriam. Ita testatur Doctor Gentium Ephes: 1. Ephes. 1.
Prædestinauit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ, quod quidem potiùs est ipsarum creaturarum perfectio; quàm ipsius DEI. quemadmodùm, si excellentissimus aliquis pictor, qui pro excellentia suæ artis, posset solo nutu plures sui imagines depingere; vellet nihilominùs vnam solam sui pulcherrimam imaginem efficere, tunc ipse nullam acquireret perfectionem, sed solùm esse repræsentatum; neq; ars illa perficeretur, sed tantùm ostenderet suam perfectionem in illa imagine. Ad eum igitur modum Deus, sola sua voluntate vniuersum producens, nonnisi repræsentationem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis acquisiuit; ipsum verò vniuersum est realiter perfectum. vt dicitur Ecclesiastici 1. quòd Deus. Eccles. 1.
effudit sapientiam supra omnia opera sua: quia in illis repræsentatur Dei potentia, & bonitas. Hinc dicebant antiqui Philosophi, mundum nihil aliud esse; quàm Deum explicatum: hoc est, vniuersum ad nihil aliud constitutum esse, quam vt in eo explicetur, & repræsentetur diuina perfectio, nimirùm sapientia, potentia, & bonitas. Quippè summa Dei potentia manifestatur in creatione ex nihilo, summa Sapientia in ordine partium inter se, & summa bonitas in ordine ad finem. Pulchrè id elucidat S. Ber- S. Bernard.
nardus serm. 3. in die Pentecost. inquiens: *Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodò sit, & ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabili potentia commendatur, quòd tàm multa, tàm magna, tàm multipliciter, tàm magnificè sint creata: sanè in mundo ipso Sapientia singularu elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc deorsum*

Deus à creaturis solùm esse repræsentatum acquirit.

sum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid factus sit mediteru, occurrit tàm vtilis benignitas, quæ etiam ingratissimos quosq;, multitudine, & magnitudine beneficiorum posset obruere, potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata. Ita planè Christus in hoc augustissimo Sacramento, nihil à nobis requirit, nisi benefacere, & communicare nobis sua bona.

Septima potentia, seu miraculum in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, ostenditur ex eo: quia Christus in hoc Sacramento voluit ostendere se posse dare suam carnem ad manducandum, B conuertendo substantiam panis, & vini, in corpus & sanguinem suum, vt confunderet incredulos Pharisæos dicentes:
Ioan. 6. *Quomodò potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum.* Ioan. 6. Nam si potuit aquam conuertere in vinum in Cana Galilææ, quomodò non poterat panem & vinum, in corpus, & sanguinem suum? quod enim agenti naturali est impossi-
Lucæ 1. bile, id Deo possibile est, iuxta illud:
Ephes: 3. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et Ephes: 3. *Ei autem, qui potest facere supra, quàm possumus intelligere.* Ergo Deus plura potest facere, quàm intellectus nostes fingere possit; qui tamen potest fingere C omne impossibile, quod potest enuntiare. Et certè, cùm potentia Dei sit infinita, non videtur, cur Deus non possit facere illud, quod est impossibile agenti naturali, & creato, v. g. virginem concipere, & parere: ex cæco fieri videntem, ex truncо fieri vitulum, quæ sunt impossibilia secundùm potentiam naturalem.

Octaua tandem potentia, siue miraculum in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento ostenditur ex eo: quia Deus voluit instituere hoc Sacramentum, vt nobis communicaret omnes suas diuitias, & seipsum totum: nam de ratione D boni est, esse communicatiuum. Cùm ergo Christus sit summè bonus, ideò voluit per hoc Sacramentum communicare nobis sua merita, suam gratiam, & omnes diuitias, quas habet. Atq; propterea fecit se cibum hominis dicens:
Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quia sicut cibus communicat suam substantiam, & virtutem comedenti; ita Christus communicat se, & suam virtutem dignè suscipienti, quamuis hoc faciat alio modo; quàm cibus corporalis, quia non mutatur in suscipientem, sed potiùs illum in se mutat. Vnde Chri-
S. August. stus D. Augustino lib. 7. Confess: c. 10. locutus est: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu mutabis me in te; sed tu mutaberis in me.* Quis ergo Dei amorem in hoc Sanctissimo Sacramento, imò quis amoris in illo potentias attingere valebit? quando vt affirmat Rex Dauid, omnium suorum in illo memoriam fecit mirabilium, quæ vnquam operatus, quæ vnquam qua Deus omnipotens at-
Psal. 110. tigit. Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Si omnium mirabilium summam in vnum redegit mirabile, ex quo summa eius elucet potentia, cur misericordem, & miserantem eum appellat, & non potiùs omnipotentem? Equidem, quia illam memoriam non in opere aliquo adsimili præteritæ potentiæ Dei, vt sic constituit, sed in potentia Dei amantis, & præ amore se euiscerantis. Vnde thesaurus linguæ sanctæ, illa verba, *misericors, & miserator Dominus.* Qua in re non magnitudo potentiæ vt sic, sed potentiæ amoris, dilectionis, ac æterni ignis in Christi pectore ardentis elucet. Hinc rectè non omnipotentem, sed misericordem eum appellat, quatenùs omnipotentia amoris se euiscerauit, dans nobis talem escam, talem potum, omnia antiqua potentiæ monumenta superans. vt rectè Titelman. in citata Psalmi verba discurrit. *Multa quidem* ait, sunt, & stupenda beneficia tua Domine, quæ olim exhibuisti in rerum creatione, & gubernatione, ac populi eductione; verùm omnia priora superat, quando omnium mirabilium suorum, velut memoriale nobis veniens, in carne dedisti ipsum, nempè corpus tuum in escam, & sanguinem in potum.

Imò, quod mirabiliùs: si tempus consideres talis euiscerationis, cùm propè occisionem, cùm propè horribilem caE pturam, dùm quæreretur ad mortem, ad crucem, ad tormenta, tunc ampliùs amore deperiens, se euiscerauit, corpus, animam, & sanguinem suum præbens. Mirificè laudatur in Scriptura sacra Razias 2. Machab. 14. v. 37. quod à Iudæo- 2. Machab. 14.
rum gente expetitus ad mortem ob patrias leges, ob amorem suorum Dei instinctu, vt volunt Lyranus, Victoria, Serrarius, & alij, non solùm se occidit, ed *stans super quandam petram complexus intestina sua vtrisq; manibus, proiecit super turbas, inuocans dominatorem vitæ, ac spiritus, vt hæc iterum illi redderet.* Quod factum antequam scriptura ediceret, præmisit virum hunc fuisse

isse *amatorem virtutis, & qui pro affectu pater ludæorum appellabatur*, vt hoc modo affectum eius ampliùs commendaret, amoremq; in patriam efferret. Rem magnam fateor; verùm si rem profundiùs scrutari voluerimus, facilè aduertemus id eum non voluntariè, non ex amore, non ex complacentia, non ex desiderio fecisse: nam si mortem potuisset effugere, nequaquam se ita euiscerasset. At verò Christus in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento amore æstuans, amore deperiens, liber ad mortem, tunc quando ad illam quærebatur, quando sciebat consilia, præparationes, æstus, inuidiam, liuorem, quasi omnium oblitus, se euiscerans non solùm viscera; sed ipsam suam dedit animam, illam per corpus, per sanguinem suum præbens nobis, vt sic non solùm eius carne, sed ipsâ pascamur animâ, ac spiritu saginemur.

Christus in Sacramẽto Eucharistiæ seipsum euiscerauit.

Ponderate immensum Christi in nos amorem, ita nostri amans erat, ita pro nobis æstuabat, vt præ amoris altitudine, non solùm nos carne sua voluerit pasci, sed & animâ, propter quod non solùm in pane se nobis dereliquit manducandum; verùm etiam in vino bibendum, sanguinis expressâ figurâ, vt hinc intelligamus, quòd non solùm voluit nos sua carne pascere, quantum ex vi amoris; sed etiam suo spiritu, suaq; animâ. Rigidam satis, nimiumque seueram comminationem Deum fulminasse contra eos, qui sanguine saginarentur, legimus in Leuitico cap. 17. v. 10. *Homo quilicet de domo Israël, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Terribilis profectò comminatio, & non nisi ob enormissima peccata, magnosq; excessus fieri solita à Deo. *Quippè obfirmare faciem*, est irasci vehementer, ac firmiter, fixeque faciem conuertere in illum, de quo efficaciter, & firmiter vindictam sumere velis. Hinc contra Hierusalem iratus Deus, dicebat Hieremiæ 21. v. 10. *Posui faciem meam supra ciuitatem hanc in malum, & non in bonum*, id est, statui obfirmari. Et Ezechiel. 4. v. 3. ad Prophetam locutus est: *obfirmabu faciem tuam ad eam.* id est, contra ciuitatem Hierusalem omninò ad destructionem. Qua locutione magna Dei indignatio declaratus, simulq; peccati magnitudo populi Hierosolymitani exprimitur, quâ motus Deus firmiter pœnam statuebat sumere. Et nihilominùs inter tot, tamq; grandia peccata, vnum

Leuit. 17.

Hiere. 21.

Ezech. 4.

A duntaxat iram Dei causabat, nimirùm sanguis eius toties à Deo prohibitus, vt Genes: 9. v. 4. *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis*: propterea, *quia anima carnis in sanguine est.* Vnde rectè Philo de victim. *Animam quodam modo vidimus, liberè in sanguine.* Attendite rationem: quia vita animalis ob spiritus a sanguine præcipuè pendet, & sine illo sustentari non potest; quemadmodùm nec ipsa hominis vita, qui cùm sanguine nutriatur, anima quodam modo pasci videtur: idcircò tàm seuera prohibitio. Deus equidem, qui animas nostras sibi soli in delicatum pastum deposcit, neq; symbolicè voluit, vt quispiam alius illis pasceretur.

Genes: 9.

Cùm igitur sit in sanguine, & in sanguine anima libetur secundùm Philonem, qui aliud est, Deum nobis suum sanguinem dare ad bibendum, & non solam carnem ad manducandum? nisi ita æstuare, ita pro nobis deperire, vt quoniam anima in sanguine est, voluerit non solùm carne, sed ipsa etiam sua anima nos pascere, suo spiritu viuificare, vt ita nos totos ad se attraheret; quemadmodùm totum se nobis dedit, carne sua nostram purificans carnem, & sanguine animam: vt ingeniosè discurrit Paschasius de corpore & sanguine Domini cap. 11. *Totus homo redimitur, caro quidem carne pascitur spiritualiter; anima verò Christi sanguine reparatur: omnis namq; teste scriptura in sanguine est.* Ergo sicut caro nostra viuificatur ex carne Christi: sic anima nostra ex sanguine Christi. Vnde quia anima in sanguine est, idcircò in sacra sumptione per carnem caro nostra Christo vnitur, & per sanguinem anima nostra, ex duabus iam non duæ, sed vna, vt ita loqnar effecta, & conglutinata cum anima Christi. O quantùs amor! quanta dilectio! obstupescit S. Chrysothomus hom. 47. in Ioan. tom. 3. exclamans: *Cùm amorem suum Deus indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit.* Non potuit mihi credite maior indicatio amoris fieri, quàm dum nobis suam præberet carnem, suum prælibaret sanguinem.

Paschasius.

S. Chrysost.

Et quod magis stupendum, Christus non quolibet sanguine voluit nos sagi nare, sed sanguine cordis, qui est purissimus, & præstantissimus; ita vt quo potamur sanguine, non venarum sit; sed viscerum, sed præcordiorum, sed ipsius met cordis. Et hoc est mysterium, cur sancti Apostoli in sacrificio missæ voluerint

Aquæ eius in sacrificio viuo miscetur.

rint aquàm vino misceri, ad denotandum aquam illam, quæ simul cum sanguine de latere Christi fluxit, vt intelligamus eo sanguine nos epotari, in quo nos tunc vnitos Christus tenebat. Audite D. Paschasium. *Omnes* inquit *in se eleuauit, dum causas omnium in cruce pertulit, idcirco Ecclesia, quæ illo simul fuit, iure de latere dicitur emanasse, qua bene per aquam, sicut Cyprianus S. ait, designatur; & ideò rectè prouisum est, quia simul cum sanguine fluxit, vt hoc in mysterio veri sanguinis ad misceatur, quatenùs & nos in illo simul, vt per hoc salutis Sacramentum, diuinis obtutibus illicò vniti mysticè offeramur.* Hinc paulò post exclamat idem Paschasius: *O mira fragrantia diuinæ Charitatis! ita nos amare, ita diligere, vt totos nos absorbere velit, non solùm spiritum, sed carnem; non solùm animam, sed etiam corpus.* Præuidebat Christus infinita suâ scientiâ circa Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum futuras hominum indignitates, præuidebat horrenda, & enormia peccata; & tamen ita ardens extitit eius amor, vt potiùs iudicauerit illa omnia vsq; ad diem iudicij sustinere, quàm vnione suorum priuari, quàm suos in hoc mundo deserere, & tanto Sacramento orbatos relinquere. Quod admiratus S. Thomas Opusc. 58. cap. 5. copiosam Dei, ac nobilem bonitatem appellat inquiens: *Copiosa bonitas, & benignitas & liberalitas nobilitatis Dei, quæ inimicis, & multis contra eum peccantibus, tot bona facit, maximè cùm tales corpus eius sumere permittit, vt tanta eos liberalitate conuertat.* Nam quòd peccata dimittit, quòd mundum redimat, quòd sanguinem fundat, quòd superabundè gratiam præstet, quòd tandem gloriam ipsam tribuat, omnia hæc infinitam Dei prædicant liberalitatem. Verùm quòd corpus suum, sanguinem, spiritum, animam peccantibus, & indignis det, aut dari permittat, sciens conculcandum, neq; tanta, & tàm horrenda præuidens, se ab institutione Sanctissimi Sacramenti abstineat, hoc non solùm diuinam præsignat liberalitatem non solùm flagrantem amorem, sed præclarum, altum, nobilem.

Paschasius.

S. Thomas.

Bone Deus, semel tantùm aut bis, Christus Dominus se à diabolo permisit attrectari. In primis, quando in deserto, *assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.* Matth. 4. v. 6. Deinde, quando iterum assumpsit eum in montem excelsum valdè: *& ostendit ei omnia regna mundi.* Quod ita horrendum aliquibus sanctis visum est, vt nullo modo id cõcedere voluerint. Ita S. Cyprianus serm. de tentat. vbi sic dicit: *Sed quòd corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens, quòd humeris eius Saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit, quem præcipitatorem sciebat; vel ei se ferendum commiserit, cuius insidias agnoscebat.* Eandem sententiam tuetur S. Anselmus in c. 4. Matth. & Origenes homil. 31. in Lucam conferte id cum institutione sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti, & agnoscetis quasi vmbram soli comparatam: ibi enim semel, aut bis, hic vsq; ad diem iudicij: ibi à diabolo, hic à membris suis: ibi incognitus, & tanquàm purus homo, hic vt Deus habitus pessimè tractatur, quod prorsus horrendum. Quantùs ergo & qualis amor Christi in hoc Sacramento eluxit, qui talia præsciens; maluit tamen ob suorum charitatem potiùs illa sustinere, quàm suos deserere. Hinc S. Thomas opusc. 59. cap. 7. in fine rationem inuestigans, quare Christus permisit se à peccatoribus indignè tangi, cùm respiciens suam dignitatem potuerit determinare, vt non cõsecraretur nisi à dignis, non tangeretur nisi à iustis. Respondet, quia ex hoc multi dubitassent de eius in Sanctissimo Sacramento præsentia, & quâ erat in suos charitate inflammatus; & ideò potiùs voluit illa perferre, quam de sua præsentia aliquos dubitare. Ait S. Doctor *In hoc enim summæ dignationis, diuinæ pietatis, & fidei nostræ certitudo, & veritas demonstratur, quia si non posset verè consecrari, siue tangi, nisi à iustis hominibus, nunquàm possemus in hoc mundo scire, quando esset veraciter corpus Christi; sicut de aliquo homine in hoc mundo non possemus scire certitudinaliter, quòd esset iustus, vel iniustus.*

S. Cyprian.

Christus in SS. Sacramento permittit se à peccatoribus tangi, ne de eius præsentia dubitarent.

S. Thomas.

Quod cùm ita sit, videamus iam cum quanta præparatione ad sumptionem tanti Sacramenti accedendum sit. Hanc profectò summam requirit Apostolus 1. ad Corint. 11. v. 28. illis verbis: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quasi diceret: se præparet, se examinet, purget. Rationem reddit S. Thomas opusc: 58. cap. 15. inquiens: *nam valdè iustum est, vt tàm dignum, & venerandum cibum, scilicet ad ipsum Dominum omnium, non incurate, & indeuotè, sed competenti modo præparati accedamus.* Pulchrè id adumbratum reperio, Exodi 16. v. 32. Præceperat Deus Moysi, vt asseruaret manna in futuras generationes: *Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, vt custodiatur in futuras retrò generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti.* Quid verò Moyses? asseruaturus illud in dixit Aaroni: *Sume vas vnum*

1. ad Corint. 11.

S. Thomas.

Exodi 16.

vnum, & mitte ibi Man, & repone coram Domino ad seruandum in generationes vestras. Nonne sufficiebat dicere, *accipe vas*, quorsum addidit *vnum*. Mysterium assecutus est D. Thomas supra citatus, per *vnum*, intelligens singulare, aureum, pretiosum, quale manna decebat. *Vas vnum* inquit,
ad Hebr. 9. *Quasi singulariter, & excellenter mundum.* Quod vas S. Paulus ad Hebr. 9. v. 4. vrnam auream appellat: *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quo vrna aurea habens manna,* Ex quibus verbi Apostoli S. Thomas infert: *Decet cor quasi* B *aureum esse purissimum per magnam munditiem, quod capere debet cœlestem panem.* Manna Catholici mei figurabat Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, & licet Deus solùm præceperit Moysi, vt seruaret *Man*; in quo vase, & in quali materia, eius arbitrio relinquens; ille tamen rectè iudicans, & deuotè, ita æstimauit seruandum, vt vas esset vnum, id est, quasi singulare, mundissimum, aureum, excelsum. Consideremus hic, quale nostrum debeat esse vas, nostrum cor, quod non manna, sed verùm Christi recipit cor-
S. Cyrillus. pus, verùm Dei sanguinem. Vnde meritò S. Cyrillus lib. 3. supra Ioan. cap. 34. C exclamat: *O profunditatem diuitiarum, sapientiæ, & cognitionis Dei: nam quoniam verùm manna illo sensibili figuratus est Christus, necessariò nunc docet, qua gloria, & virtute plenus est, qui Christum in seipso recondit.*

Irrepsit fateor, nescio an laudanda consuetudo, imò & doctrina, suadens etiam quotidiè ad sacram communionem accedendum esse: quia Apostoli
Acto. 2. Actuum 2. vulgarem filium omniũ communionem instituerunt: dicit enim ibi sacer textus: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus.* Quæ fractio ab omnibus
Apostoli quibus fidelibus vulgarem communionem fecerant. Catholici interpretibus, de sacra com- D munione intelligitur. Verùm, certum est Apostolos fecisse vulgarem communionem; eorum tamen fidelium, qui à baptismi fonte recentes, veteri ac terreno homine, cum factis suis nuper exuto, nouum ac cælestem induerunt: qui Apostolicarum manuum impositione, Spiritus sancti plenitudinem paulò ante acceperant: quorum fides innumeris quotidiè miraculis effulgescebat, quorum spes sublimia semper ac cælestia consectans, terrenas omnes diuitias, velut infra se positas, iacentesq; calcabat; quorum charitas, (quæ christianæ perfectionis apex est) ita absoluta erat, vt omnium illorum attestante sacro textu, *vnum cor, & vna anima est.* Ex quo facilè intelligitur, scripturam loqui solùm de fidelibus recens conuersis ad fidem; non autem de quibuslibet alijs fidelibus, facilè etiam in peccata prolabi solitis. Legite caput 1. Actor. & facilè videbitis ipsosmet sãctissimos Apostolos, cùm post Saluatoris resurrectionem, tantis ab eo gratiæ muneribus donati essent, cùm Spiritum Sanctum diuinissimo illius oris flatu accepissent, cùm doctrinæ illius per orbem vniuersum disseminandæ, mira-
Apostoli post resurrectionem vsq; ad vltecosten à sacra communione abstinebãt. culisq; omne genus confirmandæ, potestatem essent adepti; tamen quasi se minus idoneos, paratosq; sibi visos fuisse ad cælestem illum panem attingendum, sed expectabant, & plenitudinem Sancti Spiritus præstolabantur, quò digniùs, & sanctius tremenda illa mysteria peragerent, vsq; ad Pentecostes abstinentes à sacra communione, & sanctis orationibus deuotè vacantes, Actor. 1. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre IESV, & fratribus eius.* Vt hinc perspicuum sit, quo ordine ad Eucharistiam, si verè ac legitimè illâ ita volumus, progrediendum sit.
S. Bonauen. Hinc S. Bonaventura ad illam quæstionem, vtrum præstet sacra communione frequentiùs vti, an rarius? in 4. senten. dist. 12. part. 2. ar. 1. respondet. *Si quæritur, vtrum expediat frequentare alicui: dicendum, quòd si videat se esse in statu Ecclesiæ primitiuæ* (id est, in baptismatis sanctitate, in vitæ innocentia, in charitatis, ac Spiritus sancti ardore) *Laudandum est, quotidiè communicare. Si autem in statu Ecclesiæ finalis, vt pote frigidum, & tardum, laudandum est, quòd verò. Si autem in medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, vt addiscat reuereri; aliquando accedere, vt inflammetur amore: quia tali hospiti debetur honor, debetur &* amor; *& tunc secundùm illam partem, secundùm quam viderit se magis proficere, ad illam magis declinet: quod homo solùm experientia discit.* Vnde etsi omnibus hoc Sacramentum dedit Christus, etsi pro omnibus illud instituit, ausim tamen dicere, quòd maximè, & principaliter pro mundis, id est, pro in munditie, & castitate excellentibus, iuxta illud Apocal. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum.* Quem locum S. Augustinus, Beda, & Rupertus de Eucharistiæ Sacramento exponunt. Vincenti inquam, id est, puro, illibato, ait Rupertus: *Vincenti dabo manna absconditum; nam in isto gradu vincere, est doctrinam Balaam, id est, formica-*
Apocal. 2. S. August. Beda. Rupertus.

fornicationes primùm in semetipso per virtutem continentiæ, deinde in alys per scientiam destruere; qui autem hoc modo vincit, ille Sacramentum corporis, & sanguinis Domini dignè percipit; sicut è contrario ille, qui vincere negligit, accedens ad hoc Sacramentum, iudicium sibi manducat, & bibit. Quibus verbis talem munditiem requirit in eo, qui hoc Sanctissimum Sacramentum sumit, vt non solùm ipse sit mundus in se, sed vt munditiem etiam alijs communicet; ita mundus, vt ex visu, & gestu, ex actu, ex vita, ex loquela puritatem, ac munditiem præseferat, nec solùm ipse mundus sit, verùm etiam alios mundos faciat.

Indigna Eucharistiæ sumptio mortem, & infirmitates causat. Dicam ampliùs, ita mundum à sordibus oportet esse hominem, qui Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpturus est, vt non sufficiat quælibet temporanea mundities, sed necessaria sit diuturna, longæua, ac veluti senescens, ad hoc, vt dignè accedat, vtque à Domino tanquàm indignus, non iudicetur. Propter quod S. Paulus 1. ad Corint. 11. v. 31. causam mortis, ac infirmitatis in hominibus non aliam assignat nisi impuritatem conscientiæ, quâ ad hoc venerandum Sacramentum accedunt: *Ideò inquit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quam tamen impuritatem C D. Augustinus citatus à S. Thoma opusc. 58. cap. 16. non peccaminosam intelligit, sed indecentem, quatenùs statim post pœnitentiam peractam, ad sacram communionem accedere audebant.
S. August. Verba Augustini sunt: *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur; ab ipsa mente pœnitentis talis sententia proferatur, vt se indignum iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini, vt ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cælestis panis separetur; indignè enim accipit, si tunc accipit, quando debet agere pœnitentiam, id est, quando incipit, ergo se priùs iudicet, vt à se iudicatus non iudicetur à Domino.* En quantam Dei iram in se prouo- D cant, quàm seuerum sibi iudicium parant, qui illicitis voluptatibus dediti, & cum meretricibus impudicè conuersati, manè vbi euigilauerint, ad altare accedunt, reputantes dignè, quia confessi; cùm tamen S. Augustinus palam pronuntiet, non solùm indignè Sacramentum accipere eum, qui impurus accedit; sed etiam illum, qui recens mundatus, & quando pœnitentiam agere incipit. Nam licet per confessionem, & per gratiam virtute absolutionis obtentam, pulchra efficiatur anima; nihilominus ex malis habitibus, qui remanent ex inor-
Statim post confessionẽ accedere ad sacram cõmunionẽ minus securum. dinata natura, ex defectibus habitualibus, exactibus peccaminosis, licet non mortalibus, ita malè olet, vt nisi diu per myrrhinum vnguentum, id est, per pœnitentiam, & lachrymarum flumen te abluas, quamuis non lethalem; inconguum tamen ac molestum emittas odorem, ideoq; indignissimè, hoc est, indecentissimè accedes, quoniam non eâ, quâ decet puritate.

Fateor generaliter & vt sic loquendo, consulendam esse frequentem communionem, vt expressè docet S. Thomas 3. S. Thomas. p. q. 80. ar. 10. & in 4. q. 3. dist. 12. art. B 1. quæstiunc. 2. Vnde S Ambrosius lib. 5. S. Ambr. de Sacramentis cap. 4. dicit: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quotidiè accipe, vt quotidiè tibi prosit, sic viue, vt quotidiè merearis accipere.* Maximè ex hac ratione, vt à peccatis præseruemur. sic censet S. Bernardus serm. 1. in cœna Domini, vbi dicit: *Duo in hoc Sacramento operantur, sensum minuit in minimis, & in grauioribus peccatis tollit omnino consensum.* Expendite singula, & quàm necessaria sit frequentia communionis, attendite. Valide tentatur quispiam, malis oppressus habitibus efficacissimè impugnatur, vt ad vomitum redeat; ita tamen illum præmunit hoc diuinissimum Sacramentum, vt à peccatis omninò tollat consensum, vt vnde priùs nullo negotio velut iumentum ducebatur ad consentiendum, postea vt rationis capax obsistat, ac resistat. Pariter hoc ipsum præstat in minimis, imò & aliquid amplius: ita enim motus compescit, vt sensum minuat, leuiorq; fiat tentatio. Addit S. Bernardus: *Si quis* S. Bernard. *vestrum non tàm sæpè modo, non tàm acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat: quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.* Vnde Concilium Tridentinum, Conc. Trident. maximè in votis habens frequentiam sacræ communionis sess. 22. cap. 6. dicit: *Optat sancta Synodus, vt singulis missis fideles astantes communicarent.* Profectò rationale votum, cùm non aliter diabolus à fidelibus debelletur, quàm frequenti Eucharistiæ sumptione.

Accuratè multi ex Doctoribus inuestigant, quare Dominus Deus post diluium concesserit hominibus carnes comedendas. Genes. 9. v. 3. *Omne quod mo-* Genes. 9. *uetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Cùm tamen primis parentibus non carnes, sed herbas concessisset. Genes. 3. *Maledicta terra in* Genes. 3.

opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. Respondent S. Chrysosthomus & Theodoretus, Deum post diluuium ob malignitatem terræ, tàm peccato ; quàm diluuio ac salsedine maris inductam, & consequenter ob vires imbecilliores tum hominum, tum plantarum, hominibus carnes indulsisse. A fortiori meâ sententiâ possumus affirmare, quoniam hisce temporibus magnum vbiq; terrarum diluuium peccatorum excreuit, magis nunc hoc Sacramentũ necessarium esse ; quàm in primitiua Ecclesia, quando feruor aderat spiritus. B Nam ita nunc eneruatæ sunt spirituales hominum vires, ita terra infæcunda omnium virtutum, ita peccatorum diluuium debiles, ac sine substantia nos tenet, vt verendum sit, ne dùm à carne Christi sanctissima abstinemus, procul à salute remaneamus, præmonente S. Cypriano in expositione Dominica. *Vt* inquit, *manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt ; ita contra timendum est, & orandum, ne dùm quis abstemius separatur à Christi corpore procul remaneat à salute comminante ipso, & dicente, nisi manducaueritis.* Ex hac doctrina facilè quisq; inferre posset, ad euitandum C grande periculum, ne scilicet à diluuio peccatorum malorumq; absorbeamur, nos etiam quotidiè, si fas esset, communicare debere.

Deus cur post diluuium carnes comedendas hominibus indulsit.

S. Cyprian.

Verùm reuocat me ab hac assertione, difficillis illa sententia Salomonis, Prouerb. 23. num. 1. *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Septuaginta legunt : *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuam sciens, quia talia te oportet præparare.* Hæc mensa potentis passim creditur à sanctis Patribus, & Doctoribus, esse Eucharistica mensa, cui D qui accumbit, obligatur attendere, & percipere, quæ in ea ponuntur, vt paret se ad præstanda similia. Indagate diligentiùs, quæ ponuntur in mensa Eucharistica ? & cognoscetis, quia ibi ponitur ipsissimus Christus, qui debita nostra in se susciens, & vitâ, & sanguine fuso, curauit satisfacere creditori Patri pro illis. Hoc attendat, qui huic mensæ accumbit, & seriò præparet se ad talia præstanda, sed nunquid poterimus talia præstare ex nostris ? Equidem non talia parare, & præstare tenemur, in exhibitione substantiæ, cùm hoc sit impossibile, sed in imitatione virtutis. Christus in cruce sancta, vt pro nostris debitis Patri satisfaceret, proprio sanguini non pepercit, ad minimam guttulam illum fundens ; ita & nos satisfaciendo profratribus ad fundendum sanguinem parati esse debemus. Ait Diuus Augustinus tract. 47. in Ioan. *Mensa Potentis, quæ sit, nostis, vbi est corpus, & sanguis Christi, qui accedit ad talem mensam, præparat talia ? Quomodò ipse animam pro nobis potuit ; sic & nos debemus ad asserendam fidem, animas ponere pro fratribus.* Christus dum velut agnus innocentissimus assaretur in cruce, voce valida pro crucifigentibus clamabat ad Patrem : *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Docens nos benefacere inimicis : ergo & cum eodem gustu à mensa Eucharistica recedamus. Christum in hoc imitari debemus, quemadmodùm fecit Protomartyr Stephanus Auctore Diuo Augustino serm. 1. de sanctis : *Magna* inquit *pietas fratres, magna clementia, prorsus qualia in mensa Domini sui comedit, talia & ipse in suo conuiuio præparauit. Scriptum est in lege : Ad magnam mensam sedisti ? scito, quoniam talia oportet te præparare. Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in sui Domini mensa comedit. Dominus Christus dixit : Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt : Stephanus dixit, Domine ne statuas illis hoc peccatum.* En quàm similia sint verba in Stephano, & in Iesv : nec mirùm, quòd Stephanus tàm similia pararet : vt enim ex magna Dei mensa comedit, statim adductus est, vt in benefaciendo inimicis similia pararet.

Prou. 23.

S. Augustin.

S. Stephan⁹ in orando pro inimicis Christũ imitat⁹ est.

Huc spectans Isaias cap. 65. dicebat : *Lupus, & agnus pascentur simul, & leo, & bos comedent paleas.* In quo loco notat D. Cyrillus, & S. Hieronymus ad cap. 11. Isaiæ, quòd bos, & agnus, non abeant in escas leonum, ac luporum ; sed potiùs in suis mensis admittant agni lupos, boues leones ; quando proprius cibus agnorum, & boum est herba, aut palea. Verùm, cur agni, & boues, adeò fera, & sibi inimica animalia secum admittunt ? cur non potiùs naturæ instinctu illa fugiant, & execrantur ? Profectò, quia id habent ex diuino pabulo gustato, cuius proprium est, etiam ad inimicos extendere charitatem. Accipite D. Cyrillum in citatum Isaiæ locum id ponderantem : *Comedunt enim immansueta* ait, *& fera simul cum mansuetis ; est autem eorum cibus Christus, panis viuus, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo : alit autem carne propria.* Et quidem vbi Christus cibus est, vbi aluntur homines pane viuifico, nimirùm carne Christi, non mirum,

Isaiæ 65.

Cibus Eucharisticus mansuefacit homines.

S. Cyrillus.

mirum, quòd agnelli Christiani ita affi- A ciantur ad inimicos, & persecutores suos, vt vel efferos, & immansuetos lupos in epularum societatem admittant. Hic ordo charitatis, quæ ad hostes extendatur, de cælesti conuiuio nascitur. Adeò vt mensa Eucharistica minimè dissidentes admittat. Hinc illud Christi monitum Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersùs te ; relinquè ibi munus tuum ante altare, vade priùs reconciliari.* &c. Quia Auctore D. Chrysosthomo homil. 16. in Matth. sacrificium Deo est fratrum reconciliatio, & per aliquas inimicitias dis- B sidentes, nequaquam mensa hæc suscipit. Considerent id diligenter, potissimùm qui sacris mysterijs initiati, cum inimicitijs ad communionem alteris accedere præsumunt. Meritò proinde dixit Salomon : *Statue cultrum in gutture tuo,* vt nimirum subtili pensemus indagine, ac veluti cultro subtilissimæ considerationis pensando recogitemus, quando, & quantùm comedere debeamus, nec indiscretè manum apponentes, ingurgiteq; nos satiantes, plùs quàm par est, comedentes, non nutritionem, sed indigestionẽ hauriamus. Ingeniosè S. Chrysosthomus homil. 28. in 1. ad Corint. C cap. 11. super illa verba : *Probet autem seipsum homo,* discurrit : *Si febre laboremus sensibili, non communicaremus mensa, ne perderemur, longè magis homo tangere nefas est, absurdus cupiditatibus impedito, qui febribus grauiores sunt.* Paucinè sunt tales, qui heri toti in peccatis, qui nunc febre laborant cupiditatum, prætensionum, ambitionis, occupationum, negotiorum, curarum, ac toti prorsùs se inueniunt in mundi sollicitudinibus ; & nihilominùs se dignos æstimant, vt quotidiè hoc tremendum non vereantur accipere Sacramentum.

Matth. 5.

Mensa Eucharistica dissidentes non admittit.

S. Chrysost.

Quando Nabuchodonosor post expu- D gnatam Hierusalem, plurimos de filijs Iuda in captiuitatem adduxit, quatuor pueris excellentioribus, Danieli, Ananiæ, Misaëli, & Azariæ assignauit annonam. Daniel. 1. v. 5. *Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse.* Magna equidem circa pueros captos prouidentia regalis, vt penitùs illa eis præstari voluerit, quæ sibi. Magna cura, sollicitudo, amor, ac benignitas, quia per singulos dies. Sed videamus, quas etiam conditiones requirebat in illis, quisic quotidiè de cibo regio edere deberent. Has aperit sacer textus loco citato, v. 3. *Et* ait *Rex Alphonez præposito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Israël, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos omni sapientia, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ, & qui possent stare in palatio Regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* En quanta, & qualia, quàm magna, quàm egregia, quàm rara Rex in pueris, quotidiè eodem pane, & vino, ac ipse cibatis requirebat ? Quæ si moraliter intelligere, & ad rem nostram accommodare voluerimus, totum hoc ad quotidianam Eucharistiæ frequentationem necessarium esse comperiemus. In primis enim, qui singulis diebus ad hanc diuinissimã mensam accedere præsumit, debet in se habere semen regium, puta animum sublimem, omnia mundi licet alta, licet grandia spernentem. Præterea, debet nullam habere peccatorum maculam, vt niteat puritate nunquàm contaminatâ, semper intactâ, ac impollutâ, vlteriùs debet virtutum formâ, atq; gratiâ splendescere, vt in illo nihil penitus sit, quod vel leuissimam reprehensionis censuram incurrat. Debet adhuc sapientiam per diuinorum contemplationem possidere : scientiam per sanctas ac pias meditationes : doctrinam per moralem omni- Mos aduocandi fideles ad sacrã cõmunionẽ in primitiua Ecclesia. cum virtutum exercitationem. Ac tandem debet tali fortitudine præditus esse per habitus virtutum heroicarum, vt dignus æstimetur continuè in palatio habitare regali ; ita adoptatus, vt dignus inueniatur ad literas, & linguam diuinam intelligendam, id est, Spiritus sancti afflationes, instinctus, motiones, loquelas, adeò, vt totus fermè in diuinã transfiatus, vltra homines, vltra Angelos sit, non tantùm bonus, sed etiam sanctus. Hinc mos ille antiquus in primitiua Ecclesia erat, vt diaconus ad sacram communionem fideles aduocans, clamaret : *Sancta sanctis,* id est, vt exponit S. Chry- S. Chrysost. sosthomus homil. 17. in epist. ad Hebr. *Ac si diceret, si quis non est sanctus, non accedat, non simpliciter dicit à peccatis mundus, sed sanctus : sanctos enim non mundatio tantùm à peccatu facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia.* Et iterum supra citatum Danielis locum dicit : *Si enim Rex Babylonis ex captiuitate eligens iuuenes, honestos formâ & decoros facie eligit, multò magis & nos adstantes mensæ regali, honestos specie animæ esse oportet, ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum.* Quid elegantius dici potuit ?

Dan. 1.

Conditiones requisitæ ad frequentationẽ cõmunionis.

Introspiciat seipsum homo, & si talis est, accedat quotidiè, hoc est Christi desiderium,

siderium, hæc intentio mensæ Euchari- A sticæ institutæ, vt cum omnimoda sanctitate, & puritate conscientiæ ad eam accedamus. Adhortante Apostolo 1. ad Corint. 11. illis verbis: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quid oro Apostolus probandum suadet? solumnè an sit in statu peccati mortalis? ita profectò aliqui opinantur, sed errant vehementer. Apostolus enim non solùm mortalium, sed etiam venialium probationem intellexit. Hæc est doctrina S. Chrysosthomi in hunc locum, vbi ostendit, quòd homo seipsum probare debeat, an ex vsu, & consuetudine accedat; an verò ex deuotione, & ex feruore charitatis. *Probet autem* inquit *seipsum homo, non sicut nos facimus, qui tempore moti magis accedimus, quàm studio animi: non enim omninò spectamus eò, vt accedamus parati, & malis nostris expiatis, & pleni compunctione, sed in diebus festis, & quando omnes accedunt: sed non sic iussit Paulus, sed vnum nouit tempus aditus, & communionis puritatem conscientiæ.* Ne verò quispiam existimaret per puritatem conscientiæ, solam peccati mortalis carentiam intellexisse D. Chrysosthomũ, ideò paulò inferiùs seipsum ita explicat: *Nefas est enim hanc mensam tangere cum malis cupiditatibus; quando autem dico prauas cupiditates, C & corporum dico cupiditates, & pecuniarum, & iræ, & odij, & acceptæ iniuriæ recordationis, & omnes vt semel dicam prauas.* Ne tamen locus adhuc relinqueretur, per istas cupiditates intelligendi *mortales*, addit sanctus Doctor: *Et oportet eum, qui accedit, his omnibus exhaustis, ita illud mundum tangere sacrificium; & neq; segniter, & miserè affectum, necesse habere propter diem festum accedere, neq; rursus compunctum, & paratum prohiberi, propterea, quòd non sit dies festus.* Vult itaq; S. Chrysosthomus, vt ista probatio sit non solùm de peccatis actualibus; sed etiam de malis habitibus, & vtrum homo ex consuetudine accedat, quod solùm est D peccatum veniale: an absq; segnitie, an quia dies est festus, & omnes accedunt: nam tunc cuilibet dies erit festus, quando fuerit paratus, & ideò si quotidiè accedat. Quænam verò sit ista præparatio festiua, vt homo quotidiè possit accedere, & quis dies festus? Respondet citatus Chrysosthomus: *Dies enim festus est bonorum operum ostensio, & pietas animæ, & vita rectè instituta, & si hæc habeas, poteris semper festum agere, & semper accedere.* Ergo ex verbis S. Chrysosthomi euidenter sequitur, iuxta D. Paulum probationem non solùm mortalium, sed etiam venialium intelligendam esse: præterea indignè accedere, qui ex consuetudine accedit ad communicandum. Tandem, vitam eorum, qui quotidiè communicare volunt, debere habere bonorum operum ostensionem, non malorum: pietatem animæ, ac insuper vitam benè institutam, non lasciuientem, & petulantem.

1. Corint. 11. — 3. Chrysost.

Eandem doctrinam tradit S. Gregorius in cap. 2. lib. 1. Regum, super illa verba: *Repleti priùs pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.* Vbi verba hæc exponens de Sacramento altaris, & de malis sacerdotibus, quasi præcauens, ne quis eum intelligeret solùm de peccatis mortalibus, sic dicit: *Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt à peccatis, quibus ea humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidiè contentur: nam qui quotidiè non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata, quæ corgerit, paulatim anima repletur, atq; ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis hac repletione.* Vbi indignitatem illam intelligit, quæ est peccatorum venialium. Ex qua doctrina sequitur, quando dicit S. Paulus: *Probet autem seipsum homo*, eum loqui de probatione non solùm mortalium, sed etiam venialium.

1. Reg. 2. — S. Gregor. — B

S. Bonau.

Comprobat S Bonauentura opuscul. tom. 1. de præparatione ad missam, c. 5. ita loquens: *Tertiò proba te ipsum ex quanta charitate, & quali feruore accedis: non solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia, per negligentiam, & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, & per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis.* Ecce Seraphicus Doctor non solùm vult, vt homo ad sacram Eucharistiam accedat, mundus à venialibus ex genere vt vocant; sed etiam ex subreptione, quantùm fieri potest: Cuius rationem statim subiungit pergens: *Nam licet non occidant animam; tamen reddunt hominem tepidum, grauem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum.* Moxq; concludit: *Ideò caue, ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconsideratus: quia indignè sumis, si non accedis reuerenter, circumspectè & consideratè.* Hinc illa Apostoli comminatio: *iudicium sibi manducat, & bibit.* Qualenam autem hoc iudicium intelligat Apostolus, statim ipsemet explicat, subdens: *ideò inter vos multi imbecilles*, scilicet, per fidei inconstantiam; *& infirmi*, id est, graui peccato sauciati: *& dormiunt multi*, scilicet per torporem, & desidiam. Horrenda sanè verborum Apostoli explicatio à Diuo Bonauentura tradita, quòd nimirum iuxta Apostolum, qui indignè accedit, id est, cum peccatis

C

peccatis venialibus habitualibus, & ex- A genere, nullo delectu, nulla deuotione, nulla circumspectione, *iudicium manducet*, non quòd nouum committat peccatum, sed quia iusto Dei iudicio, in pœnam talis irreuerentis sumptionis, mereatur forsitan in fide vacillare, in grauia incidere peccata, & dormire per desidiam ac torporem, ita vt ignis ille diuinus qui ex se potens est dignè acceptus totum te inflammare; ob indignam sumptionem, obq; tua demerita, non sit respectu tui ignis, sed nix, sed gelu, sed glacies, dùm iusto Dei iudicio frigidior post, ac ante sumptionem manebis, & B in dies non te ardentiorem, sed tepidiorem inuenies, quod frequenter experientiâ ipsâ compertum habemus.

Et ne vlteriùs excurram, contrahendo calamum, doctrinam sacri Concilij Tridentini in medium adduco sess. 17. cap. 7. cuius titulus, *de præparatione, quæ adhibenda est, vt dignè quis sacram communionem percipiat.* Vbi dicit sacra Synodus: *Si non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè, certè quò magis sanctitas, & diuinitatis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cauere debet, ne absq; magna reuerentia, & sanctitate ad id accedat percipiendum, præsertim, cum illa plena formidinis verba C apud Apostolum legamus, qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Vbi sacrum Concilium in his verbis eam puritatem requirit, quæ summa est, & sic dubio procul non solùm mortalium, sed etiam venialium munditiem exigit: nam ex mente omnium Doctorum, hoc est sancta sanctè accipere, nimirum cauere, non solùm ne indignè accedas, sed etiam nè sine magna reuerentia ac sanctitate.

Concil. Trident.

Olim summa puritas ad sacram communionem requirebatur.

O tempora, ô mores! summa olim puritas, summa sanctitas, summa mundities non solùm à mortalibus, verùm etiam à venialibus in accedentibus ad sa- D cram communionem requirebatur. At nunc cuilibet homini sæculari, negotijs mundi distento, ac implicato, qui non vitam degit spiritualem, qui totus in sæculo, qui habitibus plenus sordidis, stupris, adulterijs pollutus, vsuris, fœnerationibus, lucris illicitis, rapinis, dum modò confessionem præmittat, & qualem contritionem eliciat, etiam nulla præmissa satisfactione, permittitur accessus ad mensam Eucharisticam. Imò quòd grauiùs, mulierculis lasciuis, & insolentibus, quæ heri turpitudini carnis vacabant, dum modò hodiè ad confessionale accedant, suspirent, illachrymentur, quamuis totæ sunt in mundo, in delicijs, in malis habitibus, sine vllo perfectionis desiderio, ac strictioris vitæ, suadetur, consulitur, imò præceptum datur, vt quotidiè communicent. Rem profectò fædam, sacrilegam, Catholicis summè pertimescendam. Videte confessarij, qui vestris consilijs pœnitentes eò ducitis, vestram potiùs culpam hanc, quàm suscipientium esse. Ait S. Chrysosthomus hom. 85. in Matth. sacerdotibus: *Non parua vobis imminet vltio, si quempiam culpæ conscium, huius mensæ participem esse concedatu, sanguis eius de manibus vestru exquiretur, siue quis dux militiæ sit, siue Præfectus, siue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedens, prohibe, maiorem illo potestatem habes.* — S. Chrysost.

Necdum saris: parum est, etiam minus dignis quotidiè communicare, sed quod horret etiam calamus referre, & lingua dicere, tanta iam fit indulgentia in dispensatione mysteriorum Dei, vt etiam in domibus priuatis, in cubilibus, in stratis, in lectulis, permittatur etiam nullo morbo laborantibus, sed meris fruentibus delicijs, vt taliter sacrosanctum illud corpus suscipiant. Et quasi non esset corpus Dei, sed cuiuslibet alteriùs, ipsimet administratores sacrosanctam illam arcam audent in domo Dagonis collocare? Et quidem, si semel, aut bis, & quasi per transennam vt sic loquar, ex occasione, ex necessitate, ex causa graui id fieret, vtcunq; minus malum, & tolerabilius esset. Sed quotidie, quod in aulis magnatum toties vidimus; imò etiam vilioris conditionis viduarum diuitijs affluentium, quid hoc aliud est, quàm sacrarium Dei extra Ecclesiam, & in domo Dagonis collocare. O qualis ira Dei ex hoc supra nos, imò & supra ipsos communicantes. Sciunt hæc Antistites Ecclesiæ, & tolerant; vident spirituales iudices, & dissimulant; sentiunt sacrarum literarum periti, sed propter potentiam talia audentium, nolint velint, silere debent, donec tandem suprema in Ecclesia potestas, fastum, & sacrilegum ausum comprimat, vel Deus vindex sui honoris, vltricem manum apponat.

Abusus hoc tendus in ministranda sacra communione.

Nouimus arcam veteris testamenti à Philisthinis captam, in varijs eorum Phanis repositam fuisse, vt sentit D. Basilius orat. 3. de peccato.: *Arcam* inquit, *impiæ manus hinc, & hinc transferebant, & pro loculo sacrũ in phanis idolorum reponebant*; & tamen nunquam percussos legimus, nisi

S. Basilius.

quando intemplum Dagonis Arca introducta esset. Sanè non ob aliam causam, nisi quia in alijs templis per transennã, & ex necessitate. Cùm enim eam ducerent in Azotum, necessarium erat, vt dum iter agerent, in aliquo eam reponerent loco; nullus autem illis aptior videbatur, quàm Phanum deorum suorum. Hinc nec ipsi, nec eorum dij percussi sunt; at verò cùm ex professo eam reposuerunt in templo Dagonis, vt ibi quotidiè extaret, tunc & ipsi, & eorum Deus percussi, tunc occisi sunt. Et tamen Philisthini non fecerunt id ad arcam dehonorandam, sed potiùs summoperè dignificandam; ideoq; in domum eam Dagonis introduxerunt. Nihilominùs occisi sunt, & Dagon truncatus, 1. Regum 5. *Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Moxq; vlteriùs addit sacrâ paginâ: *Aggrauata est autem manus Domini supra Azotios, & demolitus est eos.* Causa est: quia Dagon, licet piscis, licet animal; vt Deus tamen adorabatur, vt Deus reputabatur, & arcæ sanctæ præferebatur. Quid putamus nobiscum fiet? quando arca Sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti, Deus ipse incarnatus, sub speciebus Panis & vini, quotidiè fermè in domum idolorum introducitur, idq; à sacerdotibus Deo consecratis, & eius societatem strictissimo iure sibi arrogantibus, quam eis promisit illis verbis: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.*

1. Reg. 5.

Ergonè talis reuerentia debetur Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, vt vilissimis homuncionibus postponatur? Accedere in peccato ad Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, grande nefas: nam quantùm est ex parte peccatoris, nisi aliunde Deus, siue Christus esset impassibilis, ex fœdo cum tali corpore contactu Deus ipse conspurcaretur, fædaretur. Vnde dicit Nicolaus Papa ad quendam imperatorem, vt habetur in 2. p. cap. 2. q. 1. *Polluimus it q; panem, quando indignè accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.* At quomodò polluimus? Equidem: quia si liquor diuinus in se non esset corruptibilis, quantùm ex parte nostra, dùm in vas putridum, ac malè olens imittimus, computresceret. Quod pro summa impietate iudicauit Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 10. *Plato quoq; in Philebo ait, qui fuerat barbaræ discipulus Philosophiæ, impios eos votauit, qui Deum in seipsis habitantem corrumpunt, & quod in se est, vitiorum suorum coniunctione polluunt.* Eruditè satis: reuera enim quantum in se est, polluunt; quia purus à puro desiderat attrectari, impurum refugiens. Hoc diuino spiritu afflatus Moyses probè cognoscens, inter alias leges populo Iudaico præscriptas, eam quoq; posuit Leuitici 18. v. 19. *Ad mulierem, quæ patitur menstrua non accedes.* Videtur prima fronte lex ista quasi superuacanea, cùm hoc filios procreare non impediat; & modestè ac decenter fieri possit. Et tamen id factum esse ad decentiam hominis futuri, respondet citatus Clemens Alexandrinus his verbis: *Non enim purgamento corporis, id quod est maximè genitale seminis, & quod mox homo futurus est, polluere est consentaneum, nec sordido materiæ profluuio, & quæ expurgantur inquinamentis inuolutum dare, & obruere.* Ita Deus futuro adhuc homini, & nondum existenti prospiciebat, vt illum noluerit ex fœtido spermate in maculoso loco incidente concipi. Quid putamus, quando non hominem futurum, sed factum; non hominem purum, sed Deum simul in sentinam peccatorum injicimus, in cloacam spurcitiarum? Nonne tantùm dishonorem, & crimen læsæ suæ maiestatis seuerè vlciscetur.

Nicolaus Papa.

Clemens Alexand.

Leuitici 18.

Descensurus olim Dominus in montem Synai, ita strictissimè interdixerat montis ascensum, vt neq; tactum eius tàm filijs Israël; quàm etiam iumentis permiserit. Exodi 19. v. 13. *Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatu fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur, siue iumentum fuerit, siue homo,* idq; tribus antè diebus, quàm Dominus descenderet. Necdum satis, verùm etiam postquàm eos iam Moyses sanctificasset, ac lustrasset, lauissentq; omnes vestimenta, insuper adhuc eis vsum coniugij interdixit: *Non appropinquetis vxoribus vestris, in die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Synai.* Tantam ergo Deus descensurus in montem, requirebat sanctitatem in illo populo, vt terribiliter etiam montem tangere prohibuerit, mortem comminando. Quid putamus, quando ad Sacratissimum Eucharistiæ Sacramẽtum homo immundus accedit vt bestia, non ad montem, in quem Dominus descendit, sed ad ipsum Dominum, intra se recipiendum? Nonnè eum lapidibus obruet, aut lapidibus confodiet. Mouet tamen dubitationem Rupertus, quoniam ad vxores accedere non est res illicita,

Clemens Alexand.

Rupertus.

cita, cur in illo populo abstinentia ab vxoribus requirebatur? & respondet: quia sanctitas non consistit in præcautione ab illicitis, sed à licitis. *Quid enim est ait, sanctificari, nisi abstinere à licitis? nam qui abstinet solummodò ab illicitis? pœnam quidem euasit peccati, sed gloriam nondum est assecutus sanctitatis.* Vnde & Dominus Lucæ 17. *Cùm feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Si ergo ad Deum solùm audiendum tanta abstinentia, & sanctitas requirebatur, quæ non solùm ab illicitis, sed etiam à licitis hominem purificaret; quid fiet, quando iam Deus non videtur; sed manducatur. Oza vt arcam cadentem sustentaret, quia eam tetigit, morte statim punitus est, 2. Regum 6. v. 7. *Extendit oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusq; est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Quis crederet, vt ob famulatum interimeretur: adeò, vt tremefactus Dauid timuerit ad se reducere arcam. Et tamen, vt agnoscatis iustum Dei iudicium, legite Magistrum sententiæ, lib. 2. cap. 9. Hugonem Cardinalem in cap. 11. Actor. Dionysium Carthusianum, tom. 1. tract. de sacerdotibus curatis ar. 59. qui illius interfectionis hanc vnicam causam afferunt, quòd post accessum ad vxorem, quamuis licitum, ad arcam accesserit, eamq; tangere præsumpserit: & ideò interfectus est, quia non eâ, quâ par erat, sanctificatione accessit. Cuius mors nobis in exemplum data est, vt timeamus, & reformidemus non pari ad Sanctissimum Sacramentum accedere sanctificatione, & pro certo teneamus mortem, dum non solùm non sanctificati, sed impuri accedimus.

2. Reg. 6.

Oza arcam Dei tãgens morte punitus est.

Ostendi igitur octo potentias, seu miracula, quæ Deus in augustissimo Eucharistiæ Sacramento manifestauit, ostendi summam puritatem ad eius sumptionem requiri: imò ea puritas necessaria esset, quæ nunquàm contaminata, sed semper intacta, ac impolluta extitisset, quod prorsùs moraliter impossibile est. Ideoq; curemus, quantùm in nobis est, vt ad hanc sacram mensam, cuius frequentia bonis, sanctis, & qui totaliter Deo sunt consecrati, permittitur; accedere non audeamus, nec præsumamus, nisi præmissa sufficienti probatione conscientiæ, nisi abstinentes, nisi à licitis non solùm, sed etiam ab illicitis. Quod si fecerimus, arctissimè Christi corpori vniri promerebimur.

DIE TRANSFIGVRATIONIS DOMINI.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius & transfiguratus est ante eos. *Matth. 17.*

Gloriosa Christi Transfiguratio cœlestis gloriæ imaginem nobis præ oculis ponit.

Anta est Dei nostri bonitas, vt nihil prorsùs de infinitis thesauris, rationales creaturas, ad æternam beatitudinẽ conditas latere velit, quin eis omnia, modo capacitati earum conuenienti manifestet. Quod eo fine facit, ne humanus intellectus, grossitie corporis impeditus, in errores inducatur. Quis enim scire potuisset, Angelos substantias spirituales, solo Deo inferiores, in præstantia, & perfectione substantiæ spiritualis, creatos esse? cùm plurimi medicorum apud Raynaldum, Angelos sanitatem, aut morbos corporis esse ineptè nugentur. Manichæi, & Prisscillianistæ, eosdem esse radium diuinæ essentiæ opinentur, tanquàm lucis increatæ. Nonnulli putent Angelos non esse substantias distinctas ab animabus humanis; quemadmodùm olim censuit Origenes, asserens, animas initio mundi omnes simul creatas fuisse, & earum quasdam peccasse mortaliter ibidem, ideoq; detrusas esse ad infernum, & vocari diabolos. Quasdam peccasse venialiter, & ideò in pœnam peccatorum immersas esse corporibus humanis, & antonomasticè vocari animas, ab animando corpore. Quasdam insuper permansisse in sua rectitudine, atq; sanctitate initio creationis acceptâ, & propterea in cælo relictas esse, Angelosq; vocari; nisi id diuina eloquia, per Regium Vatem nobis patefe-

Origenis error circa creationem animarum.

Psal. 103 patefeciſſent. Psal: 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Quis credidiſſet mundum hunc ſublunarem, cum ſuis elementis, & tot diuerſis viuentium, & inanimatorum generibus, ac ſpeciebus productum eſſe? niſi Deus per Moyſen ſeruum ſuum manifeſtaſſet. Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Quis delicias cæli, æternæ beatitudinis præpararas comprehendere potuiſſet? niſi illas vnigenitus, qui eſt in

Ad Hebr. 1 ſinu Patris, enarraſſet mundo. Hebr. 1. *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vni-* B

1. ad Corint. 2. *uerſorum.* Et 1. ad Corint. 2. v. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem Deus reuelauit per ſpiritum ſuum.* Vnicum habebat coæternus Dei Patris Filius, quòd eſſet lux æuiterna, Psal. 103. *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Sed quia lux iſta inacceſſibilis mortalem hominis oculum latebat, immenſæ bonitatis Redemptor noſter, vt ſplendorem illum gloriæ ſuæ oſtenderet, montem Thabor conſcendit, ibiq; nunquàm ante viſum edidit ſpectaculum: *quia reſplenduit facies eius ſicut ſol; veſtimenta autem* C *eius facta ſunt alba, ſicut nix.* Equidem tunc primum vidit ſol, quæ prius non didicerat, & qui ſolus fulgentiſſimis antea radijs cuncta illuſtrare gloriabatur, tunc deificum Chriſti corpus pulchriùs ſplendeſcere didicit, & ab humana facie vinci agnouit. Aderant diſcipuli congruentes ſpectatores, quorum oculi in ſpes ſuas expandebatur, & cum voluptate maxima viſionem captabant; montis excelſi ſilicibus inhærentes. Illud nihilominùs prodigio non vacat, quòd Apoſtoli in tanta ſplendoris Chriſti manifeſtatione conturbati, & exterriti fuerint. Audientes quippè vocem æterni

Matth. 17. Patris: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi* D *bene complacui,* dicit ſacer Euangeliſta: *Diſcipuli cecidерunt in facies ſuas, & timuerunt valde.* Profectò intempeſtiuus videtur iſte Apoſtolorum impauidus timor: quoniam Chriſtus gloriam ſuam eis manifeſtauerat: cùm enim Chriſtus gloriæ ſuæ diuitias eis manifeſtaret, certè potiùs voluptatis dulcedine repleri; quàm pauido timore proſterni debebant. Scimus vtique, quia Petrus ad vnicam Chriſti vocem per aquas maris ambulabat, & licet cùm acrius reflans ventus vndas verberaret, ac timoris procellam cieret, cœpiſſet iam mergi; non tamen cecidit, ſed ſolùm aliquantulum tituba-

Matth. 14. uit: *Deſcendens de nauicula ambulabat ſupra aquam.* Matth. 14. v. 29. At verò in monte Thabor tantam refulgentis Chriſti corporis gloriam cernens, penitùs in faciem cecidit: *Ceciderunt in faciem ſuam, &*

S. Ambroſ. *timuerunt valde.* Miratur S. Ambroſius ad cap. 23. Lucæ ita loquens: *Inter vndas licet titubat, non labitur: nutat, non cadit: fluitat, non præcipitatur; in monte tamen cecidit.* Quidnam hunc illis metum incuſſerit, non conuenit inter expoſitores, cùm potiùs complacentia in tanta magiſtri gloria, & auidum ſimilis gloriæ adipi- B ſcendæ ſtudium; quàm timor ſegniter pauidus eorum pectora implere debuerit S. Chryſoſthomus putat in citatum ſcripturæ locum ſcribens, homil. 57. quòd lux illa fulgentiſſima, & profunda nubes illis pauorem ingeſſerit. S. Hie-

S. Hieron. ronymus ibidem cenſet, id ex humana fragilitate proceſſiſſe: *Humana* inquit *fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet, & toto animo ac corpore contremiſcens, ad terram*

Syrus. *cadit.* Syrus addit: *Quia videbant Moyſen, & Eliam abeuntes intrare in nubem, ac per eam ex oculis eorum euaneſcere, timebant, ne Moyſen è nube fulmina, & tonitrua iacularetur, vti olim fecerat accipiens à Deo, & dans populo legem in* C *ſyna: ac ne Elias è nube iacularetur ignes, vti olim fecerat.* Quaſi diceret: quia in nube videbant Moyſen, ſicut olim legem ferentem; & Eliam ſeueriſſimum legis ſeruandæ zelatorem; ideò ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde, Græci Patres cenſent, ideò tanto timore perculſos fuiſſe diſcipulos, quia illâ gloriâ, quâ Chriſtus in ſua transfiguratione vſus eſt, non ſolùm lætitiæ ſignum, ſed etiam terroris ſimul indicium erat. Vnde exponentes illud Pſal. 44. *Accingere gladio tuo ſu-* Pſal. 44. *per femur tuum potentiſſimè; ſpecie tua, & pulchritudine tua.* Armorum minas, terrorem incutientes, cum glorioſa ſpecie, ac pulD chritudine, ita componunt. *Specie tua, id eſt gladius, ſpecies eius pulchritudo, auctoritas, & gloria.* Thaboris igitur gloria, non ſolùm Dominicæ ſpeciei, pulchritudinis, auctoritatis, & gloriæ, index erat; ſed etiam gladius ſimul ſeuerioris potentiæ vindex. Verùm, magis crediderim, diſcipulos Domini præ nimia felicitate, timore perculſos tunc in terram cecidiſſe. Quod non operosè ex Seneca Seneca. colligitur, qui epiſtola q. 3. ita dcit: *Quæ res tantùm valet, vt ereptum calamitatibus intra beatum locet? non poteſt adijcere, quod ſupereſt, vt beatiſſimum faciat, in ſummo deficit cli-* *uo.* Quocirca conſiderabimus, ad quid Chriſtus

Chriſtus in ſua glorioſa transfiguratio- A ne ita ſplendidus apparuit.

Chriſtum Dominum in monte Thabor ad inſtar ſolis ſuo lumine totum mundum irradiantis reſplenduiſſe arbitror ea de cauſa, vt ad indefeſſum ſtudium, & ſolicitam curam cæleſtis illius beatitudinis ſuos diſcipulos, in illiſq; omnes mortalium filios alliceret. Moueor ad hoc aſſerendum authoritate Sacræ Scripturæ, quæ tantam futuræ illius beatitudinis præſtantiam innuit, vt omnem penitus humanam capacitatem excedat.

1. ad Corint. 2. 1. ad Corint. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ* B *præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Nam corpora beatorum glorificata, iſtas quatuor dotes habebunt, in primis ſubtilitatem, per quam corpus ex ſe animale, & terreſtre, efficietur quaſi cæleſte, ac ſpirituale, quod eſt ſubtile. Habebunt præterea impaſſibilitatem, per quam corpus mortale, ac corruptibile, reddetur immortale, & ab omni corruptione, atq; paſſione prorsùs alienum, quod eſt impaſſibile. Habebunt agilitatem, per quam corpus ponderoſum, & infirmum, quod ſuo pondere aggrauat animam, efficietur perfectæ virtutis, ad parendum animæ in omnibus. Deniq; habebunt claritatem, per quam corpus ſub obſcurum, & deforme ratione opacitatis, reddetur pulchrum, perſpicuum, ac refulgens. Quas dotes enumerat D. Paulus 1. ad Corint. 15. loquens: *Seminatur,* (id eſt corpus per mortem) *in corruptione; ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale.* Quaſi apertiùs diceret, corpus humanum ad tantam deſtinatum eſt gloriam, itaq; lucidum erit in ſua reſurrectione, vt ſeptempliciter ſolis claritatem ſuperet. Auctore Laurentio Iuſtin. lib. de diſciplina, & perfectione monaſtica, cap. 23. vbi de reſurrectione D carnis ita loquitur: *Nimia quoq; claritas fulgebit, ita vt ſolis ſepties tranſcendat ſplendorem. Ita erit impaſſibilis, vt nullo cibo, & potu indigeat,* affirmante id S. Cyrillo Hieroſolym. Cathech. 18. *Reſurget* inquit *hoc corpus, ſed non tale manebit, verùm erit æternum, & non ampliùs cibu opus habebit; neq; ſi alis ad aſcenſum: fiet enim ſpirituale, & ſplendebit vt ſol. Erit ita ſubtile, vt admodum ſpiritus cuncta penetret; ita agile, vt in momento infinita percurrat ſpatia.* Cùm ergo hæc ratio humana difficulter valeat concipere, niſi in aliqua imagine, ideò ſimilitudinem futuræ gloriæ Chriſtus in ſuo corpore ſpectantium diſcipulorum oculis exhibuit.

In quo certè Redemptor noſter Aſſueri Regis exemplum mihi imitatus eſſe videtur: hic enim vt ſe magnanimum regem oſtenderet, primis ſtatim regni ſui annis, omnibus Proceribus, ac nobilibus ſplendidum, & ſumptuoſum apparauerat conuiuium. Eſther. 1. *Tertio igi-* Eſther 1. *tur anno imperij ſui, Aſſuerus fecit grande conuiuium, cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis prouinciarum coram ſe.* Cauſam tanti apparatus, & tam ſumptuoſæ tractationis, cui ſimilem nec ſacra pagina, nec vllæ ſæculorum hiſtoriæ cómemorant vnquam, hanc reddit ſacer textus: *Vt oſtenderet diuitias regni ſui, ac magnitudinem, atq; iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore.* Quæro, nonne potuit Aſſuerus illas diuitias, & gloriam ſuam, multis alijs modis oſtendere? Potuit equidem: ſed non multos habuiſſet gloriæ ſuæ participes, ideòq; maluit bonus Rex ſibi in conuiuio aſſidere vniuerſos Principes, & viros inclytos regni, ita oſtendens diuitias gloriæ regni ſui, vt non modo illas, eiuſdem regni nobiles ſpectarent; ſed etiam participarent. Quoniam Regium, & maximè diuinum eſt, in bonorum, ac gloriarum conſortio nobiles habere partici- C pes. Redemptor noſter pariter ad glorioſam ſuam transfigurationem, aſſumpſit cum diſcipulis Moyſen, & Eliam: *Et* Lucæ 9. *ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Matth. 17. S. Lucas cap. 9. ſcribit: *Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate.* Origenes legit: *Viſi in gloria,* vt nimirum cùm ab inſtanti ſuæ conceptionis eſſet inauguratus in regem regum, & Dominum dominantium, gloriam ſuam illis oſtenderet, doceretque Moyſen, & Eliam, eſſe regni ſui Proceres, & pertinere ad regnum, quod in terris fundabat. Vnde ſicut transfiguratio erat oſtenſio regni, & gloriæ Chriſti; ita adeò inclyti proceres debebant eam partici- D Tertullian. pare. Audite Tertullianum lib. 4. in Marcionem, ingeniosè id enucleantem in hunc modum: *Quid tàm Chriſti creatoris; quàm ſecum oſtendere prædicatores ſuos? cum illis videri, quibus in reuelationibus erat viſus? cum eis gloriam ſuam communicare, à quibus Dominus gloriæ nuncupatur? cum principalibus ſuis, quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoq;: alter initiator veteru teſtamenti, alter conſummator noui.* Vt ergo Chriſtus ſe verùm regem oſtenderet, ita diuitias gloriæ ſuæ tribus diſcipulis, & duobus Prophetis oſtendit, vt ſimul earum participes illos redderet: ita futuræ

beatitudinis magnitudinem præ oculis A posuit, vt quod hic videre non possent, summo conatu videndum procurarent.

Et ideò Christus in sua gloriosa transfiguratione, non suâ, sed suorum gloriâ decoratus apparuit: nam simili gloriâ beatis resplenduit, proinde minori; quàm illi debeatur. Sic censet Ansbertus vir magnæ eruditionis lib. 5. in Apo-
Ansbertus. cal. ita scribens: *Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol.* Absit autem, vt tantam faciei Christi tribuamus claritatem, quantam habere solem istum visibilem videmus: præsertim cùm & de membris suis ipse dicat: *Fulgebunt* B *iusti sicut sol in regno Patris eorum. Et quidem erunt electi æquales Angelis; non tamen Filij Dei. Nam quod in montem coram tribus discipulis transfiguratus, faciem suam in solis claritatem commutauit, futuræ membra sua iam tunc in seipso ostendit.* Ponderate dignum Ansberto ingenij acumen, iuxta cuius doctrinam, quantùm distat gloria seruorum à Domini gloria, tantùm gloria debita Christo Deo, antistat gloriæ, quàm beatorum corpora in cælo habebunt, in gloria æterna. Christi igitur facies resplenduit sicut sol, quia tunc gloriam beatorum corporum induit, de quibus dicitur: *fulgebunt iusti sicut sol.* Proinde non induit C totam augustissimam gloriam, debitam vnigenito Filio Dei Patris, sed adsimilem beatis corporibus, quam illis suapassione, & meritis acquisiuit, quò faciliùs ad diligentem eius curam vnumquemq; pertraheret, iuxta illud ad Roman. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ suæ, quæ præparauit in gloriam.* Siquidem beatitudo æterna ita est cognitu difficilis pro hoc statu mortali, vt sine speciali diuino auxilio plenè haberi non possit.

Quamuis enim Deus sit valdè visibilis, & cognoscibilis; non potest tamen à nobis videri propter debilitatem nostri D intellectus, ideòq; oportet, vt intellectus noster eleuetur, ac illustretur lumine gloriæ, quo possit illum videre. Nam lumen gloriæ tantæ virtutis est, quòd faciat hominem quodammodò proportionatum Deo, imò etiam similem, vt
1. Ioan. 3 habetur 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Dicuntur autem Beati similes Deo, nõ quòd sit in illis aliqua similitudo Dei naturalis; sed quia sicut Deus videt se clarè, & fruitur seipso, ita quoq; beati videbunt Deum, fruenturq; illo. Proinde dicuntur Deo similes, non propter formalem imaginem in se existentem, sed propter conformitatem actus circa idem obiectum. Et licet etiam homo in hac vita, videat aliquomodò, & cognoscat Deum; per hoc tamen non fit Deo similis: quia in hac vita Deus solùm videtur in creaturis in aliqua figura, & similitudine; non tamen videtur, sicuti est. Hinc Prophetæ in veteri testamento, quando dicunt se vidisse Dominum, non sunt censendi vidisse Deum per essentiam; sed per aliquam imaginem repræsentantem Deum, quod non est clarè videre. Similiter quando Moyses Genes. 22. dicit: Genes. 22.
Vidi Dominum facie ad faciem. Respondet S. Augustinus epist. 3. quòd tunc Deus loqueretur Moysi in aliqua forma visibili, S. Chrysost. nimirum in persona Angeli. Hoc ipsum docet lib. 3. de Trinitate cap. 11.

Verùm, si Christus Dominus in sua gloriosa transfiguratione ita splendidus apparere voluit, vt illo suo nimio splendore ineffabilem cælestis gloriæ magnitudinem hominibus instillaret, cur duos tantùm ex veteri testamento, Moysen & Eliam; tres autem ex nouo, Petrum, Iacobum, & Ioannem, tanti miraculi spectatores habere volùit? Et quidem de Moyse, atq; Elia, multas rationes tradit S. Damascenus. *Primò*, vt inquit, vnus ostenderetur Dominus noui & veteris testamenti. *Secundò*, vt qui transfigurabatur, viuorum ac mortuorum Dominus crederetur. *Tertiò*, vt videntes conseruorum gloriam, mirarentur pium Dominicum descensum, zelarent eos, qui priùs laborauerant, videntes amænitatem futurorum bonorum, magis fortificarentur in agonibus. Idem comprobat. S. S. Chrysost. Chrysosthomus lib. 3. cap. 24. hom. 57. in Matthæum. tom. 2. *Vt* inquit, *discerneretur inter Dominum, & famulos, vt pateat eum non esse aduersarium Dei, & legis transgressorem.* Alij censent, Moysen & Eliam ex ordinatione æterni Patris affuisse Christi transfigurationi, vt eos cæteri discipuli, imitarentur in regimine populi, vt fierent mittes sicut Moyses, & zelantes sicut Elias. Quantùm verò ad Petrum, Iacobum, & Ioannem, aliqui censent, ideò hos præ alijs fuisse assumptos, vt essent gloriosæ transfigurationis spectatores, quòd cæteris Apostolis excellentiores fuerint. Sic censet D. Chrysostomus hom. 57. in Matthæum ita secum discurrens: Quamobrem eos accepit? quia excellentiores videlicet cæteris erant; & Petrum quidem, quia valdè Christum diligebat; idcirco præstabat: Ioannes verò, quia nimium

Christus ad suam transfigurationẽ cur duos ex veteri testamento, tres ex noue assumpsit.

mium diligebatur! ac Iacobus, à respó- A so, quod dedit, cum fratre interrogatus dicens: *Possumus hunc calicem bibere*, Chri-
Dutharus. stianus verò Dutharus censet, id factum esse ob primatum Petri, dignitatem Euangelii S. Ioannis, & futurum D. Iacobi martyrium, sic loquens: *Secernuntur autem isti tres à cæteris, certe pro causis. Petrus, quia futurus erat pastor Ecclesiæ, & ad Romanos mittendus, qui rectores orbis erant. Ioannes, quia altiùs erat mundo locuturus diuinitatem eius, & apud Græcos sapientiores omnibus gentibus erat directurus. Iacobus, quia ipse primus de Apostolis, martyrium erat pro ipso subiturus.* Discreuit ergo Petrum à cæteris dilectio, ac inui- B dium pectoris robur. Ioannem splendor honestatis, & supereminens Sapientia. Iacobum subeundi martyrij cupiditas, inexplebilisq; sitis exhauriendi calicem passionis. Ternarium proinde selectissimum secum detulit in montem IESVS, amicitiæ & gratiæ participem, vt inter donorum decora, velut inter siderum fulgores sol iustitiæ resplenderet.

Alij censent, istos à Christo ad gloriosam transfigurationem fuisse assumptos, quòd illos tanquàm verus rex, pro consiliarijs sibi assidentibus habere vellet, vt viso illo insolito corporis, & vestium Iesu fulgore, apprehenderent, quæ Chri- C sto deberent consulere. Propter quòd voluit Christus, vt intelligerent de quo loquebatur, nimirum de excessu, id est,
Lucæ 9. de morte, Lucæ 9. v. 31. *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Res stupenda: Christus de sanguine pro subditis profundendo cogitabat, loquebatur, totus in bonum subditorum profusus. Quid verò Petrus? stultum consilium IESV obtrusit: *Præceptor, bonum est nos hic esse: faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ.* En quomodò Petrus totus tunc in bonum Regis Christi, amicorum, & sui profusus erat, reliquorũ fratrũ, ac orbis totius, cuius erat futurus D pastor, plenè oblitus. Idcircò Deus summus, ac Pater omnipotens, insipientiam Petri præcognitam habens, licet Christus verus esset Deus, qui falli, & fallere non poterat; nostro tamen concipiendi modo pro filio zelauit, quasi timens, ne isti tres, si adessent soli, forsitan & ipsum persuasissent Christum sibi tantùm consulere, cæteros derelinquere. Quoniam Petrus licet orbis pastor, de eo tamen nihil curauit; sed Christo & amicis omnia restringere curabat. Quod ar-
S. Damasc. gutè tangit S. Damascenus in Carena. D. Thomæ aiens: *Nam decebat etiam non so-*

Et tamen hic aulicorum genius est, Aulicorum pessima cõsilia.
hoc administrorum Regis studium, etiam in pessimis Regi annuere, imò quasi manuducere ad illicita. Principi nil aliud anteponere, quàm potentiam; in nihilo magis euigilare, quàm omnia subditorum illi attribuendo, stultam illam vocem proferentes: *Omnia esse Principum, hunc Dominum esse bonorum omnium, qui habent Regem.* Contra quorum insipientiam pugnat Abulensis 3. Reg. cap. 12, q. 4. *Non* Abulensis.
habent eum inquit, *in Dominum propriè loquendo, sed in rectorem, qui positus est ad procurandas vtilitates subditorum.* Quorum ita efficax, ita terribilis suasio est, vt ausim dicere, propè admirandum, si non persuadeant. Fateor Reges malis consiliarijs vtentes, posse opprimere subditos, spoliare pauperes, deprædari, innocentes persequi, contra ius & fas bona eorum diripere, priuilegia, immunitatesq;, subuertere: & quod grauius, non solùm vi, atq; armis; sed etiam negotiatione, præuentione, legumq; bellicis instrumentis, vt ita loquar, ac pro militibus ipsis legum peritis vtentes. Verùm sciant se his artibus nihil aliud lucrari, nisi certam sui ipsius simulq; regnorum suorum perditionem. Quoniam eiusmodi tyrannos extorres à diuina prouidentia, nudosq; constitui diuina protectione, ac proinde magnis tenebris obfuscari pronuntiat sapiens, Sapientiæ 17. v. 2. *Dum enim* Sapien. 17.
persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tecto, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. Ergo tales Principes Deum à se remouent; Deo autem à se elongato quid erunt? Equidem licet armis stipati, inermes; licet militibus cincti, soli; proinde timidi, & abiecti.

Accipite certum istius rei documentum ex sacra pagina. Expulerat per potentiam, & summam iniustitiam Rex Abimelech de suo regno innocentem Isaacum. *Recede à nobis, quoniam potentior factus* Genes. 26.
es nobis valde, Genes. 26. v. 16. Paruit iniquo Regis mandato Isaac, migrauit de finibus eius procul; neq; tamen ibi omninò securus extitit: nam dicit sacer

textus, quòd illum Rex persequi non destitit. *Ad quem locum venit de Gerara Abimelech, & Ochozat amicus illius, & Phicol dux militum.* Super quem locum scribens S. Hieronymus, per Ochozat non vnum tantùm intelligit hominem, sed aulicorum comitatum, propterea quòd in Hebræo legatur: venit Abimelech, & *collegium amicorum eius.* Septuaginta autem vertunt: *& Paranymphus Regis Abimelech*, qui apud Persas secundus a Rege habetur, cuius est, Regem coronare, & cohorti regiæ ex selectissimis, fidelissimis, Regisq; amicis, nimirum Dynastis cum illo enutritis præesse. Ergo Rex Abimelech non quomodocunque, sed magna stipatus aulicorum Principum, atq; magnatum caterua: imò etiam ipso militiæ Principe, duce belli gerendi peritissimo venit ad Isaac hominem simplicem, peregrinum, impotentem, ac de regno iniq; exturbatum. Ita vt Isaac stupefactus eos allo- Ibidem. queretur: *Quid venisti ad me hominem, quem odisti, & expulisti à vobis.* Quid verò Abimelech Rex? iuramentum amicitiæ ab Homo simplex & rectus etiam Regibꝰ terrori esse solet. Isaaco fideliter extorquet: *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt nõ facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet, sed cum pace dimisimus.* Quis vnquam credidisset, vt talia Rex ab homine priuato exquireret? cùm esset bellico apparatu stipatus; Isaac autem solus: vtq; non solùm amicitiam peteret, sed etiam malum sibi timeret, & ita quidem timeret, vt iuramento firmare vellet, ne illi inferretur. Profectò timor id effecit, quia Rex videbat cum Isaaco Deum esse, & secum non. *Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus: sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Igitur Abimelech licet Rex, licet militibus stipatus, licet aulicorum frequentiâ cinctus; tamen quia sine Deo, timebat vnum exulem, peregrinum, hominem ab omnibus destitutum.

Et vnde obsecro Rex Abimelech Deum cum Isaaco, & non secum esse cognouit? vnde illum tantus timor inuasit? Profectò ex tyrannide, ex oppressione, ex iniustitia contra innocentem exercita, ex potentia legitima quæuis subuertente, Deum secum non esse præsentiebat. At verò ex patientia Isaaci, ex mansuetudine, ex tolerantia eius summa, Deum illi adesse colligebat. Quid enim magis tyrannicum esse potuit; quàm puteos, quos sibi Isaac foderat, ei per summam vim, & iniustitiam eripere, ex quibus vita armentorum pendebat, & reliqua omnia bonorum eius; & tamen fecerunt hoc subditi Regis Abimelech ipso conniuente. Genes: 26. *Inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui Patris eius Abraham obstruxerunt, implentes humo.* Quid insolentius esse potuit, quàm sine culpa, sine vlla causa, hominem abundantem opulenta possessione, filijs, familiâ, armentis grauatum in exilium eijcere? quod fecit Abimelech Rex. Et nihilominùs cùm tanta ei mala fecisset, vt suam tyrannidem tegeret, ausus est dicere: *ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet, sed cum pace dimisimus.* Adeò, vt S. Chrysosthomus tantam impudentiam admiratus, meritò exclamet: *Vide, quomodò pugnantia inter se, præmentis angore, & turbatione loquuntur.* Et meritò: cùm enim tanta Rex ille intulisset mala Isaaco; nihil tamen mali audenter, ne dicam impudenter se intulisse ausus est affirmare. Genes. 26. S. Chrysost.

Ne miremini: hic est genius Regum, Principum ac Potentum mundi, spoliare subditos, deprædari pauperes, palliata iustitiâ, fucato colore, bona, res, vitam, honorem, ciuibus de Republica optimè meritis, & nullius criminis sibi conscijs adimere; & tamen nihil mali oppressis induxisse reputare. O crudum ingenium! ô violentam naturam, ab omni humanitate prorsùs degenerem, & ipsis belluis ferociorem. Verùm, eiusmodi Principes, aut potiùs tyranni, licet solemniter mentiuntur; intùs tamen à conscientia compelluntur, ideòq; timent, & ad iustum properant veniam exposcentes. Pulchrè S. Chrysosthomus in citatum scripturæ locum, vbi ad illa verba: *iustus non petit rationem, neq; expostulat, neq; arguit*, ita respondet: *Supernam enim timuerunt pœnam, scierunt enim, quòd licet ipse propter humanitatem suam non vlciscer etur, quæ fecerant, sed ille, qui tantam eius curam agebat, repeturus esset rationem eorum, quæ in iustum facta sunt, ea propter placant iustum, & componi cum eo studeant.* Principes itaq; persequentes innocentem, opprimentes pauperem, Deum à seipsis arcent, & extorres se à diuina prouidentia constituunt, ita vt statim non Deum benevolum, sed vlciscentem, & iratum experiantur, quo facto & seipsos, & regna sua perdant, nisi tempestiuè arctâ pœnitentiâ emendentur. Hinc S. Gregorius, Regibus hoc monitum tradit, vt semper minus sibi licere; quàm possint, reputent, tres illis virtutes necessarias assignans, benignitatem Idem. Regibꝰ tres virtutes maximè necessariæ. S. Gregor.

erga

erga subditos; iudicium, rerumq; malarum discussionem, ac tandem moderationem, seu clementiam. Sic eos epist. 6. lib. 5. epistolarum alloquens: *Tunc enim verè Regi regum, id est, omnipotenti Domino amplius placebitis, si potestatem vestram restringentes, minus vobis credideritis licere; quàm potestis.* Quid præclariùs? in nullo certè Reges omnipotenti Deo morem gerunt magis, quàm in potentiæ suæ restrictione, cùm per hoc propiùs ad similitudinem Dei accedant. Qui ita mundum hunc regit, ac moderatur, vt non potentiam, sed prouidentiam ostentet; ita gubernat, ac si non potens; ita omnia ad finem constitutum dirigit, vt solùm prouidus videatur. Christus ergo vt Reges terrenos edoceret, quales sibi assumere debeant consiliarios, tres solùm ex Apostolis, ad regalem, & magnificam transfigurationem suam assumpsit, quorum consilia, & curam, ac vigilantiam, non in bonum priuatum, sed in bonum aliorum, & salutem omnium propendere sciebat, vt & Reges pariter non omnium, sed paucorum, idq; iustitiam amantium consilijs sanis acquiescant; peruersa autem, & bono communi nociua repellant. Hoc vobis o inclyti Reges Poloniæ pridem, velut oraculum quoddam, noster Orichouius reliquit in fideli subdito ad Sigismundum Augustum, hæc scribens: *Quemcunq; inhumanum, arrogantem, auarum, ac plebanipetam videris; hunc tu insipientem esse dicito, & tuo conuictu indignum, etiamsi is barbarus fuerit, tristis, ac supercilios us, multorumq; tizulorum Doctor, potissimùm eius doctrinæ, quam ille verè nunquàm didicit.* Reges qnales consiliarios admittere debẽt. Orichouius in Fideli subdito.

Approbo istas rationes, vt pote à magnis Doctoribus, & sanctis Patribus traditas. Nihilominùs aliam rationem sancti Bonauenturæ, præsenti discursui magis accommodam amplector. Qui censet ideò tres Apostolos ex nouo testamento, & duos tantùm ex veteri assumptos fuisse à Christo ad videndam eius gloriam, vt ostenderet Christus, plures saluari ex nouo testamento; quàm ex veteri. Quod duplici via deducunt Theologi in primis, quia nos habemus perfectiora Sacramenta, & abundantiorem gratiam. Nam Sacramenta antiquæ legis, non causabant in suo vsu perfectam sanctitatem; sed solùm faciebant aptos Israëlitas secundùm legem ad eorum sacra mysteria, à quibus propter aliquas turpitudines, etiam solùm corporales, vi legis arcebantur. Proinde Sacramenta veteris legis, solùm conferebãt sanctitatem legalem, seu corporalem, vt apertè indicat S. Paulus ad Hebr. 9. v. 9, ita loquens: *Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodò in cibis & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnalibus, vsquè ad tempus correctionis impositis.* Et paulò inferiùs ibidem v. 13. idem probat: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Hinc idem Apostolus ad Galat 4. Sacramenta legis veteris vocat infirma, & egena elementa, per hoc ostendere volens, Sacramenta legis veteris non iustificasse in suo vsu suscipientes, & per hoc nõ causasse in suo vsu præsentialiter perfectã sanctitatem. Ad Hebr 9. Ad Galat. 4.

Quæ veritas manifestè colligitur ex Concilio Florentino, in decreto vnionis, vbi dicitur: *Sacramenta nouæ legis differre à Sacramentis antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Idipsum ratio manifestè suadet: si enim Sacramenta legis veteris in suo vsu causassent præsentialiter gratiam, homines sanctificantem, tunc multò fuisset vtilior lex vetus; quàm nostra, contra Scripturam sacram, & sanctos Patres oppositum docentes. Sequela patet: quia in lege veteri plurima Sacramenta fuerunt, teste D. Augustino 3. de doctrina Christiana, & alibi frequenter. Hinc autem vlteriùs sequeretur, quòd si quodlibet veteris legis Sacramentum causasset præsentem gratiam, homines in lege veteri plures vias habuisse ad salutem, & gratiam; quàm nos habeamus: ex eoq; lex vetus fuisset vtilior, quàm nostra. At verò Sacramenta nouæ legis causant gratiam sanctificantem, vt docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. *Baptismum vocans causam instrumentalem iustificationis.* Et Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi Sacramenta nouæ legis docentur continere gratiam, eamq; dignè suscipientibus conferre. Ergo nos habemus perfectiora Sacramenta, & abundantiorem gratiam. Differentia inter nouæ & veteris legis Sacramenta. S. Augustꝰ. Concil. Trident. Concil. Florent.

Deducunt id præterea Theologi ex eo: quia Sacramenta veteris legis nullum characterem spiritualem imprimebant, vt expresè docet S. Thomas 3. p. q. 38. ar. 1. ad 3. rationem hanc afferens: Quia Sacramenta veteris legis nullam habebant In nouo testamẽto plures saluantur, quàm in veteri. Sacramẽta veteris legis characterem non imprimebant.

bant virtutem, ad spiritualem aliquem effectum constituendum. Vnde in lege scripta sufficiebat Iudæis carnalis circumcisio, per quam ab infidelibus distinguerentur. Sic enim loco citato loquitur S. Thomas: *Ad tertium dicendum, quia sicut supra dictum est, Sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem, ad aliquem spiritualem effectum operantem; & ideò in illis Sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat.* Hinc D. Chrysostomus homil. 2. ad Ephes. affirmat, Israëlitas tanquàm pecudes obsignatos fuisse. *Obsignati sunt*, inquit *Israëlitæ, sed circumcisione, quemadmodùm pecudes.* At verò sacramenta nouæ legis imprimunt characterem spiritualem, nimirùm baptismus, confirmatio, & ordo. vt docet Concil. Trident. sess. 7. Can. de Sacramentis in genere, & Florentinum in decreto Eugenij, ac de Baptismo. Et Innocentius III. in cap. *Maiorem.* Propterquod sancti Patres baptismum vocant sigillum, signaculum, Characterem, vt Basilius libr. de Spiritu sancto cap. 12. S. Epiphanius hæresi 8. post medium. Damascenus lib. 4. cap. 10. Augustinus epist. 11. post medium. Porrò iste character, qui gratiâ Christi Domini per baptismum in anima supernaturaliter infunditur, est signum, seu qualitas quædam, quâ homo Dei obsequio addictus fit membrum Christi, & eius Ecclesiæ sanctæ, ac æterno eius seruitio mancipatus, ita vt ab omnibus segregatus, Christi militiæ adscribatur, atq; ab omnibus Angelis, & supremis potestatibus, vt talis agnitus, in reuerentia & honore habeatur. En quanta felicitas eorum, qui in lege Euangelica progenerantur, ex quorum numero plures Deus saluare vult; quàm in lege antiqua in cuius veritatis signum, Christus ad suam gloriosam transfigurationem, plures ex Apostolis; quàm ex Prophetis veteris legis assumpsit, nimio fulgore sui corporis, gloriam cælestem illis præfigurans, vt illo splendore allecti, indefesso conatu in eius consecutionem tendant.

S. Thomas. S. Chrysost. Character quid sit.

Christus in sua trãsfiguratione gloriam Apostolis ostendens, cur pœnas inferni non ostendit.

Disceptant nihilominùs Doctores, si Christus in sua glorioſa transfiguratione, voluit Apostolis ostendere gloriam suam, & per hanc ostensionem desiderium æternæ beatitudinis in illis accendere, cur nullibi in Scripturis sacris legitur, ostendisse illis pœnas inferni? Respondet S. Damascenus: quia vult omnes homines saluos fieri, quantùm est ex se, & sui regni fortunâ potiri, ideò gloriam suam ostendit; non ostendit autem pœnas inferni, quia non ad puniendum plasmauit nos. Præterea, Christus hoc fecit, vt ostenderet, quòd homo magis inclinetur ad videndum Deum, siquidem in homine est inclinatio naturalis, & capacitas naturæ, quâ naturaliter inclinatur ad videndum Deum, etiamsi non præcedat cognitio ipsius. Nam sicut lapidi datus est naturalis appetitus ad centrum; ita in creatione hominis, qui dedit illi naturam, dedit quoq; inclinationem, & capacitatem naturalem videndi Deum. Hoc expresè docet S. Thomas 3. contra gentes, cap. 50. & 51. & Opusc. 70. & supra Boëtium lib. de Trinit. in fine, vbi dicit: *Quòd homo naturaliter tendit ad videndum Deum, sed non consequitur nisi per gratiam.* Et 1. p. q. 12. ar. 1. vbi probat, nos posse videre Deum per essentiam clarè; quia aliter desiderium naturale hominis videndi Deum, esset frustra, & otiosum. Eandem sententiam tuetur S. Bonauentura in 4. dist. 49. q. 2. vbi in corpore articuli hæc verba habet; *quòd, quia anima rationalis creata est ad imaginem Dei, & similitudinem, & facta est capax boni sufficientissimi, ideò veram beatitudinem appetit naturaliter.* At verò aduidendum infernum homo non habet naturalem appetitum: ergo non expediebat, vt Christus aliquando hominibus pœnas inferni ostenderet. Tandem, quia homo magis mouetur ad benè operandum visâ gloriâ; quàm viso inferno: quoniam maius malum est perdere visionem Dei; quàm pati pœnas inferni. Vnde dicebat S. Chrysosthomus: *Satiùs mille fulmina sustinere; quàm faciem Christi perdere.*

S. Thomas. S. Bonauen. S. Chrysost.

Exposui igitur vobis glorioſam Christi transfigurationem, in qua resplenduit facies Christi sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, vt nobis imaginem cælestis illius gloriæ præ oculis poneret. cuius splendor multiplicitèr maior erit. Sicut enim magnitudo diuini splendoris tanta est, vt nullis rebus creatis possit comparari, quoniam Deus à toto mundo comprehendi non potest ob infiniratem suam, quamuis totus mundus plenus sit illo. Ita quia gloria cælestis est incomprehensibilis à toto mundo, quilibet beatus erit plenus Deo, & gloriâ eius; adhuc tamen superabundabit in infinitum gloria Dei. Quamuis ergo comparetur splendor vultus Christi splendori solis, & candori niuis; multò tamen maior futurus est splendor Christi,

Christi, & beatorum; quàm solis. Sed ad captum nostrum comparatur soli, quia apud nos nihil est sole lucidius, nihil candidius niue. Quocirca si volumus in illa claritate beatitudinis, gloriæ Christi participes fieri, à splendore transfigurati eius corporis illuminemur, vt opera lucis facientes, luci æuiternæ coniungi indissolubiliter mereamur.

SVPPLEMENTVM CONCIONVM

Pro festiuitatibus B. Virginis MARIÆ,

DIE CONCEPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

Ego ex ore Altissimi prodiui.

Beatæ Virgini ex triplici capite immaculata conceptio debebatur.

CVm peracto animantium censu, & nominum impositione eisdem facta, Adæ deesset adiutor similis eius, immisit Dominus soporem, in eum: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quàm tulerat de Adam in mulierem.* Genes. 2. Soporem hunc Septuaginta vocant *ecstasim*, eò quòd fuerit somnus extasi similis, & arcanis mysterijs grauidus. Peritè hic Diuus Chrysosthomus hom. 15. in Genes. & Proclus orat. 2. in Christi incarnationem, causam inuestigant, cur non potiùs ex vigili Adamo, verùm ex soporato prima mulier formata fuerit? *Verùm inuestigandum* inquiunt *est, cur non vigilante Adamo, sed dormiente, costa ei ablata sit, & ex ea ædificata mulier? nonne satiùs fuerat, ac commodius, eo peruigile fieri, vt formationis testu foret, artisq; admiratione defixus, conditoris sapientiam summis laudibus celebraret: vt nimirum ex luto facti essent nerui, carnesq;, ac apta illa ossium compago. Verùm non permisit Deus ita fieri.* Statimque causam reddit citatus Proclus, quòd per hoc Deus insinuare voluerit, ne postmodùm ab Adæ posteris immaculata Deiparæ conceptio nimis curiosè peruestigaretur. *Tum verò, quod sublimius est, ac diuinius,* ait *nouerat Deus hominem esse animal pugnacis contentionis acerrimè cupidum, ac statim formatum. Quocirca, ne Dei ipsum partum.* (Id est secundæ Euæ formationem) *curiosè nimis scrutari inciperet, immisit ei somnum, quo quasi freno audaciam compesceret; vix non talia ad eum dicens si agnatæ formationem minimè licuit conspexisse, ne præsumas ineffabilem Dei potentiam, incomprehensibilemq; generationem curiosè inuestigare.* Deus itaq; quâ pollet sapientiâ, præuidens pugnaciter contentiosum Adami, id est, humanum ingenium, somni frenum illi iniecit, ne artis gratiæ admiratione defixus in primam mulierem, secundæ Euæ, videlicet Mariæ conceptione, illam nimis curiosè scrutaretur. Neq; enim fas est, eam communibus gratiæ legibus taxare, quæ secundùm ineffabilem Dei potentiam arcanè censenda est. Non auderem proinde hodiè puriſſimum Virginis conceptũ scrutari, cùm eius curiosa inuestigatio, non secus, quàm diuinæ Incarnationis, humanam mentem perstringat, & tot gratiarum splendoribus obfuscet, nisi ipsamet pro se loqueretur. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Quasi diceret, non eo modo, quo filij Adam concipiuntur ex visceribus maternis; sed quomodò candidissima, quæq; ex ore diuino veniunt; ita ego prodiui. Cæteri homines, quemadmodùm ex peccatorum visceribus gignuntur; ita peccati labe polluti prosiliunt; ego verò sicut ex ore, spiraculoq; Altissimi prodiens, nihil, quo abstergi

Genes. 2.

S. Chrysosthomus Proclus.

stergi debeam admiſi. Ad quod pulchrè allusit D. Epiphanius oratione in Assumptione Mariæ, sic loquens: *Anna verò grauida effecta, cœlum, & thronum Cherubicum peperit Sanctam puellam Mariam.* Euidenter ostendens Virginem Deiparam ab Anna conceptam fuisse, vt cælum, & thronum eburneum, vt Cherubim: quæ omnia sicut non ex præsuppositâ materia, sed ex purissimo candidissimoq; ore processerant; ita Virgo Maria quantùm ad hoc, quod nullam maculâ incurreret, nullum infectæ Materiæ saporem haberet, quasi ex ore Dei processerit. Si ergo primis illis substantijs Dei exceptricibus, id est, thronis Cherubinis, non ineſt illa puritas, quæ venit post detersas aliquas maculas; sed illa, quæ nullam vnquàm agnouit admixtionem maculæ; verùm semper immaculata canduit, vt docet S. Dionysius Areopagita lib. de cælesti Hierarchia cap. 7 *Primas* inquit *illas substantias, quæ post Authorem suum Deum locatæ sunt, puritate singulari præditas existimandum est, non quasi maculis impuris, colluuionibusq; liberatas, sed vt omni submissione, atq; admixtione celsiores.* Quantò magis hæc immaculata puritas, omnium thronorum celsissimo, & DEO coniunctissimo, id est, Virgini Mariæ deesse potuit. Thronus est Maria singulari puritate refulgens. *Non quasi maculis impuris liberata?* Indignum quippè esset, tantæ altitudini, quòd egeret à macula liberari. *Absit*, inquit D. Bernardus serm. 2. de Assumptione, *vt proprijs quidquam inquinamentis domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Pia igitur audaciâ inquiremus, vndenam sanctissima Virgo habuit, quòd in sua purissima conceptione à macula Originalis peccati immunis esset.

Singulare hoc priuilegium, vt sine macula conciperetur Virgo Maria, habuit ex peculiari Dei prouidentia, diligenter id custodiente: quod in throno Salomonis, & lapide illo sine manibus abscisso pulchrè adumbratum video. De throno Salomonis dicit scriptura 3. Regum 10. *Et duæ manus hinc inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas.* De lapide autem Daniel. 2. dicitur: *Et abscissus est lapis sine manibus.* Lapis igitur sine manibus abscissus est, in quo figurabatur Christus sine virili opera concipiendus; sedes autem Regis duabus tenebatur, & fulciebatur manibus, vt ostenderetur Mariæ conceptio per congressum viri, & fœminæ facta. Vt tamen thronus iste Regius, Virgo Deipara sine macula conciperetur, manibus illis, id est, ordinario generationis modo seruato, adiuncti sunt duo leones: *Et duo leones stabant iuxta manus singulas.* Si enim pro custodia, & cõseruatione paradisi cherubim collocatum legimus; pro purificatione Isaiæ Seraphim descendisse, & singulis hominibus singulos datos Angelos, qui eos custodiant à primo conceptionis instanti, cur Mariæ conceptioni per duas illas manus sustentantes thronum adumbratæ, leones astare non debebant? Et enim Iacob Genes. 49. in Iuda filio suo Christum venturum annuntians dicebat: *Catulus leonis Iuda.* Vbi S. Ambrosius in Catulo, & leone, sapientes duos nobilissimos leones, id est, Deum Patrem, & Filium eius vnigenitum intelligit, qui per seipsos conceptioni Mariæ adstare voluerunt, ne illam etiam minima peccati macula inficeret. Mariæ itaq; conceptioni non adstabant Cherubim, non Seraphim: quia & Cherubim non custodiuit paradisum, nisi post peccatum in eo peractum; & Seraphim non purificauit labia Isaiæ, nisi quæ antè polluta erant; & Angeli nullius hominis custodiam suscipiunt, qui priùs non fuerit serpentis infectus halitu. Sed ipse Pater cum Filio sibi cœterno pro eius conceptione excubare voluit, ne quid mali incurreret in primo suo conceptu.

Deus Pater cum Filio adstabat conceptioni Mariæ.

Quando Deus ad imaginem suam, primum hominem formauit, considerate, quo loco illum constituit: equidem non in communiter facto agro, nec in communiter factis nemoribus; sed in singulari & à Deo separatim elaborato voluptatis paradiso. Nam postquàm tertio die per solam vocem condidit Dominus & campos omnes, & nemora, & syluas, iuxta illud Genes. 1. *Et protulit terra herbam, virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignum quoq; faciens fructum, & habens vnumquodq; semen secundùm speciem suam.* Licet inquam ad vnicum Dei mandatum, & campi iam repleti essent vbertate, & nemora existerent, & ligna pomifera in hortos distincta fructus suos producerent, totusq; mundus lignis, & salutiferis graminibus scateret: nihilominùs Adamo ad Dei imaginem creato, alius hortus paratus. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatu.* Non in communi tertiæ diei plantatione, non cum alijs nemoribus, & hortis; sed separatim: quia plantatio paradisi præparati diuinæ imagini, nihil cum cæteris commune habuit, sed debuit separatim cum præcipua

cipua Dei cura, & propria eius manu procreari. Sic docet D. Basilius homil. de Paradiso: *Scripturæ* inquit *verbo docetur, in paradiso arbores fuisse, à Deo præcipuâ quadam, & peculiari diligentiâ constitutas. Nam quemadmodùm hominem à cæteris animantibus discreta, ac singulari dignatus est formatione, itidem & homini apparauit, suaq; condidit manu peramænam, ac delicijs omnifariam diffluentem mansionem.* Ponderate vim rationis D. Basilij, DEVS hominem, quem ad imaginem suam formauerat, non in communi cæteris animantibus loco, sed in paradiso propria manu specialiter plantato constituit; & quomodò ipsissimam imaginem suam, nimirùm dilectissimum, & coæqualem Filium, Deus Pater in communiter factæ mulieris vtero ponere debuit? Quomodò animatum Mariæ paradisum, in communi hominum genere contineri permittere potuit? Fateor, si Mariæ natura in se spectetur, eam esse, quæ potuisset contineri in illa communi filiorum Adami generatione, & quantum est ex se, nullam aliam eximiam magis, & puriorem conceptionem petijsset. Cæterùm ex munere Dei Filio exhibito sufficienter conuincitur, magnum esse discrimen inter conceptionem Mariæ, & alias Filiorum Adami conceptiones. Nam quemadmodùm nouissimum virorum Iesum, à cæteris omnibus discreta, ac singulari dignatus est Deus formatione; ita quoque apparauit illi, suaq; condidit manu, ac purissimâ, & singularissimâ conceptione formauit in vtero virginali mansionem. Hinc Theodothus homil. 1. de natiu. quæ habetur tom. 6. Concil. Ephesini cap. 6. Hæreticorum ora negantium, potuisse hominem assumi à Deo, ob summam hominis indignitatem respectu Dei, ita obstruit: *Nil igitur mirum, nil incredibile, nil nouum, si in homine habitauit Deus, quem ad suam imaginem formatum, beneuolè mox complexus est. Suum namq; erga hominem consilium, in ipso statim creaturæ primordio declarauit.* Eruditè profectò iste Author, hominis assumpti in Dei habitaculum incredibilitatem euertit, ex eo, quod accidit in primæua hominis conditione. Quoniam nullum aliud animal, statim dum conderetur, diuinas in se experiebatur manus, & brachia: nullum ita in Dei amplexu, & osculo sancto erat, sicut homo, cum vitam ex spiraculo diuino hauriret, per quod statim in illis primordijs se Dei habitaculum fore ostendebat. Nec certè aliud in Virgine Maria factum cogitare debemus, quæ inde dignum Deo habitaculum ostenditur, quòd statim à primordio sui esse, diuinos in se receptos fauores ostenderet. Quando enim in illa habitauit Deus, iam à primordio ipsius consilium circa illam ostendit, ne sub communi lege conciperetur.

Accipite vlterius documentum istius veritatis ex sacra pagina, in qua diuinam incarnationem præuidens Propheta dicit: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquàm sponsus procedit de thalamo suo.* Ps. 18. Deus ergo incorporari volens ex Maria, fecit eam tabernaculum sibi instar solis, & ex illa tanquam sponsus processit, propterea, quòd formatio solis à cæteris rebus longè sit diuersa. Nam in creatione aliarum rerum, materia tanquàm subiectum primum, formam aliquomodò præcessit; in solis autem formatione oppositum factum est. Sic formauit Deus cælum rude, & terram informem, inanem, & vacuam, nulla pulchritudine exornatam; postmodum autem pulcherrimorum accidentium formis omnia conuestiuit. At in solis formatione longè aliter se gessit, tanquàm maioris miraculi speciem editurus. Quippè ante omnia produxit formam solis, nimirum lucem, quando imperauit Genes. 1. *Fiat lux*; ne scilicet obscuritas corporis solaris anteuerteret pulchritudinem luminis; verùm vt cùm crearetur, iam anteriore luce gauderet. Quod argute tetigit D. Nazianzenus orat. 43. inquiens: *Cùm in alijs rebus hanc rationem tenuisset Deus, vt materiam priùs conderet, ac deinde eam formâ conuestiret: hic, vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materiâ priorem protulit, (forma enim solis lumen est) ac postea materiam induxit, solem hunc, nimirum diei oculum fabricatus.* Hoc specimen figura erat maioris miraculi facti in formatione Mariæ; cùm enim omnes posteri Adæ informes nascerẽtur, priusq; in illis vitiata appareret natura; quàm gratiæ splendorem induerent, longè aliter euenit in Virgine Deipara. Quia vt loquitur D. Damascenus. orat. 1. de Natiu. Mariæ; *Natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est, vtrumq; tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.*

In vtrisq; igitur & sole, & Maria, similes factæ sunt formationes: quia in neutris formæ splendorem anteuertit vitium naturæ; verùm in vtrisq; non antea corporea moles constitit; quàm sub splendenti forma luxissent. Vnde ne Mariæ natura in sua conceptione aliquid triste pateretur, aut diabolicæ captiuitati subiaceret,

iaceret, Christus instar perfectissimi sponsi totus in hoc incubuit, qui sicut veniebat homines eruturus à mortis vmbra; ita non est passus Virginem Matrem, & sponsam suam in hoc graue tormentum venire. Hæc est mens S. Basilij Seleucien. orat. 3. vbi dicit: *Vnigenitus Dei contrarijs medicamentis curans vulnera, de homine corpus, in quod se insinuaret, deliberauit, & secundùm Adamum sibi circumiecit. Paradiso solitudinem obiecit, serpentinæ fraudi trophæum, quod per hominem contra diabolum statuit. Euæ Virginem, & innuptam puellam, quæ sponsum generauit immortalem.* Scrutemini profundiùs, quid mysterij in his verbis lateat? Nonne vsitatiùs dixisset, quæ filium genuit immortalem: cur ergo relicto vsitatiori filij agnomine, sponsum dicere maluit? Arbitror eam ob causam, quia commune est, quòd mater filium generet, & ideò in Maria aliquid magis nouum, & singulare ostendere voluit, nimirum, quòd ipsa ob omni macula libera, liberatorem mundi, perfectum suum Sponsum ediderit. In quo primæ mulieri Euæ maximè ostenditur contraria: nam Eua Adamum trahens in peccatum, simul illum ostendit Sponsum pessimum, quòd videns vxorem sua temeritate præcipitari in mortem, & captiuitatem diaboli, prauæ eius suasioni consenserit. At verò Maria dum non est permissa à Filio ire in communem hominum calamitatem, meritò dicitur peperisse Sponsum immortalem, ex cuius libertate, & indemnitate tantus mundi restaurator, & totius generis humani redemptor processit.

S. Basilius

Virgo Maria cur dicitur sponsum genuisse.

Habuit præterea Sanctissima Virgo hoc priuilegium, vt in sua conceptione à macula peccati immunis esset, ex eo: quia Christus factus est eius portio, carnem de sanguine ipsius suscipiens; & ideò derogabat eius dignitati, vt mater sua seruituti diabolicæ vel per momentum subiaceret. Hinc illa vox cælestis Sponsi ad Spõsam Virginem audita est, Cantic. 4. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* In Hebræo autem textu legitur: *Mecum à Libano sponsa venies.* Quia nimirum non sola Virgo Deipara primò venit ad vitam, sed cum Filio DEO, cuius gratia matrem in hoc ingressu comitata est, eamq; præuenit. *Mecum* inquit *à Libano sponsa veniet*, à Libano inquam, id est, *à candore*: hoc enim Libanus significat, quo Mariæ candor in

Cantic. 4.

A eius conceptione innuitur. Addit sacrâ paginâ, *coronaberis*, in Hebræo legitur, *imperabis* seu *dominaberis*, atq; tanquàm victrix Regina coronaberis. Alij vertunt, *rectificaberis*, siue *recta euades*. Quoniam in primo suæ conceptionis, seu animationis instanti, vbi natura in omnibus Adæ filijs solet incuruari, & obliq; ad peccatum flecti, tunc Virgo Deipara recta euasit rabiem belluarum infernalium, quæ in spelæis montis Amana, Sanir, & Hermon, reliquos homines discerpere solent. Sic citatum locum exponit Rupertus: *Coronaberis* inquit, *de capite Amana, quod interpretatur nocturna auis; de vertice Sanir, quòd interpretatur Deus vigiliarum; & Hermon, quod interpretatur anathema.* Quæ omnia peccato originali aptissimè conueniunt. Audite D. Ambrosium, perdoneè hunc locum commentantem lib. de Isaac cap. 5. *Mecum à Libano sponsa venies.* Vbi in persona Virginis sic loquitur; *Adest mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum.* Nimirùm, quia Filius Deus est aliqua Deiparæ portio, ideò se totum illi obtulit comitem, quò magis rectificaretur, & recta euaderet infernales belluas, suæ conceptioni periculosè insidiantes; de illisq; deiectis ac superatis, tanquàm victrix, ac dominatrix gloriosè tunc coronaretur.

Rupertus.

S. Ambros.

B

C

Hanc victoriam Virginis Deiparæ, quàm in sua immaculata conceptione de hostibus infernalibus, triumphatrix reportauit, præfiguratam fuisse conijcio in Moabitis, & Madianitis. Vtriq; sub eodem reatu continebantur: Moabitæ enim Israëlitis parârunt scandalum illud graue, quando Moab vocauerat Balaam veneficum, ab illoque de prostituendis puellis consilium pessimum accipiens, executioni mandauerat, vt dicit Scriptura num. 25. *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Madianitæ pariter per summam lasciuiam ad Caini filias concurrentes, ad delendum vniuersali diluuio mundum, Deum solicitârunt. Et nihilominùs Deus bellum solis Madianitis inferri mandauit; non autem Moabitis, Israëlitas alloquens: *Hostes vos sentiant Madianitæ, percutite eos.* Ibidem. Et cur sub hac lege non sunt comprehensi Moabitæ? Existimarem quidem id eam ob causam factum, quia Moabitæ erant posteri Loth, cuius intuitu Deus illos deleri non fuit passus: plurimum enim valent maiorum virtutes, vt eorum posteri malis eripiantur. Sic olim statuerat Deus, omnes primæuos homines diluuio submergere: *quia*

Moab ex consilio Balaam Virgines prostituit.

Numer. 25.

D

Genes. 6. re: *quia omnis caro corruperat viam suam.* Genes. 6. Et nihilominùs integram familiam Noëmi reseruauit, propterea, quòd Genes. 7. Noë erat iustus & perfectus, Genes. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam.* Sic Salomon suis grauissimis sceleribus promeruerat, vt eum Deus; quemadmodùm improbum Saul de throno regio deijceret, regnoq; deturbaret; quoniam per mulierum delicias apostauerat à Deo, coluerat illarum Deos, & in montibus idolis incensum adoleuerat. Et tamen Deus non fecit hoc ob meritа Patris eius Dauidis, vt docet Theodoretus q. 35. in Numer. in persona Dei loquens: *In diebus tuis* inquit, *non faciam hæc propter Dauid seruum meum, è manibus filij tui accipiam illud: nam tu quidem habes Patrem in auxilium; ille autem fuit priuatus paterno auxilio.* En, quàm facilè in erroribus suis pereunt, quibus paternarum virtutum auxilium deficit; illi verò quibus maiores fauent, propter eorum virtutes, protectiones à Domino Deo accipiunt.

Theodor.

Maiorũ virtutes posteros conseruant.

A

Habuit insuper sanctissima Virgo hoc priuilegium, vt sine macula conciperetur: quia nulla ratio vrget, vt asseratur, voluisse Deum in anima Virginem Matrem hunc defectum habere. Non enim vt esset redempta à Christo, in qua ratione fundari videtur S. Thomas 3. p. q. 27. ar. 2. ad 2. inquiens: *Derogaret dignitati Christi, secundùm quam est vniuersalis omnium Saluator.* Et in 3. dist. 3. vbi dicit: *Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, vt redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus conuenit redimi per ipsum; hoc autem esse non posset, si alia anima inueniretur,* B *quæ nunquàm originali macula fuisset infecta.* Quod certè parum roboris habet: quia vt docet S. Augustinus in Psal. 85. explicans illa verba: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et S. Dionysius cap. 8. de diuinis nominibus circa finem, duplex est redimendi genus, vnum, erigendo lapsum; alterum præueniendo iam lapsurum, ne cadat: ex quibus hoc posterius, opus est maioris gratiæ, & maioris beneuolentiæ, atq; maioris potestatis. Vnde cùm iste altior modus, Virgini Deiparæ non possit denegari, quis illam hoc modo redemptam esse negabit? ne peccatum incurreret; quod alias ex se incurrisset. Hoc ingeniosè tetigit Diuus Thomas 3. p. q. 15. ar. 1. in corpore, vbi inquirendo, *vtrum in Christo fuerit peccatum.* Respondet, id nullo modo conueniens fuisse, etiamsi possibile est: *Quia neq; ad satisfactionem nostram, neq; ad veritatem humanæ naturæ comprobandam, neq; vt exemplum nobis præberet virtutis, secundùm quæ tria manifestum est, quod defectum peccati assumere non debuit.* Cuius vlteriorem rationem affert. sic discurrens: *Primò*, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, imò virtutem satisfactionis impedit. *Secundò*, quia per peccatum non demonstratur veritas humanæ naturæ: quoniam peccatum non pertinet ad humanam naturam, per seminationem diaboli introductam. *Tertiò*, quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit, cùm peccatum contrarietur virtuti. Ita planè in Virgine Sanctissima, nulla erat ratio, vt contraheret peccatum originale: non enim quia peccatum necessarium ad redemptionem: cùm multò nobiliori modo redimi censendus sit, qui ab illo contrahendo præseruatur. Neq; vt ex contracto originali esset nobis magistra virtutis: quia per hoc magis fomitem peccati participasset.

Nulla ratio cõuincit B. Virginẽ fuisse in peccato originali concepta.

S. Thomas.

Genus redimẽdi duplex est.

Christus nõ debuit peccati defectũ assumere.

Non vrget prærerea, Virginem Sanctissimam

Ifaiæ 16.

Canric. 4.

B. Virgo nõ fuit cõprehensa in cõmuni ruina peccati Originalis.

C

ctissimam contraxisse maculam originalem, vt per hoc ostenderetur filia Adæ, per seminalem generationem concepta, & consequenter peccato infecta. Sic enim quidam Hæretici, etiam carnem Christi peccatricem affirmabant, eò quòd nostram assumpsisset. Contra quos Tertullianus lib. de carne Christi ita argumentatur. *Nostram* inquit (id est carnem) *Suam fecit, & per suam faciens non peccatricem effecit.* Profundè satis: nostram quidem induit carnem ex se peccatricem, sed quia Filius Dei sanctus, & impollutus, cætera ex contactu sanctificans, ideò licet nostram induerit naturam; quia tamen suam fecit, ideò non peccatricem effecit. Ita planè sanctissima Virgo carnem quidem peccatricem ex se, per seminalem generationem accepit; gratia tamen diuina, quia futura erat Dei Mater, impeccatricem effecit.

Tertullian.

Ad extremum, illud Isaiæ de Christo prolatum, trutinet, & ponderet vnusquisq; *sciens reprobare malum, & eligere bonum.* Quod vt tanto perfectiùs exequeretur, addit Abulensis supra citata Scripturæ sacræ verba: *Hisce* ait *verbis, significat Isaias, quòd Christus qua homo, futurus sit valde prudens, & intelligens, & ad huius indicium additur esus mellis, & butyri, quæ solent homines facere valde acutos, & intelligentes.* Vnde Christus à puero statim, imò à conceptione ita prudens erat, vt quod cæteris denegatum fuit, ipsi concessum esset, nimirum scientia boni, & mali: hæc ad reprobandum, illa ad probandum. Ex quo loco facilè in hunc modum possumus discurrere. Peccatum malum est, munditia bonum, puritas bonum, sanctitas bonum: si ergo Christus statim ab infantia fuit prudens, si adhuc ante infantiam ab ipsa æternitate fuit potens matrem eligere, aut maculatam originali labe, quod malum est; aut immaculatam, quod bonum est, quomodò non potiùs id quod bonum, quàm id quod malum est, elegit? Equidem indignum Deo non concedere, quod homini cordato concederemus: qui nequaquàm matrem seruam, potens liberam præeligeret: maculatam, potens immaculatam. Deus itaq; omnipotens, Filio suo vnigenito, talem adaptauit matrem, cuius sanctissima caro nullam à matre duxit impuritatem, nullam infectionem, nullam maculam. Cùm enim Sanctissimam illam Filii sui humanitatem, eminentissimâ suâ essentiâ, ac diuinissima personalitate insignire voluerit, regiam, imperialem, imò quid dico, diuinam maiestatem illi impertierit, atq; in consortium diuinitatis admiserit, quomodò permittere debuit, vt à Matre prodiret impurâ, & maculatâ, licet mundatâ, Quæ licet supra solem, supra Angelicam munditiam, per emundationem euasisset; in æternum tamen adesset memoria, quòd aliquando immunda fuerit. Et Angeli sanctissimi, dum Reginæ suæ sublimitatem aspicerent; recordarentur nihilominùs eius seruitutis, quòd aliquando serua, & diaboli subdita extiterit.

Abulensis.

O rem profundam, & humano ingenio inscrutabilem! ab æterno prædestinata est Virgo, vt esset Regina Angelorum, & quis illi negare audebit, quod Angelis concessum est? Quomodò immensus Deus, potens spiritibus illis sanctissimis, perfectissimis, ac sublimibus Reginam constituere semper liberam, semper immaculatam, vndequaq; nobilem; maculatam, seruam, atq; à diabolo strangulatam illis præficere debuit? Audite D. Anselmum de conceptione Virginis cap. 18. qui ad Christi conceptionem respiciens, eiusq; dignitatem, ac Patris amorem in Filium considerans, & qualem matrem congruum esset, vt Deus pater illi adaptaret, ita profundè discurrit: *Decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat.* Perpendite vim argumenti, si decens erat, vnde ista decentia? equidem ex dilectione Patris æterni in Filium suum vnigenitum, amatum, prædilectum, ipsumq; cor suum, & quem vt seipsum diligebat. Decens igitur erat, vt ea puritate Virgo niteret, quâ maior sub Deo intelligi non potest; ita vt Deus puriorem creaturam Virgine Deiparâ creare non posset. Quod palam asserit D. Thomas in 1. senten. dist. 44. ar. 3. ad 3tium. *Dicendum* inquit, *quòd puritas intenditur per recessum à contrario; & ideò potest aliquid creatum mueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione inquinatum sit, & talu fuit puritas Beatæ Mariæ, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

S. Anselmus.

S. Thomas.

Ostendi igitur ex triplici capite Beatæ Virgini debitam fuisse conceptionem immaculatam, *inprimis*, ex singulari Dei prouidentia, id omni modo custodiente. *Deinde*, quia Christus factus est eius portio: *insuper*, quia nulla erat ratio maculam in illa adstruendi. Proinde tantam puritatem in Virgine Maria venerantes, quâ maior sub Deo intelligi non potest, humiliter postulemus, vt ipsa mentibus quoq; nostris puritatem, & ab omni macula peccati emundationem impetret.

DIE NATIVITATIS B. VIRGINIS MARIÆ.

De qua Natus est IESVS, qui vocatur Christus.

Christus gloriatur se de Virgine Maria natum, tum ob condignam eius dispositionem ad Dei maternitatem: tum quòd mysterium Incarnationis ab illa habeat, vt maximum Dei opus dicatur.

Signa rationis inter diuina decreta.

STupendum Incarnationis opus, ac mysterium considerando sancti Patres, oculatissimam Dei prouidentiam, & summam in disponendis rebus prudentiam, mirari satis nequeunt, quòd licet in efficacibus Dei, æternis, ac infallibilibus decretis, nulla detur successio, cùm apud Deum omnia sint simul; signa tamen rationis quædam inter illa humano modo loquendo, seruare voluerit, quo humanæ miseriæ facilius succurreret. Dicunt itaq; Deum in primis statuisse tot homines indiuiduos, & mundum vniuersum propter illos creare, iuxta illud

Genes. 1.

scripturæ Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omnig, reptili, quod mouetur in terra.* Secundò, præuisis varijs modis producendi homines, elegit generationem, vt dicit sacra pagina: *Benedixitq; illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

Pactum Dei cùm Adamo

Tertiò, statuit, vt qui caput naturæ esset, esset pariter fons gratiæ, propter quod inijt pactum cum Adamo de ea re, sub hac forma: *Si seruaueris legem meam, & tu etiam cum posteris tuis in iustitia conseruaberis; secus cum posteris & corporaliter, & spiritualiter morieris.* Quod pactum Dei facilè colligitur ex illis verbis Gen. 2. *Præcepitq; ei dicens: ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quartò, præuidens Deus, peccatum Adami, eiusq; transfusionem in omnes posteros, iuxta illud Rom. 5. *Propterea, sicut per vnum hominem peccatum, in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Decreuit Deus incarnationem, & mortem Christi, in remedium peccati, vt palam fatetur Scriptura sacra, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat.* Vt non immeritò Scriptura sacra, primarium Incarnationis motiuum, assignet remedium peccati 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* Idemque comprobat Concilium Nicænum, quod in symbolo ait: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælo, & incarnatus est.* Clarèq; hoc ipsum docet D. Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli: *Si* inquit, *homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et in Psal. 76. homil. 2. dicit: *Si tamen ô homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Quintò, visis modis varijs, quibus Christum posset producere, elegit natiuitatem Christi ex Virgine, propterea, quòd puritas Virginitatis Matrè Dei summè deceret: *Sextò*, quia vidit omnes ex ijs fœminis, quas condere statuerat, fore infectas peccato originali, statuit aliam condere, quæ non fuit præuisa inter illas, ne forsan ex massa perditionis aliquam labem traheret, vt de seipsa pronuntiat Virgo Deipara inquiens: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* vbi se creatam dicit: quia sicut id, quod per creationem producitur, nihil penitus corruptionis, malæq; infectionis retinet; ita Sanctissima Virgo, nihil penitus originalis maculæ habuerit. *Septimò tandem*, propter merita Christi præuisa, hanc Virginem in Matrem Filio suo efficaciter decreuit. Gloriatur itaq; Christus, quòd hanc efficacem Patris æterni voluntatem hodiè ad effectum deduxerit, ab hac Virgine in lucem editus: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Cuius gloriationis duo præcipua motiua ostendam.

Ioan. 3.

1. ad Timoth. 1.

Concil. Nicæn.

S. Augustin.

Genes. 2.

Roman. 5.

B Virgo fuit dignè dispositа ad maternitatem Dei.

Primùm motiuum, cur Christus glorietur se de Virgine Sanctissima natum esse, est condigna eius dispositio ad Maternitatem Dei. Hoc illi subscribit concors sanctorum Patrum sententia, & in-

S. Ambrosius. S. Basilius. S. Epiphan.

primis D. Ambrosius lib. 2. de virginibus, non procul à principio, vbi dicit: *Quid in singulis moror? quæ digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur*, S. Basilius homil. de humana Christi generatione: *Digna* inquit *Vnigeniti diuinitati coniungi fuit.* Vbi loquitur de carne Christi ex Mariæ sanguine formata. Si ergo illa caro digna fuit Christi diuinitati vniri, quid dicemus de ipsa Sanctissima Virgine, de cuius purissimo sanguine sumpta erat. S. Epiphanius hæresi 78. propè principium: *Quomodò* inquit, *audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri filij Dei, & electa ex multis millibus, quò vas & habitaculum dignum esset.* Hinc

S. Damasc. S. Bernard.

S. Damascenus lib. 4. cap. 15. Virginem Mariam, *sanctum, admirabile, & summo Deo dignum templum appellat.* Et S. Bernardus serm. 4. de Assumptione dicit: *Quæ vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei.* Imò, & ratio hoc ipsum suadet: quia ad diuinam sapientiam, & bonitatem spectabat, conueni-

C enter, dignèq; ordinare, ac disponere personam, cui talem dignitatem collaturus erat, & seipsum in verum, ac proprium filium daturus.

Ad maternitatē Dei 4. prærogatiuæ concurrebant.

Porrò ad hanc condignam dispositionem, quatuor speciales prærogatiuæ concurrebant. In primis habitualis gratia, & eximia sanctitas, quâ præuenta fuit à primo instanti conceptionis suæ, cum omnibus donis, & habitibus infusis. Præterea, concurrebant singularia quædam priuilegia perpetuæ innocentiæ, & carentiæ fomitis, ac similium, quæ in prima sanctificatione omninò illi gratis collata fuerunt, licet postea in

D decursu vitæ suæ, ad conseruationem, & executionem eorum, hoc est, perpetuæ innocentiæ, ac virginitatis cooperata fuerit. Concurrebat insuper augmentum gratiæ, & virtutum, quas vsque ad conceptionem Filij consecuta est, quò magis ac magis quotidiè disponeretur. Demùm, ad complendam hanc dispositionem cooperata est Beata Virgo aliquibus actibus suis, potissimùm illo, quo vltimùm assensum præbuit Angelo, vt Mater Dei fieret: & hanc dispositionem effecit libera sua voluntate, diuinâ gratiâ singulariter excitata, & adiuta. Dissentant nihilominùs sancti Doctores, vndenam Beata Virgo hanc condignam dispositionem consecuta sit, num ex sola diuina gratia eam præueniente; an verò etiam ex proprijs meritis.

Et quidem aliqui, censent, quòd ex sola gratia. vt S. Hieronymus dialog. 1. contra Pelagium, circa medium: *Aduerte* inquit, *quòd Beatam se sit dicat non proprio merito, atq; virtute; sed Dei in se habitantis clementiâ.* Sanctus Bernardus serm. de Natiu. Mariæ: *Quærant* inquit *alij meritum, nos inuenire gratiam studeamus, Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit.* Verùm licet indubitatum sit, Beatam Virginem non meruisse de condigno hanc dispositionem ad maternitatem Dei, propterea, quòd gratia creata, & opera, quæ ab illa manant, solùm tendant ad consummationem ipsius gratiæ, vsq; ad consecutionem beatitudinis, quam respiciunt, tanquàm condignum, & proportionatum præmium: quæ proportio non est requisita, quasi ex natura rei ad meritum de condigno. Licet etiam certum sit, Beatã Virginem nec de congruo meruisse, vt prædestinaretur, seu eligeretur in Matrem Dei: *tum quia*, prædestinatio antecedit præuisionem meritorum. *Tum quia*, quidquid meriti fuit in Beata Virgine, duxit originem ab hac electione: quoniam ipsa prima gratia Virginis, ex qua omne meritum secutum est, ex hac electione processit. Quippè ideo tanta, & tam excellens gratia, tamq; maturo tempore Virgini data fuit, vt esset accommodata dignitati matris, ad quam electa erat.

S. Hieron.

S. Bernard.

B. Virgo dispositionē ad maternitatē Dei nō meruit de condigno.

Nihilominùs Beata Virgo meruit de congruo, vt esset mater Dei. Ita expressè docet S. Augustinus serm. 10. de Natiuitate, qui est 14. de tempore, sic loquens: *Talis eligitur Virgo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei Filium in se susciperet.* S. Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 1. *Incomparabilibus* inquit, *illustrata meritis, Dei vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparauit vterum.* Petrus Damascenus serm. 2. de Assumpt. *Singularis* inquit, *eius sanctitas, & gratia hoc promeruit, quòd susceptione Dei singulariter iudicata est digna.* Deniq; S. Anselmus de laudibus Virginis cap. 8. dicit: *Sanctissima puritas, & purissima sanctitas pectoris eius, omnes creaturæ puritatem, & sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis, plenissimè fieret.* Atq; hoc innuere voluit Bernardinus Senensis, serm. 51. asserens, Beatam Virginem, eo actu quo consensit Angelo nuntianti, plùs meruisse,

S. Augustin.

S. Gregor.

Damascen.

S. Anselm.

B. Virgo maternitatem Dei meruit de cõgruo.

meruisse, quàm omnes Angelos, & homines omnibus suis actibus, quod non videtur alia ratione subsistere, nisi quia Beata Virgo, illo actu meruit maternitatem. Hoc autem meritum maximè fuit positum in illo actu, qui fuit veluti vltima dispositio ad illam formam, quæ cùm esset proportionata, & procederet à persona grata, erat meritoria saltem de congruo. Quod ipsum ratio suadet: quia Beata Virgo per suos actus dignissimè se disposuit, vt Filium Dei in suo vtero susciperet; ergo per illos actus saltem de congruo meruit, vt esset mater

S. Augustin.

A Dei, vt apertè loquitur D. Augustinus lib. de natura & gratia, cap. 36. *Concipere* inquit *meruit, & parere.* Et certè si Abraham meruit saltem de congruo, vt Christus ex illo descenderet, iuxta illud

Genes. 22.

Genes. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quomodò Beata Virgo saltem de congruo non debuit mereri, vt Dei Filius ex illa nasceretur? Licet enim modus, quo Christus natus est ex Virgine, longè fuerit dignior; quàm modus, quo descendit ex Abraham; verùm etiam dispositio Virginis fuit longè excellentior; quàm dispositio

C Abrahæ, & ideò seruata proportione, eadem, imò maior ratio est de merito Virginis; quàm Abrahæ.

Christ⁹ ante merita B. Virginis præuisa est.

Et licet ante omnia merita Virginis, non solùm existentia, sed etiam præuisa, fuerint merita Christi præsentia Deo in æternitate, priusq; præuisus fuerit ipse Christus, vt existens, atq; adeò vt concipiendus ex Virgine; quàm fuerint præordinata merita Virginis. Ex hoc tamen solùm sequitur, Beatam Virginem nõ fuisse electam, vt esset mater Dei, propter sua merita præuisa; meruisse nihilominùs in executione hanc dignitatē maternitatis: quia in re priùs habuit gratiã,

D & bona opera; quàm ea Dei Filius incarnaretur, per quæ optimè potuit mereri; licet illammet gratiam, & bona opera habuerit ex meritis eiusdem Filij sui præuisis in diuina prædefinitione.

Incarnationis ópus dicitur maximũ ex parte Virginis.

Alterum motiuum Christi gloriationis est, quòd sit natus de Virgine Maria: quia diuina eius incarnatio inter mysteria nostræ fidei, quòd dicatur esse opus Dei maximum, quo nullum maius, nec excellentius, habet hoc ex parte Virginis, in cuius vtero *Verbum caro factum est*, de cuius carne Verbum carnem assumpsit, in cuius visceribus facta est reconciliatio inter Deum, & hominem, & Deus in signum pacis, ita strictè amplexatus est hominem, vt remaneret Deus, factus homo. In cuius vtero facta est prima redemptio humani generis: ab hac ergo Virgine originem habuit beatitudo hominis, quia in vtero eius Christus fuit primus omnium beatus, ab instanti suæ conceptionis. Atq; ea propter expediebat, vt Beata Virgo Maria esset omnium perfectissima, purissima, & sanctissima, quia futura erat Mater DEI.

Beata Virgo triplicitèr considerari potest.

Hinc S. Bonauentura cum alijs docet, quòd Deus non potuerit facere maiorem, meliorem, & excellentiorem matrem; quàm Beatissimã Virginem, quod sic intelligendum est. Tripliciter possumus considerare Beatam Virginem, nimirum quantum ad gratiam conceptionis, quantum ad gratiam iustificationis, & quantum ad naturam corporis. Si considerauerimus Sanctissimam Virginem, quantùm ad conceptionem prolis, sic quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, & mater nobilissimi Filij, tantam habuit bonitatis dignitatem, quòd nulla mulier amplius capere potuerit. Vnde si omnes creaturæ quantumcunq; ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes tenerentur exhibere reuerentiam Matri Dei, maternitatis dignitatem in ea venerantes.

Christus vt homo quòd adoretur à creaturis habet à Virgine.

Et profectò debetur hæc veneratio Sanctissimæ Virgini, ab omnibus creaturis, ex triplici fundamento: in primis ex hoc, quia & Christus Dominus, quòd non solùm ratione deitatis; sed etiam ratione humanitatis ab omnibus creaturis adoretur, habet hoc à Virgine Sanctissima: quia caro eius deificata, purissimo Virginis sanguine adornata est, & velut regio sanguine vestita. Cùm enim Deus, summus Rex Regum, & Dominus dominantium, caro factus esset in almo Virginis vtero, dum illi se conuisceraret, & de eius virgineo sanguine coalesceret in hominem Deum, id est, Christum, à regali ac Deiformi dignitate minimè degenerauit, imò potiùs regio peregrinæ generositatis stemmate nobilitatus est. Ita discurrit Andreas Cretensis serm. 1. in Natiu. Sanctæ Mariæ, alludens ad illud Prouerb. 31. *Byssus & purpura indumentum eius.* Vbi in hunc modum scribit: *Hodiè puella Virgo, ex Iuda, Dauideq; procedit, regni eius præse speciem ferens; Deusq; regalem inficiens purpuram, Dauidico sanguine purpurauit.* Profundè satis: nimirum Deus Verbum,

Andreas Cretens.

Verbum, vnigenitus Patris æterni Filius, A eiusque in æternitate generosa soboles, augustæ Deitatis regiam purpuram, Dauidico Deiparæ sanguine purpurauit. Quasi apertius loqueretur: non viluit regia Diuinitatis purpura, dum ex purissimo Mariæ sanguine Deus coalesceret in Christum, imò multò augustiùs, Dauidico Virginis sanguine, quasi nouiter tincta, resplenduit augustissimâ nobilitatis purpurâ. Si ergo Christus ratione humanitatis à Virgine Maria regale ornamentum accepit, propter quod cælestes illi spiritus, regiam in Christo maiestatem agnoscentes, in facies suas B procumbunt, summum Regem gloriæ adorantes. Quis non fatebitur, & Virgini quoq; augustæ, omnem ab vniuersis creaturis venerationem deberi.

Christo debetur adoratio ab omni creatura, propter supremam potestatem, quæ illi competit in omnes res creatas, Matth. 18. vt de seipso fatetur Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Tum, quia Filius Dei, & Deus sum; & ita ab æterno data est mihi à Patre cum essentia diuina omnis eius potestas, & maiestas. Tum, etiam, quia homo sum, data est mihi inchoatiuè in incarnatione mea, ob dignitatem vnionis hypostaticæ cum C Verbo; completè verò; omnis potestas mihi nunc data est à Deo post resurrectionem, ob merita passionis meæ. Sed hæc eadem potestas, licet aliter Deiparæ conuenit, vt docet Guarricus Abbas Guarricus Abbas. serm. 3. de Assumpt. Beatæ Mariæ: *Perge* inquit *Maria, perge secura in bonis Filij tui, fiducialiter age tanquàm Regina. Mater Regu, & sponsa: requiem quærebas, sed amplioru gratiæ est, quod tibi debetur, Regnum, & potestas: indiuisum habere tecum cœpit imperium, cui tecum in carne vna, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis, & vnitatis mysterium.* Nimirum Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* hoc est, mihi soli. Cùm autem D Christo Deo, & Matri Virgini, in vna carne, & vno spiritu sit pietatis, & vnitatis mysterium, amplioris gloriæ est, quod Deiparæ debetur diuino maternitatis augusto titulo. Hinc eius Filius Christus, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra, Regnum, potestatem, & imperium cupit habere indiuisum cum Virgine Matre. Quo fit, vt Deipara Virgo, quia eadem est caro cum Filio Dei, idem est pietatis spiritus, generoso tantæ maternitatis titulo, istiusmodi amplissimam gloriosè potestatem, regnorum sceptra, terræq; imperium, indiuisum cum Filio habeat. Proinde ex hoc fundamento debent illi omnes creaturæ submissam venerationem, quæ illi iure maternitatis debetur.

Beata Virgo Beata Virgo indiuisum cum Christo imperium habet.

Debetur adhuc Sanctissimæ Virgini ex tertio fundamento veneratio ab omnibus creaturis, quia illâ ipsamet Sanctissima Trinitas tali honore donauit, propterea, quod ratione humanitatis de suo sanguine Verbo æterno communicatæ, facta sit consanguinea diuinæ Triadis. Et ideo gloriatur Deipara, quòd suâ originem non aliunde, nisi à Triade Sanctissima traxerit, Ecclesiast. 24. *Ego ex ore* Richardus. *Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Vbi dicit se Beata Virgo primogenitam ante omnem creaturam, quia est creaturarum præstantissima, & omnium Princeps. Quonam autem pacto ex ore Altissimi prodierit, respondet Richardus à S. Laurentio, propterea, quia os Dei peperit. Ita enim lib. 4. de laudibus Virginis loquitur: *Respondemus* inquit, *quia ipsa est principium Christi secundùm humanitatem, qui est os Patru: & quia de ea dixit tota Trinitas specialiter, quasi loquens de Christo: non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Non solùm ergo Beata Virgo, primogenita est omnis creaturæ; sed etiam à tota Trinitate specialiter prodijt. Hoc fatetur Ioannes Geometra Ioannes Geometra. in auspicio hymni secundi, ita loquens: *Salue ô regnatrix, Trias est tibi stirpsq; caputq; hinc vnum è Triade o ter benedicta paru.* En Deiparæ stirps specialiter ipsa Trinitas, quasi specialiter à tota Trinitate oriri debuerit, vt è Trinitate vnum pareret, ne ab augusta stirpe diuina, stirps Christi humana degenerare videretur, indeque consanguinea Trinitatis meritò dicitur.

Transite mecum paulisper ad cap. 42. Isaiæ, quid Deus trinus in personis, & in Isaiæ 42. essentia vnus de seipso dicat: *Ego* inquit *Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Inquirite obsecro, quænam sit ista gloria, alteri minimè concedenda, quam Deus opulentiæ suæ alioqui largitor beneficus, tanquàm propriam vni sibi dandam, nec alteri cuipiam communicandam, vendicat? cultum latriæ nonnemo arbitraretur, quia hic soli Deo proprius est. Verùm magis appositè ad rem præ- Richardus. sentem, Filium Dei coæternum, & consubstantialem intelligere possumus. Sic citatum scripturæ locum Richardus à S. Laurentio supra relatus exponit. *Isaiæ* inquit 47. *dicit Deus Pater; gloriam meam, hoc est, Filium meum.* (quia gloria Patris est Filius

lius sapiens) *alteri non dabo, quàm mariæ: A quia soli Mariæ hoc priuilegium debebatur.* Quando itaq; dicit Deus Pater, *Gloriam meam,* id est laudem, & honorem meum alteri non dabo, sic intelligi debet, quod alteri præter Virginem Deiparam, dandus non esset Dei Filius, qui est Patris gloria, & verus vtriusq; Filius: Filius inquam Patris in cælis sine Matre; in terris verò sine Patre vnicus Matris Filius, quæ est summa Deiparæ gloria, laus, atq; honos. Hoc ingeniosè tetigit, citatus Ioannes Geometra. Geometra Hymno 1. inquiens: *Quæ Regem genuisti sola polorum, cælestiumq;: Tibi est à Triade alter honos.* Consideratere attentius, B quid indicare voluit per istam vocem *alter?* Nonne Virginis Sanctissimæ sublimitatem, & summam vltra omnes creaturas excellentiam. *Tibi* inquit, ô Deipara *est à Triade alter honos.* Quasi dignitate maternitatis, ita Virgo Maria excellat reliquorum cœlitum honores, vt augustum diuinæ Triados honoré æmuletur; adeò vt illisit à Triade honor alter, hoc est, quòd Sanctissima Trinitas, post suum honorem, statim Virginem quoq; Deiparam, ab omnibus creaturis honorari voluerit. Ergo ne ab hac Trinitatis voluntate creaturæ omnes deflectant Dei genitricem submisse tenentur venerari. C

Quodsi considerauerimus Virginem Deiparam, quantùm ad gratiam iustificationis, hanc tantam habuit Beata Virgo, quantam nulla pura creatura rationalis de potentia ordinaria habere potest. Atq; hanc ob causam Beata Virgo ab Angelo vocatur *gratiâ plena*: quia illi nulla gratia defuit, quæ in quacunq; alia pura creatura potest inueniri. Ita interS. Antoninus. pretatur S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 16. inquiens: *Cùm ergo Dominus in priuilegio, quod ei mittit per Angelum, dicat, Gratiâ plena, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum.* Beata Virgo quomodò fuit gratia plena. Cuius ratio euidentissima habetur: quia Deus infundit vnicuiq; secundùm suam D virtutem, & capacitatem, vt constat ex illa parabola de Domino, qui tradidit seruis bona sua, vnicuiq; secundùm propriam virtutem: ergo quæcunq; creatura est capax omnis gratiæ, cuius est capax pura creatura, illa erit plena omni gratia; talis autem creatura fuit Beata Virgo, & ideò est plena omni gratia, cuius particeps esse potest omnis pura creatura. Quod comprobat idem D. Antoninus 4. p. histor. tit. 5. cap. 2. §. 15. *Beata* inquit *Maria fuit gratiâ plena quadruplicitèr: primò, quia omnes gratias generales, & speciales habuit: secundò, quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit: tertiò, quia eius gratia tanta fuit, quòd pura creatura maiorù gratiæ capax non fuit: quartò, quia etiam gratiam increatam, id est, Deum in se tota continuit.* Vnde meritò S. Hieronymus ad Paulum & Eustochium dicit: *Benè dicitur gratiâ plena, quia cæteris per partes; Mariæ verò simul se tota plenitudo gratiæ infudit.* 6. Hieron.

Si deniq; Beatam Virginem considerare voluerimus, quantum ad naturam corporis, etiam quoad hoc in toto genere parem non habuit: omnes enim quotquot hominum geniti sunt, generantur, & generabuntur, prauis concu- 1. Ioan. 2. piscentijs subiacent, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ,* (hoc est, immodica bonorum cõcupiscentia) *quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Sola Virgo Sanctissima in sua purissima carne habuit concupiscentiam à Patre, id est à Deo, quæ opponitur cupiditati, quæ à mundo est, & ad mundi alia bona validiùs inclinat. Hoc profitetur S. Damasce- S. Damasc. nus orat. de Natiuit. Virginis, in hunc modum eam alloquens: *Cupiditatem* inquit *omnem, ad id, quod solùm expetendum est, & amandum est, intentam habes; iram verò aduersus peccatum duntaxat, illiusq; parentem. Appetitu tuum in hoc situs est, vt diuinis sermonibus nutriaru, hisq; fagineru: sanctam omnem, & tuæ animæ vtilitate coniunctam cogitationem habes; contra superuacaneam, & animo exitiosam, antequàm gustes, ejicis.* Summa ergo sensuum puritas, velut angelificatam Mariæ carnem exornabat: adeò vt cùm reliqui ho- Beata Virgo nũquàm otiosam cogitationem admisit. mines, noxiâ multimodè concupiscentiâ, & effreni voluptatum appetitu ad carnis delicias, & ambitionis fastum viuidè exstimulentur; solius Beatæ Deiparæ cupiditas, quia non à mundo immundissimo, sed à Patre, id est, à Deo erat, sic inordinationis expers permansit, ac si aliquo ferè virtutis fomite, ad sanctitates omnes ageretur. Sic in corpore velut exors corporis, cupiditatem omnem ad id, quod solùm expetendum, & amandum est, intentam habebat; totoq; appetitu non nisi ad res cælestes, & omnem probitatem quodammodò inclinabat; ita vt vel superuacuam cogitationem priùs à cogitatorio expueret, quàm exciperet. Quia nimirum mens eius ita erat delicatè pura, & non proficuæ cogitationis præproperè impatiens.

Porrò Deipara Virgo à felici suæ immaculatæ cõceptionis auspicio, ita munda, ita pura semper extitit, & omnibus mundialium passionum fœcibus exempta, vt

caro mundissima, & mens purissima Genitricem Domini singularius consecrarent: quemadmodùm loquitur Petrus Damianus ferm. de Assumpt. Cõsecrarent inquam tanquam iugem, atq; perpetuam immaculatæ putitatis victimam, de singularitate, opinatissimam. Consecrarent non modò tanquàm sacrificium Deo semper immolatum; sed tanquàm aliquod arcanæ putitatis singulare Sacramentum, in quo sub veta extrinsecus carnis specie, ex Adamo Protoparente verè propagata, quasi altera caro medullitùs latebat præuaricatricis carnis exempta notis, à concupiscentiæ fomite, & subsultibus carnis appendicibus immunis: quia caro mundissima, & mens purissima Genitricem Domini singulariter consecrabant.

Damianus.

Hinc non immeritò S. Bonauentura, summam perfectionem, cuius pura creatura capax est, attribuit Sanctissimæ Virgini: quia & mens eius semper fuit purissima, & caro mundissima. Ad quod comprobandum assumit sententiam illam sancti Dionysij lib. de diuinis nominibus cap. 4. *Optimi est optima adducere.* Et quia optimum triplex est, *vnum simpliciter*, vt Deus Optimus maximus. *Alterum*, secundùm genus, & secundùm statum, vti est Christus, qui in genere creaturæ, & in statu conditionis est optimus. *Tertium* optimum est in ordine, & non simpliciter, vti est vniuersitas rerum. Ideò hæc sententia S. Dionysij: *Optimi est optima adducere*; si intelligatur de optimo simpliciter, verificatur in processione personali: quia optimus Pater generauit optimum Filium; si autem intelligatur de optimo in genere, & in statu conditionis, verificatur in productione Christi, qui est optimus inter omnes creaturas. Si demum intelligatur de optimo in ordine, verificatur in creatione vniuersi, in quo Deus seruauit optimum ordinem. Hinc ergo concludit S. Bonauentura, cùm Deus sit optimus, tria opera fecit optima: *Primò*, generauit ab æterno optimum Filium. *Secundò*, produxit optimum Christum, qui est optimus inter omnes creaturas. *Tertiò*, creauit optimam matrem, quæ ratione maternitatis, & gratiæ, fuit optima inter omnes Angelos, & homines. Quod vlteriùs deducit hac ratione: quia illa creatura est optima, quæ maximè participat de Deo, illiq; approquinquat. Sed Beata Virgo ex omnibus creaturis maximè participat de Deo, illiq; appropinquat cùm inter matrem, & Filium, nõ detur medium: igitur Beata Virgo ex omnibus creaturis est optima.

S. Dionys.

Optimum triplex est.

S. Bonauen.

Ostendi itaque Christum ex duplici motiuo gloriari, quòd de Virgine Maria natus sit, in primis, quia fuit condignè disposita ad eius maternitatem. Præterea, quia à Beata Virgine habet, quòd eius ineffabilis incarnatio, inter omnia Dei opera, & mysteria fidei nostræ maximum habeatur. Idcircò & nos, vt possimus dignè disponi ad hoc, vt Deo vni in essentia, trino in personis, & in hac vita per gratiam, & in futura per gloriam vniamur, illa mediante donum hoc à Domino DEO postulemus. Quia vt dicit S. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 6. *Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quòd quidquid post Deum pulchrius, quid. quid dulcius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.*

DIE PRÆSENTATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

CONCIO PRIMA.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. *Lucæ 11.*

Virgo Maria in templo præsentata est, vt ex tunc Spiritui Sancto in templum puriſſimum dedicaretur, & Dei Filium ad assumendam carnem humanam, suis precibus alliceret.

SAcramentum illud magnum in Christo, & Ecclesiâ, à D. Paulo coniugibus proclamatum: *Relinquet homo patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ*, exequitur hodiè Deus cum sua primogenita Filia, Virgine Sanctissima. Intimatum fuit primæ mulieri Euæ: *Sub viri potestate eris.* Genes. 3. cuius rationem reddit D. Paulus, Ephes. 5. quia *vir est caput mulieris.* In capite Sapientia gubernatrix residet, proinde penes virum est amor, qui debetur mulieri coniugatæ; iuxta illud: *Viri diligite vxores vestras.* Relinquit

Genes. 3. Ephes. 5.

quit Virgo augustissima hodiè Patrem, & matrem, diuinoq; impulsu præsentatur in templo, quia amor diuinus zelans hanc Virginem, voluit illam omnino à parentum conuersatione seiunctam habere, vt sic ad Deum vnicè diligendũ magis ac magis alliceretur. Audite Ioañē Geometram ita profundè Deiparam salutãtem: *Salue quam solus dilexit amabilis vnus, qui Pater est, & amans ingeniti decoris, salue prima, & aue sola.* Quid est, quòd solus Deus Virginem Deiparam diligere perhibetur? An non homines, & Angeli quoq;, omnesque cœlites eam impensè diligunt? Non abnuo: equidem diligunt; sed tamen vnam ac solam Deiparam, solus DEVS sufficienti dilectione, & digno Mariæ bonitatis amore, eam dignè diligit, in eaq; gaudenter complacet. Facessant Angeli, erubescant homines, quia Mariæ bonitatem digno amore prosequi non valent: solus enim Deus Marianæ pulchritudinis plenè conscius, Mariam hac pulchra & sufficienti dilectione prosequitur. Ament creaturæ, quantum possunt Mariam, certatim contendant amoris vires; maior est omni dilectione Mariæ: *Salue, quam solus dilexit amabilis vnus.* Quasi aspectu ad amorem, quo Deus Mariam diligit, & in eius pulchritudine sibi gratiùs complacet, omnis creaturarũ amor, vix ad amoris elogium reputetur. Quippè hodie Maria sponsa totius Trinitatis, Deo adhærens, vnus spiritus fit cum eo: & quoniam potestas Patri, sapientia Filio, amor Spiritui sancto attribui solent; ideò Maria sub Patris potestate est, non vt deprimat; sed vt illam tantò altiùs efferat, attestante ipsamet Lucæ 1. *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Hanc sibi sponsam diuinus Pater elegit, cùm in rerum creatione potentiæ suæ dedit specimen, quod etiam ipsa fatetur Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Hodiè caput suum Christum sortita est, qui iuxta illud Ecclesiastici 31. *Habeat caput responsum tuum.* exclamante muliere in Euangelio: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Respondit pro Maria: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Vt non solùm Matrem Dei Mariam, sed & Sponsam, quæ Deo obediret, esse palam faceret. Quoniam in hac sua præsentatione, Maria non solùm chara; sed etiam charissima in delicijs Spiritui sancto facta est, cuius amore tactus affirmat: *Fortis est vt mors dilectio.* Cantic. 8. Mors spiritum hominis rapit; dilectio autem Maria rapit totum Dei spiritum. Et licet penes virum potestas, atq; sapientia sit; excellit tamen in connubio amor: ac proinde non exigit D. Paulus à viris potestatem, & sapientiam, verùm amorem duntaxat: *Viri diligite vxores vestras.* Atq; ideo, licet sacra atq; deuota Virgo, sponsa totius Triados sit, Patris nimirum, cuius imperio atque potestati subijcitur; Christi, cuius doctrinæ, ac sapientiæ sequitur documenta: Spiritus sancti, cuius amore trahitur, & nuptias celebrat. Nihilominùs insignitur, & honoratur titulo speciali, & nuptiali Spiritus sancti, propter mirabilem dilectionem, quam erga eam Deus ostendit. Ostendam igitur, quare infantula Virgo, cùm trimula esset, in templo ex diuino impulsu à parentibus præsentata est.

Ioannes Geometra.

Lucæ 1.

Prouerb. 8.

Eccles. 32.

Cantic. 8.

Prima ratio, cur Beata Virgo trimula templum Domini ingressa sit, est, vt ex tunc in templum puriſſimum Spiritus sancti dedicaretur. Quod sic deduco: quia inter solemnitates Beatæ Virginis Mariæ, tertia in ordine habetur præsentatio: Conceptio enim primum locum tenet, secundum Natiuitas, tertium Præsentatio, quæ maximè ad Spiritum sanctum pertinet. Nam vt sine labe, & macula originali produceretur Virgo Deipara, opus fuit omnipotentis Patris, non parentum eius, ac proinde puriſſima Virginis cõceptio, cælesti Patri dedicanda erat. Natiuitas autem Mariana, quia est ortus auroræ: progreditur enim tanquàm aurora consurgens, quæ consonantiam habet cum sole; Sol autem iustitiæ Filius Dei est; & ideò nata Virgo Maria, nato ex Patre Verbo sacranda erat. Quando autem in templo præsentatur, canit Ecclesia sancta: *Deus, qui Beatam Mariam semper Virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo præsentari voluisti.* Ergo ista tertia solemnitas ad tertiam in Trinitate personam pertinet, cuius sacrosanctum habitaculum Maria est. Vnde solemnis hodierna Virginis præsentatio, nihil aliud est, nisi quædam templi virginei dedicatio in honorem Spiritus sancti. Constructionem materialis templi laboriosam; dedicationem verò totam iucundam esse, pronuntiat D. Augustinus serm. 7. de Dedicat. Eccles. *In ædificatione* ait, *labor est, in dedicatione lætitia est. Dùm cæduntur de montibus lapides, & ligna de syluis, dùm formantur, dolantur, coaptantur, labor & cura est; cùm autem perfecti ædificij dedicatio celebratur, gaudium, & securitas laboribus, curisq; succedunt.* Ita planè, quando Virgo Deipara

Inter solemnitates Beatæ Virginis tertium locum tenet Præsentatio

præsentatio Mariæ est virginei templi dedicatio in honorẽ Spiritus sancti.

S. Augustin.

para formabatur, & concipiebatur, ſterilitate parentes laborabant, ac proinde labor erat in templi Mariani ædificatione. Quando prolem ſuam enitebatur Beata Anna, doloribus ſubiacebat; atq; ideò conſtructioni dolor non deerat. Quando autem præſentabatur, & dedicabatur, poſt præteritum laborem, atq; dolorem, ſucceſſit ſummum gaudium, perfectaq; lætitia, non abſimilis iucunditati, quæ in dedicatione templorum fieri ſolet, eritq; tunc temporis, quando dedicabimur, ac in illo cæleſti templo Deo præſentabimur. Audite citatum Auguſtinum: *Dùm* inquit, ex infideli vita homines ſegregantur ad fidem, dùm quidquid nõ bonum, atq; peruerſum eſt, amputatur, & cæditur, dum fiunt aptæ iuncturæ, quantæ tentationes timentur, quantæ tribulationes ſuſtinentur? cùm verò aduenier dies dedicationis domus æternæ, cùm dicetur nobis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt vobis ab initio mundi*; Quæ illa exultatio, quæ ſecuritas erit?

An certè dubitatis Virginem Sanctiſſimam, eſſe templum Spiritus ſancti in honorem dedicatum? recurrite ad Iſaiam qui cap. 7. ait: *Quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Vbi Hugo de S. Victore lib. 2. de Arca Noë, iſtud oraculum Iſaiæ in hunc modum exponit: *Templum in hoc loco intelligi poteſt circuitus temporum, & ambitus ſæculorum. Tempora namq; dum curſu ſuo in ſeipſa redeunt, quaſi quendam templi ambitum gyrando circumſcribunt. Cùm enim Deus æternus ſit, omnia tempora ſub illo continentur. Hoc ergo templum dedicatum eſt Regi ſæculorum.* Solius quippè Dei hic honor eſt, ſolius gloria. Percurrite omnia antiquorum Deorum Numina, & videbitis, nulli eorum Regis ſæculorum titulum datum fuiſſe. Ficta quidem illa numina plurimas ſibi domos vſurpárunt; at verò delúbrum temporũ, & ſeculorum intactum reliquerunt. Voluit itaq; Deus Hieroſolymis vnum habere templum, quod Salomon ædificauerat; & in toto mundo alterum, quod decurſu temporum, & ſæculorum conſtruebatur. Vnum, & alterum multoties profanatum eſt: nimirum templum Hieroſolymitanum, per incurſiones, & abominationes Gentilium; temporarium, verò & ſæculare per deprauatos, & corruptos hominum mores. Vt docet Apoſtolus Epheſ. 5. aiens: *Sæculum nequam, & dies mali, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Templum igitur à ſæculis circumſcriptum fuit, vt hinc facilè cognoſcamus, veterum ſæculorum, & temporum circumſcriptionem, fuiſſe veluti quandam deſignationem alterius templi, quod ſoli Deo conſecrandum erat, nunquàm violandum, nunquàm corrumpendum. Quod non aliud eſt, niſi Maria Virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, quæ trima Deo conſecrata eſt.

Lucæ 7.

Hugo de S. Victore.

ad Epheſ. 5

Imò, quid dico Virginem Sanctiſſimam fuiſſe templum, Spiritui ſancto in honorem dedicatum, cùm templum illud Hieroſolymitanum in honore longè tranſgreſſa ſit, teſte Georgio Nicomed. in orat. de Præſentatione: *Hæc te* ait, *maiorem accipit gloriam, quantò vmbra minor eſt corpore, & ænigma veritate, & ſermone, & imago cauſâ, tu ab eius ſplendore tantum differs. Nam tu quidem ab vna propria gente cultum accipis; ipſa autem ab omni creata natura inſigniter honoratur.* Conferte ſi lubet miracula, quæ patrata ſunt in templo Hieroſolymitano, & facilè aduertetis vmbram fuiſſe Mariæ, quòd ſi vmbra Petri Apoſtoli mirabilia faciebat, multò magis vmbra Mariæ res ſtupendas operabatur: adeò, vt ſi Eccleſia ſancta de Petro miraculoſo canit, Deum alloquens: *Te mirabilem in Petro tuo Apoſtolo prædicamus*; iure potiori Cnos non ſolùm mirabilem in Virgine ſponſa ſua Deum, ſed & diuinum Sponſum eius perſonam admirantẽ, prædicare debemus, iuxta illud Sophronij ſerm. de Aſſumptione: *Admiratur Spiritus ſanctus, quòd quaſi noui diluculi aurora reſplendeat.* Reſplendet enim in corpore virginali, quæ erat in vmbra templi: reſplendet in veritate, quæ latebat in ænigmate: reſplendet reipſa, de qua tantus erat in templo ſermo: reſplendet in perſona, quæ priùs comparebat in imagine. Vnde meritò S. Eccleſia in hodierno Euangelio acclamat: *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Ecce nondum erat Deo natus, & iam acclamabatur vt mater: quia actibus implebat ante tempora maternum officium, ac dignitatem, quos actus reſpiciens Chriſtus, ſimulq; applaudens ait: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Palam faciens, domum Dei æſtimandam eſſe, non ſolùm ex eo, quod foris apparet, ſed etiam ex eo, quod intus continet. Maria igitur non ſolùm ex eo beata, quòd vtero ſuo Chriſtũ geſtaſſet, & vbere proprio lactaſſet; ſed quia non ſolùm exteriùs, verùm etiam interiùs tota pulchra, ac perfecta, beataq; eſt. Quod illi ſubſcribit Regius Vates, Pſ. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.*

Georgius Nicomed.

Sophronius

Pſal. 44.

Altera

Altera ratio, cur Sanctiſſima Virgo trimula in templo præſentata ſit, vt ſuis precibus Dei Filium ad aſſumendam carnẽ humanam attraheret. Quod figuratũ fuiſſe reperio in Scriptura Sacra Leuitici 2. *Cùm autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de ſimila panes, ſcilicet abſq; fermento.* Nam ſicut illud ſacrificium panis, ſine fermento, ſignificabat Chriſtum, ita clibanus, in quo fuit coctus panis, deſignabat Virginem Sanctiſſimam, in cuius vtero ſecundùm carnem Chriſtus fuit formatus. Præterea, quia ſicut clibanus, vt benè coquat panem, debet eſſe perfectè clauſus; ita conueniebat Beatam Virginem, vt Deum per incarnationem, panem hominum efficeret, iuxta illud Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus,* in templo Dei concluſam, vitam degere mixtam; potiſſimùm autem contemplatiuam. Nam vt refert Sabell. lib. 2. exemplorum, cap. 4. & 9. & lib. 8. cap. 4. ex antiqua traditione, Virgo trimula in templo præſentata, cõſueuerat à prima luce ad tertiam diei horam, contemplationi ac rebus ſacris vacare; poſtea vſq; ad meridiem aliquod opus exercere; a meridie verò vſque ad finem diei, ſacræ lectioni, & orationi incumbere. Epiphanius autem presbyter Conſtantinopolitanus, diligentiſſimus inueſtigator vitæ Mariæ, ex Græcis Authoribus deducit, Beatam Virginem Mariam, in lana, lino, ſerico, & byſſo laboraſſe. Tandem S. Bonauentura in meditationibus cap. 3. citat S. Hieronymum ita ſcribentem: *Hanc ſibi regulam Beata Virgo ſtatuerat, vt à mane vſq; ad horam tertiam, orationibus inſiſteret: à tertia vſq; ad nonam, externo opere ſe occuparet; à nona verò iterum ab oratione non recedebat, quouſq; illi Angelus appareret.* Eleganter Petrus Damianus ſerm. 1. de Natiu: vitam hanc mixtam Beatæ Virginis explicat in hunc modum loquens: *Vt nec actio contemplationem minueret, nec contemplatio actionem deſereret: conſidera quia ipſa eſt, quæ in contemplatiuæ dignitatu ſuperuecta dulcedinem, in ipſius Dei ſubſtantia lucidiores infixit obtutus.*

Leuitici 2.

Ioan. 6.

Occupatio B. Virginis in templo quæ fuit.

S. Bonau.

Damianus.

Meruit itaq; Sanctiſſima Virgo in templo præſentata, merito congruo in primis hoc, vt eligeretur, & eſſet Mater Dei. Hoc illi expreſsè tribuit S. Baſilius hom. 25. de humana Chriſti generatione, vbi dicit: *Propter vitæ puritatem Virginem fuiſſe electam, vt eſſet Mater Dei.* Idemq; docet S. Ambroſius epiſt. 28. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 26. Petrus Chryſologus ſerm. 148. Et ipſamet Virgo Deipara palam confitetur ſe ex merito ſuo eſſe Matrem electam. Lucæ 1. *Quia* inquit, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Meruit præterea, vt vnigenitus Dei Filius humanam carnem aſſumeret. Hoc illi tribuit Oroſius tom. 3. in feſto Præſentationis, vbi dicit: *Venit in templum Maria, vt pugnam cum Deo ineat, & Deum ſuperet, ac in terram deijciat. Templum verò eſt locus huius certaminis; ſtadium, in quo curritur: quia in eo agone nobis cum Deo contendendum eſt.* Quod licet Deus mera & purâ gratiâ decreuerit in mundum venire, factus homo; voluit tamen mundum diſponi ad eum dignè ſuſcipiendum; & vt mundus id mereretur, non quidem de condigno, & de iuſtitia; ſed de congruo. Quia ſancti Patres meritis, & orationibus obtinuerunt, vt Deus deſcenderet, non quidem iuſtitiâ id exigente, ſed quia conueniens fuit, vt Deus Homo fieret, id exigentibus, & poſtulantibus tot Sanctorum meritis, & orationibus. Sed hoc meritum de congruo impletum non fuit, donec Maria in mundum veniret, & ſuis meritis, ac oratione, Deum è cælis in terram deduceret: Illa vltimam lineam, ac manum huic operi impoſuit. Quod ipſe Deus pollicitus eſt, Cantic. 4. *Vadam* inquit, *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Palam faciens, ſe à Virgine, quæ erat mons myrrhæ, hoc eſt mortificationis: & collis thuris, hoc eſt, orationis ſe tractum, ad homines viſibiliter deſcendiſſe.

Oroſius.

Cantic. 4.

Quod ſi Antiquitas ſatis celebrare non potuit admirandum illud prodigium, in commendationem Virginitatis à Deo editum, quod D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 16. in hunc modum recenſet. Cùm mater Deorum ex Phrygia naui adueheretur Romam, ex templò in medio Tyberis nauis immota permanſit, vt nulla penitus ratione de loco dimoueri poſſet Tunc Claudia virgo Veſtalis, zonâ quâ cingebatur, ad nauim alligata, nauim ſine vllo penitus labore, ad littus attraxit. Quis obſecro Virginem Mariam ſatis celebrare poterit, quæ triennis in templo præſentata, nauem illam inſtitoris de longè portantem panem vitæ æternæ, funiculo ſuæ orationis, Filium Dei ad aſſumendam naturam humanâ feliciter traxit, abſq; vllo puriſſimæ virginitatis ſuæ detrimento. Nam vt refert Euangeliſta Luc. 1. Cunctanti Virgini, ne virginitatis iacturâ Dei maternitatem mercaretur, reſpondit Angelus: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod naſcetur ex te ſan-*

S. Baſilius. Ambroſius. Hieronym. Auguſtinus.

Lucæ 1.

te sanctum vocabitur Filius Dei. Quibus verbis, A diuinæ incarnationis mysterium, expurissimo Virginis sanguine, illæsâ eius virginitate diuinitùs peragendũ Angelus pronuntiauit: adeò, vt Maria semper Virgo, Proclus & verâ Dei mater ineffabiliter extiterit.

Hinc Proclus hom. de Natiuit. Christi proclamat: *Maria est vnitarum inter se naturarum officina: Maria thalamus, in quo Verbum humanam carnem desponsauit: Maria salutaris reconciliationis panegyris.* Ita altè laudat, ita eloquenter commendat, ita nobiliter deprædicat Magnum Incarnationis mysterium, quod Spiritus sanctus in Virgine operatus est, omnibus cælestibus do- B nis supereffluenter eam replens, teste D. Athanasio serm. de Sanctissima Deipara, vbi supra illa verba, *Spiritus sanctus* S. Damasc. *superueniet in te*, in hunc modum discurrit: *Quemadmodùm nunc in præsentia, & in æternum vsquè habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi, & superuentum Spiritus sancti, vt sit gratiâ plena. Ita etiam isthic opinamur, omnia illi per gratificationem Spiritus sancti, & virtutem Altissimi donata fuisse.* En quantæ plenitudinis, ac diuinæ Maternitatis gratiam, per Spiritus Sancti gratificationem Deipara accepit.

Gratificatur itaq; hodiè Spiritus S. Virgini sponsæ suæ dilectæ, quòd trimula ad C templum sponsalia celebratura cum tertia Trinitatis Persona, imò cum tota venerãda Trinitate festinãter venerit. Gratificatur, quòd Virgo & Mater existens diuinæ Incarnationis ac Redemptionis facta sit panegyris. Gratificatur cælum Eccles. 42. Virgini, quia in hodierna solemnitate gloriâ nouâ repletum est, iuxta illud Ecclesiastici 42. *Supra omnia respexit: gloriâ Domini plenum est opus eius.* Gratificemur pariter & nos Virgini Deiparæ: quia nobis Deum & hominem genuit, & mundum reformauit.

EODEM DIE
CONCIO II.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

Beata Virgo ad obtinendam plenitudinem gratiæ in templo præsentatá est.

Euãgelium de vtero & vberib⁹ tribus de causis accõmodatur Præsentationi B. M. V.

MInus accommodatè hodiernum Euangelium solemnitati Præsentationis Beatæ Virginis Mariæ cõgruere videtur, cùm ex mente Sanctorum Patrum infantula, vt pote triennis, à Parentibus in templum Hierosolymitanum adducta fuerit, quo tempore nondum habuit vbera. Verùm tribus potissimùm de causis hoc Euangelium Præsentationi infantulæ Virginis accommodari video. In primis, quia commendatio vteri, atque vberum maximè opportuna est, ad indicandam trimulæ Virginis excellentiam: quoniam in maternitate Dei, tanquam in radice continentur innumerabiles excellentiæ. Quapropter veluti breui compendio laudes ipsius Virginis perstriguntur, quoties aliquid de ea annuntiatur, per quod Dei mater declaratur. Et licet Virgo tunc infantula Deum corpore nondum concepisset; quia tamen ad illum concipiendum electa erat, ideò statim in ipsa infantia cumulabatur. Sic censet S. Anselmus lib. de Excellentia Virginis cap. 7. *Si talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis, quæ illum non solùm erat transitiuè hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura.* Vultis scire, quantus in corde sanctissimæ Virginis & qualis apparatus inuentus est, ad concipiendum Dei Filium? Equidem non alius, nisi profunda Virginis humilitas, & immensa Dei incarnati benignitas. Quemadmodùm docet S. Cyprianus Tract. de Natiuitate Christi. *Paruulus* S. Cyprian. *inquit, sugens vbera, parè alimoniâ vtebatur, & fons sacri pectoris defecatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor Matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant, eratq; vtriusq; mira iucunditas, cum pia sanctæ Matris & deuota humilitas, & Sancti Sanctorum immensa benignitas consæderatis affectibus mergerentur.* Adornabat igitur Sanctissimam Virginem infantis Dei immensa benignitas, cùm de materni vberis fonte puram alimoniam lambere expeteret, quo hominum genus suo in cruce effuso sanguine saginaret copiosa redemptione. Adornabat simul eam & profunda humilitas, quâ nihil in lactante Virgine sublimius, augustiusq; superemi- D nebat, quod posset cum benignitate Dei Filij digniùs conferri. *Præterea*, in prædicto Lucæ Euangelio commendantur vterus & vbera Virginis, ad designandam duplicem eius maternitatem, nimirum temporalem, & spiritualem. Licet igitur Virgo in illa infantili ætate, nondum facta fuerit mater temporalis Verbi incarnati; optimè tamen dici poterat mater spiritualis: quia diuinam voluntatem à primo conceptionis momento semper adimplebat, & diuinum Verbum, seu inspirationes sibi cælitùs immissas diligentissimè custodiebat. Sic de illa fatur venerabilis Beda super Lucam ca- Beda. pite 9.

Maternitas in B. Virgine alia temporalis alia spiritualis.

pite 9. *Dei enim Genitrix* inquit, *inde quidem Beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis: sed inde multò beatior, quia eius semper amandi custos manebat æterna.* Tertiò deniq; ideo Spiritus sanctus de vtero & vberibus mentionem fieri voluit in hac solemnitate, vt indicaret ipsam Virginem in illa infantili ætate, adeò sanctam fuisse, vt ex tunc aliquo modo digna Dei Mater videretur. Hinc eam S. Ecclesia habitaculum Spiritus sancti appellat, cantans: *Deus qui Beatam Mariam semper Virginem, Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo præsentari voluisti.* Et alibi ab eadem Ecclesia templum Domini nominatur, B vterus Virginis, quatenùs in eo Verbum carnem assumpsit: *Magnum* inquit *hereditatis mysterium: templum Dei factus est vterus nesciens virum.* Neq; hoc cuipiam admirationem pariat: quia sancti Patres tantam in Virgine adhuc in materno vtero existente sanctitatem agnouerunt, vt ex tunc velut dignam Matrem à Verbo electam esse ausi fuerint prædicare. Audite B. Laurentium Iustinianum serm. de Natiuit. S. Mariæ: *Illam* inquit, *profectò adhuc in Matris vtero decubantem adamauit Verbum, sibiq; in Genitricem elegit, vt pote superabundantiam benedictione præuenientem, iamq; Sancti Spiritus magisterio deputatam.* Imò audet affirma- C re Petrus Chrysologus, Beatam Virginem à primo instanti suæ conceptionis veram Dei Matrem fuisse: ita enim loquitur serm. 146. *Quomodò non ante conceptum mater, quæ post partum Virgo? Mater, aut genitrix quando non, quæ sæculorum genuit Auctorem?* Et hoc est, quòd Deus per virgam Aaron, Sanctissimam suam Genitricem præfigurari voluerit, vt docent sancti Patres, potissimùm sanctus Damascenus Oratione 1. de dormitione Virginis: *Hæc* inquit, *illa virga Aaron arida, quæ in tabernaculo testamenti posita, præclarissimum ediuit miraculum.* Idem constat ex reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap. 55. vbi Virgo D Deipara de seipsa, ita loquitur: *Deus namq; singulare quoddam, & à sæculo absconditum facere voluit in opere suo; quemadmodùm fecit in virga arida florescente.* Si igitur virga illa vno die & germinauit, & floruit, & fructus attulit; per hoc indicatur, quòd Beata Virgo statim, atq; concepta, floruit omnibus virtutibus, ita vt ex tunc iam digna videretur, quæ benedictum fructum, id est, Dei Filium conciperet. Ostendam itaq; non ob aliam causam Virginem infantulam, in templo præsentatam esse, nisi vt plenitudinem gratiæ, in qua concepta, & nata erat, tunc reciperet, in eaq; toto vitæ suæ tempore creisceret, & augeretur.

B. Virgo adhuc in vtero existens digna fuit maternitate Dei.

Lauren. Iustinianus.

Chrysolog.

S. Damasc.

Dubium forsan propositio mea nonnullis mouebit, qui opinantur Beatam Virginem eo momento, quo Verbum incarnatum concepit, consummatam gratiæ plenitudinem accepisse, nec amplius ab eo tempore, vsq; ad illud, quo è vita migrauit, potuisse quidquam amplius mereri, aut in gratia crescere. Quod in primis deducunt ex S. Damasceno, S. Damasc. qui orat. 1. de dormitione Deiparæ dicit: *Mors enim eos, id est, alios sanctos perficit beatosq; ostendit, id videlicet ipsis offerens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat; minimè tamen hoc in te vsurpabimus: nequè enim mors tibi beatitudinem attulit, neq; migratio perfectionem conciliauit, omnium enim bonorum initium, medium, & finis, securitas etiam, ac vera confirmatio, illa seminis experte conceptione posita fuit.* Ergo Beata Virgo in eo instanti, quo Verbum incarnatum de Spiritu sancto concepit, omnem gratiæ plenitudinem consummatiuè obtinuit, nec amplius in ea potuit augeri. Sed debile fundamentum: nam verba S. Damasceni intelliguntur de perfectione gratiæ, Perfectio gratiæ duplex est. quæ omnino confirmat in bono; non autem de perfectione, quoad omnem possibilem intensionem. Alias si sine vlla modificatione accipienda essent, tunc ex illis sequeretur, Beatam Virginem ab eo tempore, quo concepit Filium Dei, fuisse plenè ac perfectè beatam, quod viatoribus nequaquam concedi debet.

Deducunt præterea ex S. Gregorio Taumaturgo serm. 1. in Annuntiat. Sanctissimæ Genitricis Mariæ, qui habetur tom. 3. Biblioth. Patrum nouissimæ editionis: *Conuenienter igitur* ait *Angelus sanctæ Mariæ Virgini primò omnium illud, Aue gratiâ plena Dominus tecum præsignificauit, quoniam cum ipsa totus gratiæ thesaurus reconditus erat.* Ex quo loco inferunt: si totus gratiæ thesaurus erat in Virgine reconditus, ergo non potuit vlteriùs progredi gratia Beatæ Virginis. Sed & hoc debile fundamentum: nam S. Gregorius locutus est de Deo in vtero Virginis corporato, qui cùm sit Author gratiæ, verè totius gratiæ thesaurus est; hic autem erat cum Virgine eo sensu, quo Angelus dixerat, *Dominus tecum.* Præterea, quia quando Vir- Plenitudo gratiæ statui viatorũ proportionata est augmẽtabilis. go concepit Dei Filium, fuit cum illa thesaurus totius gratiæ: habuit enim tunc omnem illam plenitudinem gratiæ proportionatam, quæ ad dispositionem Matris Dei requirebatur; illa autem plenitudo cùm fuerit valde ingens per quandam

S. Gregor. Taumatur.

dam exaggerationem; dici potest the-
saurus totius gratiæ. Nihilominùs cùm
plenitudo prædictæ gratiæ fuerit in Vir-
gine viatrice, debuit etiam esse consen-
tanea illi statui, qui exigit, vt creatura
possit semper crescere in gratiâ.

Deducunt ad extremum hoc ipsum
ratione. Beata Virgo vt perfectissimè es-
set disposita ad concipiendum Dei Filiū,
par fuit, vt tantâ gratiâ esset sanctificata, quantâ pura creatura sanctificari
potest. Ergo gratiâ in Beata Virgine
quando concepit Verbum incarnatum,
fuit ita consummata, vt vlteriùs progredi non posset. *Præterea*, quia non repu-
gnat, quòd Deus contulerit Beatæ Virgini, eo tempore, quo concepit Verbū,
totum illud augmentum gratiæ, quod
ipsa promeritura erat reliquo vitæ suæ
tempore. Quoniam opera bona præuisa, vt futura, possunt mouere agens ad
aliquid: sic opera Christi præuisa, vt futura, antequàm actu existerent, causârunt meritoriè multa dona hominibus.
Proindè etiam opera futura sanctissimæ
Virginis, post conceptionem Filij Dei,
vt præuisa, de potentia absoluta potuerunt mouere Deum ad conferendum eidem Virgini, eò momento, quo Verbum
concepit, omne illud gratiæ augmentū, C
quod talia opera futura prometurabantur. Sed hoc maximè decebat, vt tunc
Virgo tantâ gratiâ esset sanctificata,
quantâ pura creata sanctificari potest: quò enim Virgo sublimiori gratia decorabatur, eò magis naturæ diuinæ particeps suadebat, & consequenter magis
disponebatur ad concipiendum diuinū
Verbum. Ergo de facto ita factum esse
asseri potest. Sed & hoc argumentum
parui ponderis: certum enim est Beatam Virginem, quando concepit Verbū,
tantùm gratiæ recepisse, quantùm paret, vt pura creatura effecta Dei Mater reciperet; non autem absolutè quantum pura creatura in statu viæ posset recipere. Ratio est: quia sicut dignitati
Matris non fuit debitum, vt ad statum
gloriæ subitò tunc eleuaretur; ita neq;
debitum fuit, vt omne augmentum gratiæ illi conferretur; sed quod viatoris
statui esset proportionatum, sufficiensq;
principium ad statum gratiæ consummatæ, sed gloriæ Deiparæ consentaneum.

Beata Virgo ergo concipiendo Dei Filiū quantum gratiæ recepit.

Beata igitur Virgo, tàm ante Verbi Incarnationem, quàm post vsq; ad extremum momentum, quo ipsa sanctissimam animam efflauit, potuit crescere in gratia, & de facto crescebat. Hoc expressè docent Durandus in 3. dist. 3. q. 4. sotus in 4. dist. 5. ar. 2. vbi dicit: *Quu ambigat, quin cùm merita præmium prætedant, per tam egregia omnium virtutum officia, quæ post Sacratissimum partum accumulauit, cumulatior etiam in dies, & excellentior illi accresceret gratia. Fuit quidem gratiâ plena ante conceptionem Filij, quantum par erat, vt fieret Christi Mater; attamen eo modo summa, vt non posset deinceps meritis augeri.* Similiter Gerson disertens de dolore, quo Beata Virgo quandoq; afficiebatur, tract. 4. super Magnificat ita fatur: *Nihilominùs dolebat propter passum passibilem, & statum; cùm omni tamen moderatione, & virtute, & merito continuo.* Orosius tom. 1. ad finem in Concione de compassione Mariæ: *Plùs* inquit *Maria merebatur, cùm parua inuoluebat Christum infantem; quàm Laurentius cùm super craticulam ureretur.* Durandus. Gerson. Orosius.

Et certè veritas hæc euidenter patet: in primis, quia ex diuina ordinatione, dum homo viuit in hac mortali vita, est in statu merendi, quod palam habetur ex authoritate Scripturæ Sacræ, quæ frequenter docet, tempus operandi, id est, meritoriè, esse tempus huius vitæ, quando homo est viator, vt Ioann. 9. *Venit nox quando nemo potest operari.* Vnde sæpè nos Scriptura sacra hortatur, vt ante mortem bona opera faciamus. Et ratio hoc ipsum suadet: quia licet hoc præcipuè proueniat ex voluntate Dei, qui statuit dare præmium solùm pro aliquo statu, qui dicitur status viæ; huius tamen diuinæ voluntatis ea ratio assignatur, quòd sicut naturæ rationali conuenit habere aliquem vltimum finem, ac statum; ita eidem etiam conuenit habere determinatum aliquod tempus, quo tendat in suum vltimum finem, & quo à Deo expectet retributionem suarum operationum, vt tandem in eo statu quiescat. *Præterea*, quia meritum de facto, & de lege ordinaria, debet præcedere præmium: siquidem nemo meretur id, quod habet; sicut etiam nemo sperat id, quod possidet. *Tandem*, quia homo iustus, dum viuit, semper potest in gratia crescere, si velit, vt docet Scriptura sacra Eccles. 18. *Ne verearis vsq; ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Et Prouerb. 4. *Iustorum semita sicut lux splendens procedit, & crescit vsq; ad perfectum diem.* Et Apocal. vltimo: *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Ioan. 9. Eccles. 18. Homo quàdiu viuit potest in gratia crescere.

Hoc ipsum definitum est in Concilio Viennensi, vt habetur in clementia *ad nostram de Hæreticis*, & in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 10. vbi sine limitatione determinat Concilium: *Iustos seruando mandata,*

data, & studiosè operando crescere in gratia. Si A igitur statui viatorum conuenit esse in statu merendi, merita præmittere præmio, & semper in gratia crescere posse. Quis in Beata Virgine hæc locum habuisse non fatebitur? quæ quamdiu vixit, in humanis, fuit pura viatrix. Hinc in Canticis sæpiùs indicatur continuus progressus Beatæ Virginis, in virtutibus, me- Cantic. 3. rito, & gratia, vt Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Vbi iuxta multorum expositionem, sermo fit de omnibus virtutibus Deiparæ; quemadmodùm prædi- B ctum locum exponit Guilhelmus inquiens: *Aptè autem verbum, ascendit* significat progressum de virtute in virtutem, seu de gradu in gradum virtutis, & consequenter augmentum meriti, & gratiæ, iuxta Psal. 83. illud, Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit.* Eodem modo interpretatur locum hunc Hailgrius, qui in expositione citati versiculi dicit: *In secundo loco insinuantur maximæ deliciæ, quibus Beata Virgo afficiebatur, ob magnam vnionem cum Deo.* Quæ vnio erat affectus gratiæ diuinæ, cuius proprium est, vnire Deum amantem cum creatura. Sed cum Beata Virgo dicitur ascendere talibus delicijs affluens, hoc intelligi de- C bet de ascensu, seu progressu per nouos gradus gratiæ, iuxta illud Cant. 6. Cantic. 6. *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* Vbi verbum progredi, significat proficere in virtutibus, merito, & gratia.

Psal. 83. Hailgrius.

Quia igitur Beata Virgo à primo instanti suæ conceptionis; maximè verò à die solemnis Præsentationis, per singula momenta semper augebatur in gratia Dei, ideò constans est Doctorum sententia, plures gradus gratiæ, quibus Beata Virgo locupletata est, fuisse in ea; quàm omnes gradus gratiæ omnium Angelorū, & hominum collectiuè sumptæ. Hoc D fatetur ipsamet sanctissima Virgo Eccle- Eccles. 24. siast: 24. *In me* ait *omnis gratia viæ*, innuens, quòd omnis gratia, quæ sparsim viatoribus Angelis, & hominibus fuit data, in ea collecta fuerit. Et ibidem paulò inferiùs dicit: *Ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Nam quemadmodùm primogenituræ potissimùm regiæ, annexa esse solet amplitudo diuitiarum maior; quàm illa, quæ cæteris filijs ex hæreditate Patris distribuitur. Ita Beata Virgo veluti iure primogenituræ, maioribus gratiæ diuitijs fuit locupletata; quàm sint omnes illæ gratiarum diuitiæ simul collectæ, quæ alijs puris creaturis distributæ fuerunt. Hinc de Virgine Deipara dicit S. Antoninus. 4. S. Antonin. p. tit. 15. cap. 20. *Mariæ gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax non fuit.* Si ergo pura creatura capax est tantæ gratiæ, quanta est illa, quæ reperitur in omnibus Angelis, & hominibus collectiuè sumpta, quod non repugnat; ideò S. Antoninus asserens tantam fuisse gratiam Beatæ Virginis, quòd pura creatura maioris capax non fuerit, simul fatetur, huiusmodi gratiam fuisse maiorem gratiâ omnium hominum, & Angelorum collectiuè sumptâ. Quod comprobat S. Bernardus super *Salue* illis verbis: *Nihil est* S. Bernard. *virtutu, quod in te non resplendeat, & quidquid singuli habuêre sancti, tu sola possedisti.* Et nouissimè Franciscus Venetus, qui in harmonia mundi Cant. 1. tom. 5. cap. 6. dicit: *Inter reconditissima Hebræorum arcana illud celeberrimum haberi, vnam apud Deum esse primam omnium creaturarum, quæ reliquarum omnium perfectiones contineat, quàm illi appellant mitraton; hanc autem esse Matrem Messiæ ex eo colligebant, quòd nomen Mariæ Hebræis, constituat numerum ducenteſimum nonagisimum, quem eundem reddunt extremæ literæ illarum vocum mitraton.*

Nec desunt rationes, quibus hoc ad oculum planè demonstretur: quarum prima desumitur ex ipsa maternitate Dei, quæ potest considerari, tum vt dignitas, tum vt maternitas precisè. Si considereretur vt dignitas, cùm hæc sit altioris ordinis, & suo modo infinita, congruebat illi tanta gratia, quæ etiamsi in infinitum intenderetur, nunquàm excederet terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis. Aut saltem conueniebat illi tanta gratia, quanta dari potest pluribus, sed finitis creaturis. Nititur ratio ista illo principio, quia Maternitas Dei dupliciter considerari potest.

DEVS vnicuique dat gratiam accommodatam statui, ac muneri suo. Ergo cùm Deus præscripserit certos fines gratiæ Virginis, ita amplos præscripisse verisimile est, vt inter illos maior perfectio gratiæ collecta contineretur; quàm illa, quæ Angelis & hominibus, in numero finitis dari potest. Et certè cùm dignitas Matris Dei maior sit, quàm munera & dignitates Angelorum, atq; Sanctorum omnium, etiamsi in vnum congregentur, quis non fatebitur, huic dignitati respondere gratiam, quæ omnium aliorum gratias superat.

Quod si Maternitas Dei consideretur, in ratione maternitatis, hæc dubio procul

cul exigit altissimam similitudinem inter Matrem, & Filium, Nam teste Aristotele lib. 1. de generatione animalium, cap. 19. vt filij similes parentibus sint, ratio exigit. Hanc similitudinem inter Virginem, & Deum incarnatum passim agnoscunt sancti Patres. Hugo de sancto Victore de Verbo incarnato collat. 3. *Propterea* inquit, *Mater Virgo electa est, vt de munda immaculatus nasceretur, vt sicut in cælo Deus habuit Patrem immortalem æternus; sic in terra habeat Matrem Virginem incorruptus. Igitur in cælo qualis Pater, talis Filius: & in terra qualis Mater, talis Filius. In cælo cum Patre æternus, & immensus; in cælo cum Patre incorruptus, & sublimis; in terra cum Matre Virgo, & humilis. In cælo imago Patris, in terra imitator Matris.* Similiter Richardus de S. Victore in Cant. cap. 39. ait: *Ipsa singulariter species Christi præ omnibus speciosa, Christoq; simillima.* Porrò ista similitudo potissimum attendi debet penes gratiam sanctificantem, quâ B. Virgo fuit repleta: gratiæ enim effectus est, assimilare creaturam Deo, & facere hominem gratum Deo; homo autem fit Deo gratus per ipsum amorem Dei, positâ in creatura ratione terminatiua diuini amoris, nimirùm amabilitate, seu decore, & pulchritudine spirituali. Ex quo euidenter sequitur, vt saluetur altissima, & perfectissima similitudo, ad quam par erat, vt pura creatura eueheretur, vt foret digna Mater Dei, quòd talis gratia sanctificans in Virgine requirebatur, quâ nulla maior in vlla pura creatura, aut in omnibus simul sumptis, intelligi possit.

Hugo

Richardus

Gratiæ sanctificantis effectus,

Quod sic deduco. Quantò magis aliquid appropinquat principio in aliquo genere: tantò magis communicat effectum illius principij, vt constat ex trito Philosophorum axiomate. Vnde S. Dionysius de cælesti hierarchia dicit: *Angeli quò sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis.* Sed Virgo sanctissima ratione maternitatis, fuit Deo gratiæ fonti ita propinqua, quomodò creatura aliqua non vnita verbo, non potuerit esse propinquior. Ergo plùs gratiæ debuit participare, quàm quælibet alia pura creatura, aut omnes creaturæ simul sumptæ: nam in his omnibus non potuit esse tanta coniunctio, & approximatio cum Deo, quanta fuit in sola Dei genitrice. Quod vlterius ex ratione perfectissimæ fœcunditatis, quæ maternitati Dei annexa est, magis elucet. Quippè bonum est diffusiuum sui, Authore S. Dionysio c. 4. de diuinis nominibus, & quò magis est bonum, eò magis est communicatiuum, quo fit, vt res magis perfectæ, magis imitentur diuinam fœcunditatem, & causalitatem, vt patet in Intelligentiis orbium cælestium motricibus, in planetis, & præcipuè in sole, quo sicut in hac spectabili rerum vniuersitate nihil ad speciem est pulchriùs; ita nec ad rerum gignendarum vim, fœcundius. Hic namq; vitalem vim, ac salutarem stirpibus, animantibusq; communicat; & in cæteris astris, quæ nacta sunt diuersas virtutes in corpora sublunaria influendi, quibus à Philosophis nomen causarum vniuersalium secundarum attribuitur, propterea, quòd post primam causam, cum particularibus ad varios effectus sublunares producendos concurrant. Nihilominùs sicut istæ causæ infinitè à Dei bonitate distant; ita etiam infinitè distant à fœcunditate, & causalitate Dei. At verò si daretur creatura aliqua ita fœcunda, & tantæ virtutis, quæ produceret fructum non similem, sed eundemmet, quem Deus sua infinita virtute producit: inde manifestè constaret, quòd hæc esset creatura maior, & perfectior, magisque diuinæ bonitati similis, & magis deificata ex omnibus, quæ possunt dici, aut cogitari. Sed talis creatura est Beata Virgo, quia eundem Filium, quem Deus Pater generat ab æterno, genuit in tempore. Quippè eadem persona Christi, est Filius vnigenitus Patris in esse diuino, & est Filius vnigenitus Virginis Matris in esse humano: ergo si pari passu ambulant fœcunditas, & bonitas, seu perfectio, sicut nulli puræ creaturæ, aut omnibus simul sumptis, vlla maior fœcunditas à DEO communicata est, quàm illa, quâ Deus Virginem adornauit; ita consequenter censendum erit, Beatam Virginem tali perfectione, & gratiâ fuisse à Deo repletâ, quâ nulla maior in vlla creatura, aut in omnibus simul sumptis intelligi potest.

S. Dionysius

Hæc plenitudo gratiæ adeò diuinis oculis placuit, in Beata Virgine, vt solemni præsentatione vterum eius pro palatio sibi elegerit, in quo incarnatus conquiesceret. Oseæ 14. *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt libani; ibunt rami eius, & erunt quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* Quibus verbis Oseas vaticinatus est germinationem Israëliticæ terræ, id est, vteri virginalis, ex quo odoratissimum lilium, & flos campi, Christus Iesus pullulauit. Ita exponit Rupertus in citatum locum scribens: *Tunc germina-*

Oseæ 14.

Rupertus

germinauit Israël quasi lilium, quando in vterum Virginis descendit. Addit Lyranus eundem locum glossando: *Sicut enim ros inuisibiliter descendit, & fœcundat terram: sic Dei Filius inuisibiliter descendens fœcundauit virginem.* Idem asserit Dionysius Carthusianus, iuxta quorum sententiam, *per montem Libanum*, intelligitur Deipara, Auctore Idiota lib. Contemplat. de Virgine Maria: *Species* inquit, *& candor eius significatur per multiplicem speciem in Sacra Scriptura. Et species Libani, de qua dicitur, species eius vt Libani.* Et statim subdit: *Species Libani consistit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore, & significat ô gloriosissima Maria candorem tuæ fœcundæ virginitatis.* Et certè, quam aptè Beata Virgo monti Libani comparetur, facilè cognoscemus.

Lyranus.

Idiota.

Ornamenta montis Libani tria.

Tria potissimùm ornamenta eminebant in Libano; *primum*, quòd eius vertex abietum syluâ nemoribusq; cedrorum, velut quibusdam sertis coronaretur. *Alterum*, quòd sereno cælo, cælesti & nectareo rore perfunderetur. *Tertium*, quòd perpetuo niuis candore resplenderet. Hæc tria ornamenta, & insignia in Beata Virgine mirificè respendebant.

Adriconius

Describens Libanum montem Adriconius in Nephtalim num. 63. dicit: *Varijs Libanus aromaticarum, medicarumq; herbarum generibus, quarum optimè redolenti odore, virulenti serpentes, aliaq; venenosa animalia procul inde fugantur.* A Virgine pariter Deipara, criminosi serpentis virulentam auram, odor & plenitudo gratiæ, procul amandauit. De rore pariter Libani, ex problematibus Alexandri Aphrodisæi Dominicus Marius Niger sic loquitur: *In hoc monte ex cælesti rore coagulum quoddam dulcissimum fieri, quod sacchar accolæ vocitant, proximum salu glebulu, candidum, & fragile.* Quod indicabat præuenientis gratiæ stillicidia, & Deificæ voluptatis suauissimum nectar, quo Beata Virgo in primo vitæ exordio irrorata est. De niuibus insuper quibus semper albescit Libanus, testatur Abulen. lib. 1. Paralip. cap. 12. q. 11.

Marius Niger.

Abulensis,

vbi ita scribit: *Mons Libanus est magnus mons, & altissimus in tota terra chanaan, & ideò semper sunt niues in illo, & ista est causa, quare vocatur Libanus, quia in Hebræo Libanus, seu libani, interpretatur candidum, scilicet quia ille mons semper est candidus, propter candorem niuium ibi existentium. Ad radices autem Libani nascitur Iordanis, quia sunt ibi duo fontes, quorum vnus vocatur Ior, & alius Dan, & post aliquod terræ tractum in vnum confluunt, & efficiunt flumen Iordanis.* Quod diuino spiritu prophetauit Ieremias cap. 18. *Nunquid deficiet, de Petra agri nix Libani: aut auelli possunt erumpentes aquæ frigidæ, & defluentes.* Per quod indeficiens, & niueus candor plenitudinis gratiæ in Beata Virgine repræsentabatur.

Hæc est profectò causa, cur se Virgo Deipara cedro Libani comparet, Ecclesiastici 24. *Quasi Cedrus exaltata sum, in Libano.* Cuius multiplicem rationem reddit Hugo Cardinalis: *Cedro* inquit, *se comparat primò Virgo Maria, quia cedrus Libani materia fuit templi, & Beata Virgo corporis Christi, quod est secundùm templum. Item cedrus, sine vermibus est, quia imputribilis est, & Beata Virgo sine verme fomitis, vel conscientiæ fuit post conceptum Domini: imò ab instanti conceptionis suæ. Item cedrus semper viret; ita Beata Virgo semper viruit, per virginitatis viriditatem. Item cedrus odore suo fugat serpentes, & Beata Virgo dæmones. Item cedrus magnas & altas habet radices: & Beata Virgo similiter altas, & magnas radices habuit, ex quibus orta est, Abraham, Iesse Dauid. Cedrus seruat libros à tineis: & Beata Virgo Sacram Scripturam seruat, ne corrumpatur ab Hæreticis. Item cedrus odorifera est: & odor humilitatis Beatæ Virginis totam respersit Ecclesiam, imò vsq; ad cælum veniens, deduxit in terrenis Filium Dei. Item cedrus alta supra omnes arbores est; & Beata Virgo supra omnes mulieres. Item cedrus in Libano oritur, & crescit; ita Beata Virgo in tripli-*

Ecclesi. 24.

Hugo

ci candore virginitatis, duplicis innocentiæ, hoc est, quia tàm ab originali; quàm ab actuali crimine præseruata fuit. Maria igitur fuit Libanus, fuit pulcherrima cedrus, dum conciperetur, dum gigneretur, dum exoriretur, odore suauissimo procul fugans primum serpentem, qui fraudulenter accessit ad lignum scientiæ in paradiso, vt persuasionum cassiculis irretiret Adamum, & vitalis ligni esum eriperet. Verùm ad Libanum, ad cedrum Mariæ non appropinquauit, quæ suauissimo gratiæ odore fragrabat, gratissima virtutum spiramina redolens.

Hinc verba illa Salomonis, quæ de increata sapientia prolata sunt, Sapientiæ 7. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*; meritò Virgini Sanctissimæ accommodantur ab Alberto magno Angelici Doctoris Magistro, in omni literatura verè magno, in Mariæ encomijs maximo. Qui ad illa Lucæ 11. verba: *Beatus venter qui te portauit*, in hunc modum discurrit, in septimo titulo beatitudinis virginalis: *Quia est exemplum generationis æternæ, in æterna vnicus nascitur de vnico Patre, cum omni integritate substantiæ, in similitudinem Patris, & imaginem; in ista autem vnicus ex vnica Matre, cum substantiæ integritate, in similitu-*

Sapien. 7.

B. Albertus magnus. Sapient. 7.

dinem & imaginem Matris, sic enim dicitur Sapientiæ 7. *Candor quidem est lucu æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vbi citatus Auctor, Deiparam speculum, & imaginem Dei Patris vocat: quia sicut Filius est speculum Patris; ita quoq; est speculum Matris. Patris inquam est speculum, quia Pater in Filio intuetur expressam naturæ similitudinem, Matris verò quia hæc in Filio cernit suam imaginem: est enim genitus à Virgine in similitudinem, & imaginem Matris. *Præterea*, quia sicut in generatione æterna, Filius dicitur speculum sui genitoris: quoniam is in prole sua cernit diuinæ naturæ imaginem. Ita pariter Virgo Deipara est speculum Patris æterni, qui in ipsa generante Filium, cernit suam imaginem, & characterem in virginea carne expressam. Vnde si Filius, quia est speculum, in quo videtur imago Patris, debet esse immaculatus, & plenus gratiâ; ita quoq; Deipara, cùm sit speculum, in quo est Dei Patris imago, debuit esse immaculata, & plena gratiâ.

Creaturæ sunt speculũ Dei.

Neq; sanè moueat quempiam, quòd S. Thomas inuestigans, an diuini vates cernant in Dei speculo futuros euentus? concludat negatiuè, respondens Deum non posse existere speculum creaturarum: quia ex ipsis species & similitudines in Deo non resultant: potiusq; creaturas esse species Dei, quia ex ipso tanquam ex fonte resultant creaturarum imagines. Vnde quæst: 12. de Veritate ar. 6. ita loquitur. *Illud autem speculum potest dici, in quo rerum similitudines à rebus ipsis resultant; quia verò in Deo sunt species, vel rationes rerum non resultantes à creaturis, nusquàm inuenitur dictum à sctentijs, quòd Deus sit rerum speculum, sed magis, quòd ipsæ res creatæ sint speculum Dei.* Nam hoc de alijs creaturis verificatur, cæterùm ab hac regula Angelici Doctoris, excipitur vna singularis creatura, nimirum Augusta Dei Mater, quæ licet sit speculum Dei ex communi creaturæ ratione, cùm in ea refulgeat sapientia creatoris. Est nihilominùs Deus Mariæ speculum, quoniam à Maria species, & forma hominis in Dei Filium resultat: proinde cùm à Virgine proueniat Deo expressa humanæ naturæ imago, verùm est dicere, in Deo esse aliquam speciem, aut rationem ab hac creatura resultantem. Quocirca Verbum Dei, in quo accessio humanæ formæ facta est, est Matris speculum, in quo ipsa suam imaginem, & similitudinem intuetur. Est quoq; simul Deipara speculum Patris; quia in ipsa refulget non tantùm similitudo, & forma creata Dei; sed similitudo & imago Dei increata, propter quod Deipara speculum sine macula nuncupatur.

S. Thomas.

Deus est speculum Virginis Mariæ.

Ecce igitur habetis infantulam Virginem hodiè in templo diuino conspectui præsentatam, quam Pater æternus in Matrem Vnigenito Filio suo assumpsit, in cuius persona locutus est Isaias cap. 40. *Domum maiestatis meæ glorificabo.* Quam Filius futuram suam verissimam Genitricem agnouit, & filiali reuerentia vt Matrem dignissimam veneratus est. Quemadmodùm docet S. Bernardinus Senensis tomo 3. serm. 11. ar. 2. cap. 2. vbi Christum alloquitur: *O bone Iesu omnipotens æterne Deus: quid est, quòd mulierem adoras?* & respondet in persona eius: *Volo* inquit *illam meritò adorare, quia duo efficiunt eam adorandam. Primum est ratio Maternitatis: secundùm est meritum humilitatis.* Quam denique Spiritus Sanctus recognouit, vt scribit citatus Bernardinus c. 3 *Fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est corpus mundissimum Filij Dei.* Quoniam igitur hodiè Beata Virgo plenitudinem gratiæ obtinuit, propter quam vterus, & vbera eius Beata prædicantur; ideò cum omni deuotione hanc solemnitatem celebremus, vt de plenitudine eius recipiamus gratiam, & misericordiam Dei; siquidem quidquid in vniuerso mundo habetur diuini fauoris, per illam hominibus donari solet.

Isaiæ 40.

Bernardinus Senens.

EODEM DIE
CONCIO III.

Beatus venter qui te portauit.

Vterus Virginis, Beatus prædicatur ob excellentiam Filij Dei, qui vt Patris, ita & Matris naturalis Filius esse voluit.

NEmo dubitat parentum gloriam in generosos filios deriuari, & vicissim à filijs laudem sæpiùs refluere in parentes, teste Cassiodoro in Gnomologia. *Ferarum* inquit *Catuli sequuntur parentes: à cespite suo virgulta non discrepant: propago vitis propriæ seruit origini.* Vt ergo à radice trahitur succus, qui venustos in flores digestus, & saporatos conditur in fructus; ita homini à progenitorum propagine funditur, quo resplendeat ad gloriam, & niteat semper ad finem. Et quemadmodùm

Cassiodorus.

dùm vitis propago, de auratis vuis ditescens, originis commendat gratiam; hinc siquidem facilè constat, radicem nullo vitio turpatam, quæ ita gratam fructuum producere voluit copiam; ita planè filij, & parentum commendant mores, & intuentibus referunt vocali silentio laudes, quando constat nullatenus in radice vitiatum, quòd tanta lucet puritate transfusum. Verùm non minus à filijs etiam honorē refundi in parentes, pro solido stabit argumento Anchises ob pietatem filij, voraci flammæ subtractus, & Abraham in Isaac benedictus, ac nomine æterno donatus. *Rerum* causæ, inquit citatus Cassiodorus 9. var. 23. *Semper in semine sunt; fructus editus prodit Auctores, & quidquid à diuinitate meremur, de felici prole colligitur. Hinc est, quòd Patritium Venantium sub admiratione pensemus, & fœcunda prole gaudentem, & tot consularibus parem.* Et mox paulò inferius subiungit: *In hac autem domo non tantùm patrimonijs, sed & virtutibus aditur hæreditas: hoc est profectò, quod verè diuites facit, quandò nullum potest esse compendium; quàm laudibus successisse maiorum.* Videte, quomodò reciproca laude, & filij de Maiorum stemmatibus glorientur, & parentes vicissim de glorioſis filiorum gestis adscribantur. Nec certè solùm ob benè institutos filios accrescit parenti gloria; verùm etiam non semel ob futuros micat propaginis excellentia. Res Scripturæ Sacræ documento comprobetur. Audiens Ioseph Patriarcha patrem suum graui morbo correptum, iamque propè moribundum, obtulit ei duos filios, Ephraimum, & Ismaëlem, quibus benedictionem impertiretur, statuitque eos ad dexteram suam Ephraim, id est, ad sinistram Israël; Manassen verò in sinistra sua, ad dextram scilicet Patris, applicuit ambos ad eum: *qui extendens manum dextram, posuit super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus.* Gen. 48. Res stupenda: decussatis manibus ordo naturæ inuersus est, & Ephraim maiori fratri prælatus; cùm tamen stata naturæ lege Manasses præferendus videretur. Cùm igitur primogenitus esset Manasses, cur postpositus est, reclamante natiuitatis iure, & temporis lege? adeò vt Ioseph inopinatum demiratus casum, Patris refragaretur studio, & Ephraimum Manasse gestierit imperio subijcere, teste sacra pagina loco citato. *Videns autem Ioseph, quòd posuisset Pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit, & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse: Dixitq; ad Patrem: non ita conuenit Pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius.* Obstupescite, Ioseph legibus patrocinabatur naturæ, Ephraimiq; obnitebatur priuilegio: nihilominùs licet pater gestiuerit eum benedictione priuare; auus tamen prosecutus est illud impendere, respondens, non improuisum fuisse casum, sed arcanum mysterium: *Scio fili mi scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur; sed frater eius minor, maior erit illo, & semen illius crescet in gentes.* Vultis rationem: Iosue de Ephraim stirpe oriundus erat, ideoq; vt patrem seruitutis notâ etiam futurus eximere, ob futurum semen Ephraim, aduersante natura, & patre contradicente, seruitutis non intrauit iugum, sed glorioſum libertatis accepit priuilegium. Profundè resoluit Abulensis ad caput 17. Iosue; *Quanquam* ait, *Manasses esset primogenitus secundùm carnem, Ephraim prælatus fuit ei ibidem, & postea in omnibus.* Statimq; adiungit rationem: *Quia de tribu Ephraim fuit Iosue, qui fuit Princeps Israël.* Iosue ergo Domini honoratus titulo, hoc est, Iesu nomine insignitus, & populi imperio coronatus, licet nondum natus, sed futurus; patrem tamen iugum seruitutis intrare non est passus. Ephraim proinde quasi stadium erat, in quo Ioseph pater, & IESVS filius, de iugo atq; priuilegio concurrebant. Pater legem allegabat naturæ, vt Ephraim seruitutis notam subiret; filius autem glorioſis factis seruitutis infamiam auertere nitebatur; verùm in naturæ, & gratiæ certamine, ob Iesum præualuit gratia, & deuicta natura cessit. Quod si hoc in Iosue veri Iesu vmbrâ accidisse conspicimus, quis in Christo Domino idem completum esse inficiasibit, quod in Iosue præcessit figuratum? Intentauit Protoplastus humani generis Adam, Sacratissimam Virginem Mariam naturæ subijcere; verùm Dominus Iesus non solùm Hebraici populi, sed totius orbis, & cæli Princeps, gratiæ priuilegio studuit honorandam, Matris conceptioni prospiciens, vt naturæ honestate inuerteret legem, immortalemq; Matri afferret laudem, Patri æterno in hodierna Præsentatione benedicendam statuens, vt nitente Adamo, nunquàm seruitutis eius iugo fuerit subiecta, sed fauente Christo, singularissimo priuilegio donata extiterit. Ostendam igitur non aliunde Sanctissimæ Virginis vterum beatum

Abulensis.

Genes. 48.

Ephraim iunior cur præcatus sit Manasse Seniori in accipiēda benedictione.

prædicari, eamq; non aliunde Beatam dici, nisi ob excellentiam Filij, quia Magnum Altissimi Dei Filium genuit.

Vt præfixum scopum faciliùs attingam, Christum Virginis Filium, duplici de causa etiam Altissimi Filium vocari video. In primis, quia & quatenùs Deus de Deo, & quatenùs homo, est naturalis Filius Dei, iuxta vnanimem omnium Theologorũ consensum. Quod ingeniosè obseruat S. Thomas 3. p. q 16. ar. 12. asserens, hanc propositionem: *Christus in quantum homo est persona*, admittere duplicem sensum. Vnum, reduplicando supra naturam, & in hoc sensu falsa est propositio: alterum reduplicando supra suppositum; quod includit homo, & in hoc sensu vera est propositio. Cùm enim Christus vt homo, non solùm dicat naturam humanam, sed etiam hypostasim, quæ in Christo est filiatio æterna, quis non fatebitur, Christum vt hominem, includere filiationem Dei naturalem, & consequenter Christum vt hominem esse Filium Dei naturalem. Nec sanè quidquam valet; quòd Christus in quantum homo, non includat naturam diuinam; in quantum autem non includit naturam diuinam, non est similis in natura Deo; proinde Christus in quantum homo, non videtur esse naturalis Dei Filius: quoniam Filius naturalis est, qui oritur viuens à viuente in similitudinem naturæ. Non valet inquam, quia concretum ex humanitate, & personalitate Verbi, ratione generationis æternæ, potest dici genitum, & Filius Dei in fieri, seu fundamentaliter, quod sufficit. Quemadmodùm enim in humanis, *genitus* denominatur non à natura humana formaliter, sed à generatione, quâ genitus accipit naturam humanam; ita in diuinis denominatur non à natura diuina, sed à generatione æterna, quâ accipit genitus naturam diuinam; idem autem est *genitus*, quod Filius in fieri seu fundamentaliter. Et certè, quòd Christus vt homo, non sit Filius Dei adoptiuus, sed naturalis, definitum habetur in Concilio Francofort. ex Adriano primo, contra Felicem Elipandum Episcopum Toletanum. Fundamentum Concilij est hoc, quia filius adoptiuus dicitur is, qui alienus est ab adoptante, à quo gratis, & nõ ex debito, ius habet ad hereditatem; iam verò Christus vt homo, à Deo non gratis, sed ex debito habet ius ad gloriam: proinde est Filius Dei naturalis.

Christus est naturalis Dei Filius.

Christus vt homo potest dici persona.

Filius in fieri idẽ est, quod genitus.

Vnde obsecro magis beatificari potuit Virgo Sanctissima, quàm dum Filium Altissimi Dei naturalem, suum quoq; Filium naturalem concipere, & parere meruit, Angelo nuntiante: *Ecce concipies, & paries Filium*, dum his verbis fidem præbens annueret, ob quod beatam illam sancta prædicauit Elizabeth, dicens: *Beata quæ credidisti.* Ergonè tantùm erat credere, quod ei Angelus annuntiabat: tantùm certè, tam maximum fuit illud credere, quod ei Angelus annuntiabat, vt meritò S. Cyrillus Hierosolymitanus dixerit Cathechesi 12. hanc fidem Virgini Deum pro arrhis, pro gemmis, pro donis contulisse, quando cum ipsa spopondit, in sponsamque assumpsit. *Et quæ sunt desponsationes* inquit, *Virginis sanctæ Sponsæ, & desponsabo te mihi ipse in fide. Et Elizabeth loquens ad illam similiter dicit: beata es, quæ credidisti.* Optimè profectò: tantæ enim sublimitatis erat hoc ineffabile *credere* arcanum, vt meritò pro summis à Deo eius fides æstimata sit donis, quam Matri suæ conferens, ex ea sola beatam dici voluit. Nam si teste D. Paulo ad Roman. 4. v. 19. tantùm fides Abrahæ Deo placuit, quâ ei promittenti futurum Patrem multarum gentium, fideliter credidit, licet ipse centum esset annorum, & Sara ob proiectam ætatem quasi mortua. *Et non est infirmatus*, dicit Apostolus, *in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ, & ideò reputatũ est illi ad iustitiam.* Quantò magis ad iustitiam, & Sanctitatem Virginis, reputatum fuisse censemus actum illum, quo credidit se non futuram gentium Matrem multarum, sed quòd paritura esset hominem Deum, & Deum ex se carnem sumpturum? Deum inquam illum, cuius magnitudinem, omnipotentiam, infinitatem, maiestatemq; sic ipsa callebat, quantum nemo mortalium, imò nec omnes simul iuncti callere potuissent. Nihilominùs cùm ita Deum cognosceret, taliaq; de illo sciret, non est infirmata in fide, nec considerauit corpus suum virgineum, verùm supra se eleuata, & supra omnem captum humanum, fideliter Deo credens, æstimauit possibile, quod impossibile ratio humana crederet. Ob hoc ergo beata, quia plùs ipsa credidit, quàm Abraham; fortior fuit eius fides, quàm illius, quia Deo plùs credidit, & possibile æstimauit Deum hominẽ fieri; ob quod mysteriũ mirabile, in illa ineffabiliter operandum, sic illustrata, radijsq; vltra effatum vndequaq; diuinitùs cincta extitit, vt obumbrare

Luc. 1.

S. Cyrillus, Hieronym.

Ad Rom. 4.

brare eam necesse fuerit, ne tanto irradiata fulgore deficeret, ac periret. Vnde Angelus ad eam Lucæ 1. v. 13. *Virtus Altissimi obumbrauit tibi.* Expressiùs significans, Auctore S. Bernardo, modum secretissimum arcani incomprehensibilis, & ineffabilis Sacramenti, quo quasi in vmbra cum sola, & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura diuinum.

Luc. 1.

Si ergo benedictus est Pater æternus, in cuius sinu consubstantialis Filius ab æterno sine vlla inceptione residet, quis non beatum proclamabit vterum Virginis, in quo idem Filius carne humana amictus, nouem mensibus delicatè spatiari voluit, quò faciliùs ab intellectu humano concipi posset. O stupor, ô prodigium! Ecquis talem futuram Dei bonitatẽ crederet, vt quia nos eum capere, sicuti in se est, non poteramus, fieri vellet, quasi vnus ex nobis, ad nostramq; descenderet humilitatem, vt sic veluti eius repressis sublimitatibus, nube carnea inuolutis, ipso perfrui possemus. Quando ingne descenderat Dominus in monte Synai, populus eum ferre non valens, dixit ad Moysen: *Loquere tu nobis, & audiemus, & non loquatur ad nos Deus, ne fortè moriamur.* Exodi 20. v. 19. Imò & de ipsomet Moyse Dei amico, consortijque assiduo diuini, idem fatetur S. Paulus ad Hebr. 12. v. 21. quòd totus factus fuerit tremebundus: *Et ita* inquit, *terribile erat, quod videbatur. Moyses enim dixit; exterritus sum, & tremebundus.* Cùm ergo impossibile esset, vt homo Deum videret, & viueret, ideò ad nostram ipse commensuratus est humilitatem, vt videntes eum non moreremur, imò ad vitam consolidaremur. Quod pulchrè in illa plusquàm admirabili Danielis visione adumbratum reperimus, in qua non antea ipsum valentem ad eam sustinendam legimus, donec eum manus hominis tetigerit, ipsomet loquente Daniel 10. v. 15. *Et vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius cincti auro obriso, & corpus eius quasi Chrysolitus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum sunt, quasi species æris candentis, & vox sermonum eius, vt vox multitudinis.*

Exodi 20.

Ad Hebr. 21. v. 21.

Daniel. 10.

Perquirite in hac visione, & nihil aliud terribile inuenietis, præter ignem, ac fulgorem; & tamen ita eam sanctus Propheta extimuit, vt de se dicat: quòd non remansit in illo fortitudo, & quòd species immutata sit in illo, & emarcuit, nec habuit quidquam virium. Licet autem eius animum vir ille lineis vestitus erexerit, extendensq; manum, ipsum subleuauerit: *Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos, manuum mearum.* Tamen licet ita confortatus, iterum eum audiens: ad terram se allisit: *Cùmq; loqueretur mecum huiusmodi verbu, deieci vultum meum ad terram, & tacui.* Quod videns Deus, & impossibile prospiciens, vt Daniel splendorem illum, ac fulgorem sustineret, sua in eum commotus benignitate, immutata specie, & homo factus, vnde priùs timore eum prorsùs occiderat, inde postea amore totum confortauit. *Et tetigit me quasi visio hominis, & confortauit me, cumq; loqueretur mecum, conualui, & dixi: loquere Domine mi, quia confortasti me,* O mira Dei bonitas! ita se humanæ accommodat infirmitati, vt potius eligat fulgorem, splendoremq; suum immutare; quàm cum illa non loqui, non familiariter conuersari. Eruditè S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 12. *Experientiâ igitur nostræ infirmitatis ostensâ, recepit hoc Dominus, quod homo requirit, cùm enim in simili persona vult se alloqui homo, assumpsit illi simile Saluator, vt faciliùs erudirentur homines; sic non potuit recreari Daniel. donec vt inquit Scriptura, eum manus tetigit hominis.* O mira Dei bonitas! quis hoc crederet? quis vnquam tale quid de ea cogitaret? vt nostram infirmitatem apprehenderet, quia eum in propria excellentia, & maiestate tenere non valebamus: imò quòd ita ad nos apprehendendos auidus in se ipse manens existeret, vt sinu Patris degens, quasi inquietus maneret, totus ad nobis se infundendum propensus, & quietus euaderet, quando ad nostra descendens nobiscum couersabatur. Quod cùm mediante Virginis consensu factum sit, *Simul enim atq; Beata Virgo protulit: Ecce ancilla Domini, conceptionis carnis Domini, & animationem, & assumptionem, fuisse completam,* tradit Anastasius Papa, vt habetur in 2. tomo Conciliorum, vterum Virginis Sanctissimæ, in quo operâ Spiritus Sancti tantum, tamq; ineffabile mysterium factum est, idq; vnico momento, vt docet S. Thomas 3. p. q. 33. ar. 1. in corpore, meritò beatum debemus prædicare.

Ibidem.

S. Cyrillus Hierosol.

Anastasius Papa.

S. Thomas

Præterea, ex altero fundamento Christus Filius Virginis, vocatur etiam Filius Altissimi: quia sicut ex Virgine temporaliter; ita ex Deo Patre æternaliter natus est: atq; ob hoc beatus vterus Virginis, quòd ad generationem vnius eiusdemq; Filij, ex Patre geniti concurrerit. Quod mihi insinuare videtur Propheta Psal. 109. illis verbis: *Ex vtero ante Lucifer-*

Psal. 109.

rum

vum genuite. Quæ verba non solùm de æterna Christi generatione, sed etiam de temporali, multi Authores exponunt, ita vertentes: *Ex vtero auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ.* Alij legunt: *De Matrice auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ.* Vbi per auroram significatur Virgo Deipara, quæ hoc nomine in sacris literis frequenter intitulatur, vt Cantic. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora*, Per rorem verò adolescentiæ, significatur corpus Christi sacratissimum, quod opere Spiritus sancti efformatum est. Meritò proinde Virgineus vterus, nomine auroræ potest appellari, quia sicut sol è loco, vbi aurora rutilat, oritur; ita Christus iustitiæ sol de Virgine processit. Hanc prærogatiuam Virgini sanctissimæ, quòd cum Patre æterno ad generationem eiusdem Filij concurrerit, attribuit Salomon, Prouerb. 8. sic de ea loquens: *Cum eo eram cuncta componens.* Alij vertunt: *Eram propè eum quasi nutritia.* Quia Virgo nutria Filij Dei erat ab æterno figurata in generatione æterna. Audite Hildephonsum lib. de virginitate & parturitione Mariæ, ponderantem verba illa de Christi generatione Matth. 1. *Christi autem generatio sic erat: cumq; esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequàm conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto,* cur inquit, potiùs non diceret, *sic est, sic facta est?* occurrit: *quia generationis huius maternæ imago, & symbolum iam præcesserat ab æterno in generatione Patris; sicut agnus dicitur, qui occisus est ab origine mundi, quia à mundi exordio præmissæ fuerunt figuræ istius occisionis, vt in sacrificio Abel, & eius morte.*

Quod si nondum contenti estis, recurrite adhuc ad Psal. 144. vbi dicitur: *Generatio, & generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.* Scio optimè locum hunc intelligi de hominibus præsentibus, & futuris, vt laudent Deum in operibus eius, tàm naturæ; quàm gratiæ: quoniam sunt eis sufficiens materia laudis. Nouem enim sunt opera, ex quibus tota Dei laus trahitur. *In primis potentia*, quam Deus ostendit educendo Hebræos de Ægypto, & de captiuitate Babylonica, quam declarauit per miracula, doctrinam Euangelicam confirmantia, iuxta illud Marci vltimò: *Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & confirmante sequentibus signis sermonem eorum.* Vt sic omnis creatura timeat Deum sciens neminem esse, qui eius potentiæ resistere valeat. *Deinde Magnificentia*, quam Deus ostendit in datione legis sanctæ, vt eam omnes orando, & docendo loquantur. *Tertiò Sanctitas*: cùm enim Deus per essentiam suam sit Sanctissimus, ideò omni laude dignus: propter quod Dauid singulis diebus, & noctibus, diuinis laudibus incumbebat. Psal. 144. *Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.* Cuius statim rationem subiungit sequentibus verbis, *Quia magnus Dominus*, id est, non magnitudine molis, sed virtutis: *& laudabilis nimis*: id est, plùs, quàm possit à creatura laudari. *Quartò virtus*, quam Deus ostendit in punitione peccatorum, vt in diluuij inundatione, Sodomorum subuersione, in apertione terræ, deuoratione Core, & aliorum sibi adhærentium in rebellione, vt habetur numeror. 16. alijsq; punitionibus terribilibus, quas homines audientes terreantur, à peccatisq; retrahantur. *Quintò Mirabilia*, quæ virtute diuina apparuerunt, dùm in monte Sinai cum Moyse loqueretur. Exodi 19. Quanquam Euthymius per *mirabilia*, intelligit contemperatas temporum mutationes, florentes hortos, prata, nitidos ac potabiles fontes, flumina ac riuulos suauiter fluentes, terræ fœtus, arborum species, & alia quæcunque tàm in animantibus; quàm inanimatis admiratione digna, quæ nos ad laudem Dei inducunt. *Sextò terribilium magnitudo*, id est, fulgura, tonitrua, fulmina, pestis, fames, nix, & alia quæcunq; tam in animantibus; quam in inanimatis terribilia, quæ Deus ostendit in debellatione Og regis Basan, & Sehon regis Amorrhæorum. *Septimò memoria abundantiæ*, quâ pauit filios Israël in deserto manna, & potauit eos aquis eductis de saxo durissimo. Tùm quoq; memoria in beneficijs creationis, recreationis, gubernationis, & glorificationis. *Octauò Iustitia*, quâ Chananæos de terra promissionis eiecit, & filijs Israël habitandam dedit. *Nonò demùm misericordia*, in relaxandis peccatis, & expectanda hominum pœnitentia; tùm quia diffusio eius bonitatis ad omnem creaturam, non procedit ex aliqua obligatione, seu debito ex parte Dei; sed ex mera bonitate, & pietate ipsius.

Cæterùm, eundem locum ad literam posse exponi de vtraq; generatione, hoc est, tàm æterna, quàm temporali, non est dubium: quia verba Scripturæ Sacræ in proprio sensu accipi possunt, quoties inde nullum inconueniens resultat. Ergo nomen generationis potest accipi, tàm pro generatione æterna, quæ est vera generatio; quàm etiam pro generatione

Cantic. 6.
Prouerb. 8.
Ildephons.
Psal. 144.
Tota Dei laus maximè ex nouè operibus desumitur.
Per mirabilia quod in scriptura intelligatur.

tione temporali Christi. Proinde regius Vates loco citato loquitur de vtraq; simul generatione, vt inter vtramq; magnam similitudinem innuat. Atq; hanc ob causam, Virgo in Canticis appellatur soror æterni Patris. Cantic 4. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea*, vt innuatur, quòd in generatione diuinæ prolis, Virgo æterno Patri aliquomodò similis esse videatur. Et hæc est causa, quòd Sanctissima Virgo ex voto parentum trimula adducta fuerit in templum Domini, in domoq; fœminarum cùm alijs Virginibus diuino obsequio mancipata. Olim Virgines Regi Assuero offerendæ, in regiam fœminarum domum adducebantur, vbi integro anno se præparabant, ita vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur. Inter plurimas autem virgines adducta etiam fuit Esther virgo, quæ erat formosa valde, & incredibili pulchritudine: omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Postquàm igitur oleo myrrhino, pigmentis, & aromatibus vsa esset, cùm introduceretur ad Regem, dicit sacra pagina, Esther. 2. v. 12. *Adamauit eam Rex, plus quàm omnes mulieres, habuitq; gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius.* In hoc suo ornatu Esther Virginem Sanctissimam egregiè mihi figurasse videtur. Decreuerat enim Rex regum, & Dominus dominantium, vt in templo Hierosolymitano domus esset separata, in qua commorarentur Virgines, & viduæ, quæ eius obsequio se deuouebant, vt habetur Exodi 38. v. 8. 4. Reg. 11. v. 3. 2. Machab. 3. v. 19. Idq; crediderim potissimè à Deo decretum, vt hac occasione Virgo sibi electa in Matrem, in Templo sancto ab infantia permaneret; tum etiam, vt futuris in Ecclesia Christi virginibus, pudicitiæ, ac reclusionis præberet exemplum. Vtramq; hanc causam Regius Vates expressit his verbis. Psal. 44. v. 16. *Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi: afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.* Quotquot enim Virginem Augustam Deiparam Matrem præcesserunt, & quotquot secutæ sunt, omnes in eius honorem destinatæ, & in templum Dei adductæ sunt.

Illud forsan dubium mouet, cur hæc purissima Virgo, non vno anno in templo, sed vt refert Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. ex Euodio Episcopo Antiocheno, vndecim annis permanserit. Aut non mirum: quia Magno Regi supremæque omnium dignitati præparabatur; vngebatur autem continuò oleo myrrhino, quod ab omni corruptione, & fœtore, ac sudore præseruat: nimirùm oleo diuinæ gratiæ specialis, quæ non solùm à labe originalis culpæ eam præseruauit, sed toto vitæ tempore, etiam ab omni macula actuali, & ab omni imperfectione, vt nihil vnquam in ea defectuosum, nihil superfluum, aut imperfectum inueniretur. Vltra hoc miris etiam condecorabatur omnium virtutum pigmentis, & fragrantissimis Sanctorum actuum aromatibus, vt nihil eâ pulchrius, nihil fragrantius posset reperiri. Vnde sicut olim descenderat Gabriel Archangelus, Daniel. 9. v. 24. vt reuelaret Danieli, quòd post septuaginta annorum hebdomadas, vngendus erat Sanctorum Christus; ita completis illis hebdomadibus, vt vnctio perficeretur, descendit idem Gabriel ad hanc præcellentissimam Virginem, Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ ad Virginem.* Et quid illi reuelauit? certè non aduentum Messiæ longè futurum, sed iam esse in ianuis, iam impletum esse tempus, quo in eius vtero sacræ humanitatis petra, oleo diuinitatis iniuncta, fieret Christus Deus & homo. Et quia purissima Virgo omnium oculis erat gratiosa, atq; amabilis, ideò ab Angelo salutata est: *Aue gratiâ plena*, id est, verè gratiosa, & amabilis Deo, Angelis, & hominibus, totiusq; sanctitatis oleo plena. Vnde sola inter omnes virgines inuenit gratiam apud Deum, vt eam in Matrem suam assumeret. Quia nimirùm generatio eius temporalis, ex tantæ puritatis Virgine, æternæ generationi similis futura erat.

Vultis scire, in quo æterna Christi generatio temporali similis fuit? in primis in hoc: quòd idem Filius, qui est genitus à Patre, est etiam genitus à Virgine Matre. Proinde sicut Pater æternus, Christum allocutus est, *Filius meus es tu, in quo mihi benè complacui*; ita eidem Filio Virgo dicere potest: *Filius meus es tu, in quo mihi benè complacui.* Hanc conuenientiam inter generationem Christi æternam, & temporalem palam docet S. Anselmus lib. de Excellentia Virginis cap. 3. vbi loquitur de Christo: *Hunc igitur sibi tàm vnicum, quàm dilectissimum Filium suum, non est passus manere tantummodò suum; sed eundem voluit in rei veritate, esse Beatæ Mariæ vnicum, & naturalem Filium.* Comprobat mellifluus Bernardus: *Ipsa* inquit, *est Virginis naturæ gloria singularis, & excel-*

Deus cur in templo Hierosolymitano pro Virginibus, & Viduis domum separatam esse voluit.
Beata Virgo 11. annis in templo mansit.
Aeterna Christi generatio temporali similis.
S. Anselm.
S. Bernard.

& excellens prærogatiua, quòd Filium vnum, eundemq; cum Deo Patre meruit habere communem. Et profectò si Christus non solùm quatenùs Deus de Deo, est Filius naturalis Dei; sed etiam quatenùs homo, euidenter sequitur, eundem, qui est naturalis Filius Dei, naturalem quoq; Virginis Filium esse. Vt meritò proclamet Leo magnus in epistola ad Pulcheriam Augustam: *Nisi enim nouus homo factus in similitudinem carnis peccati nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur & Matri, sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.* Cuius rationem sugerit S. Athanasius lib. de Hum. Verbi: *Cùm videret* inquit *malitiam intolerabilem, neq; mortale genus idoneum esse, quod morti resisteret, neq; pœnam malorum suorum persolueret: nam excessus malitiæ transcendebat omne supplicium, vidensq; simul Patris benignitatem, & quàm ipse idoneus esset, & potens, commotus fuit sua humanitate, & misertus est nostræ imbecillitatis.* Patris ergo benignitas mouit Verbum ad se incarnandum, & humano generi succurrendum.

Leo magn.

S. Athanasius

Enimuerò quisquis es ô homo, dum audis Filium Dei hominem factum, noli ampliùs de diuina benignitate percontari, quæ talis est, ita magna, ita admirabilis, vt in admirationem ipsamet diuinam adducat Sapientiam, & in stuporem ipsum, quem omnia stupent. Ipse enim qui Sapientia Patris, qui coæternus illi est, qui omnia sciebat, antequàm essent, id considerans admiratus in illa prorupit verba. Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Nam particula ista *sic*, admirantis est. Quomodò autem admiratio cadere potuit in Christum, docet S. Thomas 3. p. q. 15. ar. 8. in corpore his verbis: *Respondeo, dicendum, quòd admiratio est propriè de aliquo nouo, & insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid nouum, & insolitum quantùm ad scientiam diuinam, quâ cognoscebat res in Verbo, neq; etiam quantùm ad scientiam humanam: quâ cognoscebat res per speciem inditas; potuit tamen aliquid esse sibi nouum, & insolitum secundùm scientiam experimentalem, secundùm quam sibi poterant quotidie aliqua noua occurrere.* Porrò S. Augustinus epist. 101. tres admirationis causas recenset. *Primam*, quando ratio latet rei: *alteram*, quando ipsa res singularis est, vel rara. *Tertiam*, quando res est inusitata. *Istæ sunt* inquit, *admirationis causæ, cùm vel ratio cuiusq; latet, vel quòd eadem res visitata non est; quòd aut singularis, vel rara est.* Prima igitur causa, nullo modo in Christum cadere potuit, optimè autem secunda, & tertia: quòd Christus experimentali sua scientia, de nouo & nouiter tale considerans donum, datumq; Patris, tàm singulare & vnicum, in admirationem à raritate adductus, reiq; singularitatem admiratus dixerit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ponderate singula, *Filium suum vnigenitum*: omnia enim hæc stupenda. Nam quid dedit? Filium, cuius? suum: Qualem? vnigenitum. O rem inauditam! ita vt meritò S. Hilarius exclamat: *Hic proprietas est, natiuitas est, veritas est, non falsitas est. Hic fides dilectionis, & charitatis est, mundi saluti, & filium, & suum, & vnigenitum præstitisse.* Profundè satis: *non falsitas est*, inquit Hilarius, quasi dicere vellet: ita mirum, & maximum est, quod dicitur, quod exprimitur, quod prædicatur, vt velut somnium, & figmentum videri possit; & tamen non est. Talia quippè pro nobis bonitas Patris fecit, vt carnalibus considerata oculis, figmenta appareât, næniæ, hyperbole, rationis entia, Deum Patrem omnipotentem, summum, immensæ maiestatis, dedisse Filium suum vnigenitum, omnipotentem, summum, immensum, hominemq; illum effecisse pro hominibus. Somnium equidem videtur, & somniantium verba, & non sunt: *quia proprietas est, natiuitas est, veritas est, non falsitas est.* Ideòq; hanc Dei summam bonitatem admiratus citatus Hilarius totus contremiscebat, totus stupebat, & penitus deficiebat.

S. Hilarius.

Nec mirùm, quis enim vnquam crederet, tantam summi illius in nos Patris extitisse bonitatem, vt Filio suo vnico, & dilecto, omnium nostrum imponeret iniquitates? vt sic nos liberaremur, & Filius eius moreretur. Magnum, stupendumq; videtur, quod olim Deus præceperat Abrahamo, nimirum vt filium suum sacrificaret. Sed quid hoc est? magis equidem mirandum esset, si alterum Deus mandasset Abrahamo, videlicet, vt arietem offerret, & vbi ad destinatum montem peruenisset, vt arietem dimitteret, & Filium sacrificaret, ad liberandumq; arietem filium occideret. Quid obsecro ad hoc mens humana diceret? quis creatus non obstupesceret intellectus? Et tamen hoc, quod etiam mens humana refugit considerare, hoc inquam non hyperbolicè, non figuratè; sed verè, & realiter Deus Pater effecit, quando vt peccatorem liberaret, magis respectu Dei; quàm arietem animal brutum ab homine distantem, ipsum dilectum Filium suum in sacrificium dedit, & holocaustum,

Ioan. 3.

S. Thomas.

S. Augustin.

Admirationis tres causæ.

caustum, omnium nostrum iniquitates ei imponens, vt dicit Propheta Isaiæ 43. v. 6. *Et posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, qui peccatum non fecit.* Super quem locum S. Hieronymus epistola ad Oceanum scribens ait: *Innocens, & immaculatus pro nobis sacrilegis, & peccatoribus, & æterno supplicio mancipatis, tanquàm atrocissimus reus, ab iniquis iudicio sistitur, flagellis cæditur, sputis irridetur, & ille pro salute nostra dorsum verberibus, sputaminibus faciem, maxillas palmis, non confunditur parare.* Vnde ipsemet Christus id admiratus, videns se à Patre pro hominibus ita tractari, Auctore citato S. Hieronymo in caput Isaiæ supra relatum, causam tantæ derelictionis à Patre expostulauit: *Christus* inquit *despectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictus, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri: Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Quasi diceret, rationemq; expeteret, vnde, aut cur dimisso animali, pura vilissimo peccatore, Filium sacrificaret.

Isaiæ 43.

S. Hieron.

Refert Ausonius in Idylio 238 amantes mulieres, & multa ob Amorem passas, quadam die Amorem licet nube inuolutum reperisse, eumque captum in myrrhæ arbore crucifigentes, singulas vulneraße, ijsdem pœnarū instrumentis, quibus ipsæ vulneratæ erant. Vnde quæ se gladio interemerat, gladio eum configebat; quæ lapidibus se obruerat, lapidibus vulnerabat; quæ se aquis præfocauerat, aquis immergebat; quæ se igne cremauerat: igne adurebat; quæ se funè suspenderat, in ligno eum suspendebat, tanquàm omnium culparum reum, cùm nullius in rei veritate criminis conscius esset. Hoc autem faciebant, inquit Ausonius, vt in ipsum culpas reijcientes proprias, ipsæ mundæ remanerent. Configebant ergo, & mulctabant, licet nullam haberet culpam. Verùm licet fabula hæc etiam vera esset; adhuc tamen illæ mulieres, excusabiles mihi viderentur, cùm teuera amore affectæ se vulnerauerint: proinde non mirum, si in ipsum culpam reijcientes suam, suis eum afficere pœnis ausæ sunt. At hoc summe mirandum, si non ipsæ mulieres, sed amoris Pater, & Mater in ipsum omnia illa tormenta, omnes illas culpas transtulissent, & ipsum crucifixissent amore illarum mulierum, vt sic ipsæ mulieres immunes euaderent. Qualis enim hæc Patris Amoris erga mulieres dilectio fuisset, nemo mihi credite sufficienter concipere valeret.

Amor à mulieribus crudeliter tractatus.

DEVS bone, Deus sancte; te nunc licet indignus alloquor: quod enim mens humana finxit, & quasi impossibile pensitauit, sed tantùm ad vanam mulierum indicandam excusationem, Amori suas insidias & culpas imponentium, cùm reuera eius non fuerint. Tu hanc fabulam, hoc impossibile, pro hominibus in veritate, realiter, & verè, sine vlla effecisti exaggeratione, quando tu ipse, & non alius Pater dilectissimi Filij tui, pro nobis omnibus, pro peccatoribus, posuisti in eo iniquitates omnium nostrum. Tu ipse extitisti, qui cùm Filius tuus esset expers peccati, fecisti ipsum pro nobis peccatum, vt nos ab ipsis immunes euaderemus, & quidem ita mundi, vt non solùm diceremur iustificati, sed ipsa iustitia. Vnde sicut Filium tuum fecisti peccatum, nos non solùm iustos per eum, sed iustitiam ipsam effecisse. Audite Apostolum primæ ad Corint. 5. v. 21. *Et eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Quod clariùs adhuc expressit Isaias c. 43. *Languores* inquit *nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra.* Equidem si Adam morte sua Christum affecisset, si primus fratricida Cain sanguine innocenter effuso eum oneraßet, si Manasses suos carceres, suaq; vincula in eum reiecisset, si Dauid persecutionem rebellis filij, si deniq; omnes alij peccatores, sua in ipsum coniecissent onera, non adeò mirandum esset. Sed cùm non peccatores, verùm ipse summus Pater, Filium suum nube carnis inuolutum, cruci affixerit, hoc magnum, hoc infinitè mirum, vt agnoscat homo, nullam diuini amoris mensurā inueniri.

1. ad Corint. 5.

Isaiæ 43.

Est præterea similis, temporalis generatio Christi ex Virgine, generationi æternæ ex Patre: quia sicut in generatione æterna producitur Verbum, quod per proprietatem relatiuam terminat naturam diuinam; ita in generatione humana productus fuerit Christus, cuius humanitas terminatur ab eadem proprietate Verbi relatiua. Nam quod ratio terminandi humanitatem, non fuerit perfectio absoluta naturæ, sed proprietas relatiua Verbi, docet Concilium Toletanum 6. Can 1. illis verbis: *Solus Filius susceptit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id est, in eo, quod proprium est Filij; non quod commune Trinitati.* Hoc ipsum efficax ratio suadet: quia per eandē rationem Verbū primariò terminat naturam humanā, per quam terminat diuinā.

Concilium Toletanū.

Sed diuinam primariò terminat per proprietatem relatiuam: ergo & humanam. Minor manifesta: nam per id terminatur natura diuina, per quod redditur illa incommunicabilis personaliter. Sed per proprietatē relatiuā redditur talis, cùm per id reddatur incommunicabilis personaliter, per quod redditur illa formaliter oppositа reliquis personis: quoniam omnis incommunicabilitas in diuinis est formaliter per oppositionem, iuxta commune Theologorum axioma: In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationum oppositio.

Est adhuc similis temporalis, Christi generatio ex Virgine, eiusdem generationi æternæ ex Patre: quia sicut in generatione æterna Verbum recepit fæcunditatem spirandi Spiritum sanctum; ita in generatione humana Christus vt homo, recepit virtutem spirandi Spiritum sanctum, seu communicandi illum hominibus, vt habetur Ioan. 20. *Et cùm hoc dixisset, insufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum sanctum.* Licet enim in generatione humana Christus, non recepit à Virgine Matre præcisè, vt pura creatura, virtutem conferendi Spiritum sanctum hominibus; accepit tamen mediante ipsa Matre, nimirum quatenùs illa consentiente, & substantiam corporis Christi subministrante, vnio hypostatica secuta est, quæ vnio est ratio, saltem quam communicata fuit virtus humanitati assumptæ, ad opera supernaturalia facienda, & consequenter ad insufflandum Spiritum sanctum. Hoc indicare voluit Gabriel Archangelus, in sua salutatione, prænuntians, in Virginem superuenturū fuisse Spiritum sanctum, & Altissimi virtutem ei obumbraturam: quia nimirum Filius, qui ex ea nasciturus erat, virtutem conferendi Spiritum sanctum recipere debebat, quam virtutem cum ipsa Virgo, vt pote pura creatura, dare non posset; ideò Spiritus Sanctus, ac virtus Altissimi interuenit, dum Christus in vtero virgineo conciperetur. Hanc autem virtutem communicandi Spiritum Sanctum Christus perfectissimè cæpit exercere erga Sanctissimam suam Matrem, statim atq; in eius vtero conceptus fuit.

Ioan. 20.

Ad extremùm temporalis Christi generatio, similis fuit æternæ; quia sicut Pater æternus genuit Filium, contemplando redemptione humani generis, à Christo per sanguinis effusionē, & mortem crucis adimplendam; ita Beata Virgo, dùm eundem Filium Dei secundùm humanam naturam genuit, contemplabatur idem opus redemptionis humanæ adimplendum pariter per sanguinis effusionem, ac mortem eiusdem Verbi humanitatis veste induti. Quod facilè colligitur ex eo: quia Beata Virgo salutata ab Angelo cogitabat, qualis esset illa salutatio, nimirum diligenter considerans, ac perpendens ea, quæ ab Angelo proferebantur. Inter cætera autem dixerat Angelus; *Vocabis nomen eius Iesum*, id est, Saluatorē; iam verò diuinitus illustrata Virgo, optimè sciuerat eum non aliter futurum Saluatorem, nisi per sanguinis effusionem, ac mortem crucis: proindè tunc humani generis redemptionem contemplabatur. Porrò Patrem æternum genuisse Filium, contemplando redemptionem generis humani à Christo per sanguinis effusionem, & mortem adimplendam, constat ex doctrina Theologorum asserentium, Verbum procedere ex notitia non solùm diuinæ essentiæ, personarum & creaturarum possibilium; sed etiam futurarum. Vt clarè docet S. Thomas 1. p. q 34. ar. 1. ad 3. aiens: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius scientiā continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Vbi verbum illud *intelligendo*, idem est, quòd intellectione, vt principio gignendi causaliter, & non concomitanter; alioquin non magis diceretur gignere intelligendo, quàm amando. Eadem est expressa sententia D Augustini 5. de Trinit. cap. 14. vbi dicit: *Nouit itaq; omnia Deus pater in seipso, nouit in Filio: sed in seipso tanquàm seipsum, in Filio tanquàm Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in ipso.* Insuper ratio fundamentalis hoc ipsum suadet, quia verbum procedit ex notitia diuinitatis, vt perfectissimè comprehensiua. Ergo procedit ex illa, vt complectitur etiam creaturas futuras: non enim potest esse cognitio diuina comprehensiua adæquatè, nisi se extendat ad cognoscendum, quidquid est determinatè futurum, vel non futurum determinatè. Nam quoduis illorum determinatè est aliquid Dei spectans ad eius voluntatem: quoniam futuritio, vel non futuritio determinata, est effectus diuinæ voluntatis ab æterno. Proinde, vt adæquatè comprehendatur Deus, necesse est, vt cognoscatur, quidquid est determinatè futurum, vel non futurum ab eius voluntate, alioquin non cognosceretur aliquid, quod spectaret ad voluntatē Dei, & sic non cognosceretur Deus, quantùm cognoscibilis est. Neq;

Verbum diuinū etiam ex notitia creaturarū futurarum procedit.

S. Thomas.

S. Augustin.

Pater æternus contēplando redemptionē generis humani genuit Filium.

Neq; obstat, si dixeris. Scientia futurarum creaturarum, vt talis est, potuit simpliciter non esse: ergo ex illa nō videtur procedere Verbum: quia cùm scientia sit principium quo, & formalis origo Verbi, debet habere eandem necessitatem; quam habet Verbum: alioquin aut posset esse Verbū sine suo adæquatō originis principio; aut tali scientia nō existente, nō existeret Verbum. Nam Verbum, sicut vt respicit obiectum necessarium, procedit necessariò ex scientia necessaria; ita quoq;, vt respicit liberè obiectum liberum, procedit liberè ex scientia libera. Vnde ex scientia futurorum, licet non possit procedere Verbum vt necessarium; optimè tamen procedit vt liberum. Vnde Verbum quoad entitatem, tàm absolutam, quâ conuenit cum Patre; quàm relatiuam, quâ distinguitur ab illo, & quoad respectum ad obiectum, necessarium, puta diuinam essentiam, non est vllo modo liberum, quia entitas Verbi nullo modo potuit non esse, neq; potuit non exprimere necessaria. Cæterùm quo ad respectum ad obiectum liberum, est liberum, cùm potuerit non respicere determinatè futura, ac proinde non esse Verbum illorum.

Ostendi igitur vterum Sanctissimæ Virginis, ob excellentiam Filij Dei: quem nouem mensibus incorporatum portauit, dici beatum: quoniam nihil magis creaturam rationalem beatificare potest; quàm præsentia Dei; præcipuè verò ita stricta vnio, qualis inter Christum & Virginem Sanctissimam intercessit, vt in ratione humanitatis assumptæ, vnum quid cum illa fieri voluerit, vt quemadmodùm Patris æterni, ita & eius naturalis Filius esset, similiq; modo temporaliter ex Virgine Matre; sicut æternaliter ex Patre nasceretur. Quocirca beatam prædicando, & adorando hanc Virginem, humiliter ab ea postulemus, vt nostras necessitates in hodierna præsentatione Filio suo præsentare dignetur, & ad succurrendum eiusdem materna commiseratione impellat.

DIE ANNVNTIATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Hic erit Magnus. *Lucæ 1.*

Christus ob diuinitatem, perfectiones naturæ assumptæ, exinanitionem sui, virtutem miraculorum patratiuam, capitis & summi Sacerdotij excellentiam vocatur Magnus.

Panlus cum mercurius & Barnabas Iupiter à Lystrensib⁹ dictus.

VEram animi magnitudinem, A mole corporea mensurabat olim antiquitas. Hinc Ethnici quondam Lystris Paulum & Barnabam admirantes, vocabant Barnabam Iouem; Paulum verò Mercurium. Actor. 14. Res stupenda: quoniam Iupiter Diuûm Pater, hominumq; Rex ab Ethnicis credebatur, cur non potiùs Paulum, qui erat ob eminentem doctrinam Apostolorum Princeps, sed Barnabam Iouem appellabant? Respondet S. Chrysosthomus homil. 30. quia Barnabas præstantioris, & elegantioris formæ erat. *Mihi quidem* ait, *videtur eam ob causam nimirum etiam ab aspectu venerabilis fuisse Barnabas.* Quasi gentiles homines censerent, formæ præstantiori, qualem Barnabas habebat, diuinitatem quoq; præstantiorem, quæ Ioui summo Deorum tribuebatur, deferendam esse. Nam D. Paulum pusillæ fuisse staturæ, testatur Nicephorus libro 2. cap. 37. Paulus inquit *paruo fuit corpore & contracto, & quasi incuruo, atq; paululum inflexo.* Imò & Corinthij hoc illi obijciebant, 2. ad Corint. 10. *Epistolæ inquiunt graues sunt, & fortes; præsentia autem corporis infirma.* Et nihilominùs ista exigua Pauli statura, præstantior Deo visa est; quàm aliorum gigantea, vt cognoscamus, apud Deum non corporis, sed animi proceritatem spectari. Quemadmodùm docet S. Chrysosthomus in Psal. 50. ita loquens: *Nam & roboreæ arbores cum densæ sint foliis, & altitudine excelsæ; attamen non habent fructum hominibus aptum, sed porcis afferunt cibum; vinea autem per terram repens, maturum vuarum affert fructum.* Et profectò quod vera animi magnitudo, non molis, sed virtutis magnitudine æstimari debeat, imprimis ex eo constat, quia in Scriptura Sacra soli iusti, dicuntur magni. Vnde de Isaac dicitur Genes. 26. *Ibat proficiens, atq; succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* Similiter

S. Paulus fuit staturæ paruæ.

2. Cor. 10.

S. Chrysost.

Genes. 26. Exodi 11.

militer de Moyse Exodi 11. *Fuitq; Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti.* Et de Iudith: *Et Iudith magna facta est in Betulia.* Iudith 16. Tandem de Ioanne Baptista Lucæ 1. *Erit magnus coram Domino* Hinc D. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Leuitic. dicit: *Ostende mihi de scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti, magnus appellatus sit? nusquàm opinor inuenies. Audi verò qui sunt, qui magni appellantur, Isaac. Moyses, Ioannes &c.* Qui autem virtute sunt infirmi, pusilli appellantur, Matthæi 17. & Marci 9. & Lucæ 17. vt testatur S. Cyrillus loco citato. *Peccatum* inquit, *hominem paruum facit, & exiguum: virtus eminentem præstat, & magnum: sicut enim ægritudo corporis exile, & exiguum facit corpus hominis; sanitas verò lætum reddit, & validum ita & animam ægritudo peccati humilem facit, & paruam; sanitas verò interioris hominis, & virtutis opera, magnum faciunt etiam, & eminentem, & quantò magis in virtutibus crescit, tantò proceriorem reddit magnitudinem sui.* Sic Samuel non corpulentiâ, sed innocentiâ magnus factus est. 1. Reg. 11. *Magnificatus est puer Samuel apud Dominum.* Ita exponit S. Gregorius locum hunc: *Notandum* inquit *est, quòd puer Samuel dicitur & magnificatus. Cur ergo puer, nisi quia humilis? & cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis erat celsitudinem sublimatus? Hinc Salomon ita crescere in potentia, & sapientia cupiebat, vt nihilominùs puer in humilitate, atq; innocentia perseueraret. Da mihi* inquit *sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis.* Sapien. 9. Quia nihil prodest magnum Sapientiæ incrementum, si humilitatis fundamentum destruatur. Tandem, quia nemo apud Deum dicitur magnus, nisi qui & iustitiâ, & sanctitate verè magnus est. Audite S. Ambrosium, illud de Ioanne Lucæ 1. *Magnus coram Domino*, ita exponentem: *Magnus non virtute corporis, sed animi magnitudine.* Statimq; subiungit: *Paruus in sæculo, magnus in spiritu.* Vbi statim duas magnitudines distinguit, vnam corporis, alteram animæ; illamq; apud homines, hanc apud Deum, numerari asserit. *Vt* inquit, *vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, & lubricum adolescentiæ, animi maturitate non sentiat; pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum.* Ergo qui apud Deum magnus est, probitate, & sanctitate magnus est: hypocritæ enim licet coram hominibus videantur magni; non tamen coram Deo: quia vera animi magnitudine destituuntur. Ingeniosè hoc tetigit D. Ambrosius, illud Galat. 4. *Cùm essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes,* exponens: *Et si* inquit, *paruulus, sub elementis est: quia rerum temporalium desiderijs succumbit.* Ergo magnus supra elementa mundi est: quia temporalium rerum gloriam contemnit. Considerabimus igitur quam ob causam Christus dicitur magnus.

In sacris literis soli iusti magni vocantur.

S. Cyrillus.

1. Reg. 11.

S. Gregor.

Sapien. 9.

S. Ambros.

Ad Galat. 4. S. Ambros.

Multis de causis Christus Dominus ab Angelo dicitur magnus. In primis ob naturam diuinam, & personam Verbi, ac perfectiones naturæ assumptæ. Quod totum ita exponit D. Bernardus homil. 3. supra missus est: *Propterea erit magnus, quia magnus Deus erat magnus homo erat futurus, magnus homo, magnus Doctor, magnus Propheta.* Vbi illis verbis: *Magnus Deus*, declaratur natura diuina, & subsistentia personalis; illis autem verbis, *Magnus homo*, innuitur vnio hypostatica, quæ nihil est aliud, nisi indiuisio duarum naturarum, videlicet diuinæ, & humanæ in eadem hypostasi Verbi. Quæ hypostasis intelligitur extendere se quodammodò ad naturam diuinam, tanquam ad vnum terminum; & ad naturam humanam, tanquam ad alterum terminum, ac vtriq; dare seipsam, & seipsa conferre eundem effectum, qui est, *Subsistere diuinè filialiter.* Nam Verbum diuinum non assumpsit hominem, sed naturam humanam, à qua denominatur homo, eò quòd natura humana subsistat in supposito diuino. Hinc in Concilio Ephesino primo, & in Concilio Constantinopolitano quinto, definitum est, vnam esse in Christo personam: quoniam Scriptura Sacra quoties loquitur de Christo, loquitur tanquam de vna persona, vt Matthæi 5. *Hic est Filius meus dilectus.* Et Matthæi 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Et Ioan. 8. Christus de seipso dicit: *Antequàm Abraham fieret, ego sum.* Vbi ista pronomina, *hic, tu, ego*, ex vi significationis, supponunt pro supposito, seu persona, eaque vna. Quod diuino fermè conceptu tetigit S. Ioannes cap. 1. de incarnatione Filij Dei loquens: *Et Verbum caro factum est.* Si enim alia persona esset *Verbum* in Christo, & alia persona *caro* seu *homo*, ita vt Verbum per specialem tantùm effectum esset homo, non posset verè dici, quòd *Verbum caro factum sit*, hoc est, quòd illa persona, quæ est *Verbum*, sit incarnata. Quemadmodùm non dicitur Spiritus sanctus fieri homo, licet aliquem hominem, v. g. Beatam Virginem speciali affectu amet, & per hunc affectum inhabitet in eo homine. Imò nec esset ratio, cur potiùs Verbum dicatur caro factum; quàm Pater, aut Spiritus S. Tandem, quia idem Christus, non potest verè dici Deus & homo, si in eo alia esset persona Deus, & alia homo.

Christus ob naturam & personã diuinam perfectionesq; naturæ assumptæ dicitur magnus.

In Christo vna solùm est persona.

Matt. 5. & 16.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Hinc

Hinc autem aliæ perfectiones humanæ naturæ assumptæ facilè indicantur, vti est visio beatifica, quam Christus habuit ab instanti conceptionis, quoniam ipsa visio connaturalis erat vnioni hypostaticæ. Similiter virtus patratiua miraculorum: quia enim Christus erat magnus homo, ob naturam vnitam Verbo personaliter; ideò debebatur ei connaturalis, & perfectus modus operandi actiones supernaturales. Porrò talis modus exigebat in Christo gratiam habitualem, & virtutes infusas, puta charitatem, & spem: (non quidem spem quoad beatitudinem animæ, quâ Christus fuit beatus ab instanti suæ conceptionis; sed quoad beatitudinem corporis, & nominis exaltationem.) Exigebat præterea obedientiam, religionem, & cæteras virtutes, quæ non supponunt aliquam imperfectionem status, vti est fides, quæ pugnat cum statu beatitudinis. Nam ex communi Theologorum sententia, in beatis fides earum rerum, quas viuentes crediderunt fide theologica, nec habitualis, nec actualis manet, propterea, quòd ijs rebus creditis successerit visio beatifica, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 13. *Cùm venerit id, quòd perfectum est.* (nimirum visio faciei ad faciem Dei) *euacuabitur id, quod ex parte est.* Et paulò inferius: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Et 2. ad Corint. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Comprobatq; id euidenter S. Augustinus lib. 14. de Trinitate, vbi dicit. *Neq; iam fides erit in cælo, quâ credantur, quæ non videntur; sed species, quâ videantur, quæ credebantur.* Exigebat inquam modus ille in Christo gratiam habitualem, & virtutes infusas: quia anima Christi ad alicienda opera supernaturalia, indigebat concursu supernaturali; hic autem non à persona Verbi emanabat, quoniam hæc non vnitur, vt immediatum principium operandi, sed vt ratio subsistendi; verùm ab aliquo principio supernaturali, quod non erat aliud, nisi virtutes infusæ, quæ connaturaliter supponunt gratiam habitualem; quemadmodùm potentiæ essentiam, in qua radicantur. Nam gratia habitualis est radix, ac essentia omnium habituum supernaturalium, & ideò debuit dari in Christo, & de facto data fuit cum virtutibus infusis, ad connaturalem modũ operandi actiones supernaturales.

Magnus præterea vocatur Christus ab Apostolo: quia se ad seruilé hominis formam demisit, cùm esset verus Deus, qui tunc magnus hominib° apparet, quãdo se naturæ assumptæ facilè indicantur, vti est visio beatifica, quam Christus habuit ab instanti conceptionis, quoniam ipsa visio connaturalis erat vnioni hypostaticæ. Similiter virtus patratiua miraculorum: quia enim Christus erat magnus homo, ob naturam vnitam Verbo personaliter; ideò debebatur ei connaturalis, & perfectus modus operandi actiones supernaturales. Porrò talis modus exigebat in Christo gratiam habitualem, & virtutes infusas, puta charitatem, & spem: (non quidem spem quoad beatitudinem animæ, quâ Christus fuit beatus ab instanti suæ conceptionis; sed quoad beatitudinem corporis, & nominis exaltationem.) Exigebat præterea obedientiam, religionem, & cæteras virtutes, quæ non supponunt aliquam imperfectionem status, vti est fides, quæ pugnat cum statu beatitudinis. Nam ex communi Theologorum sententia, in beatis fides earum rerum, quas viuentes crediderunt fide theologica, nec habitualis, nec actualis manet, propterea, quòd ijs rebus creditis successerit visio beatifica, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 13. *Cùm venerit id, quòd perfectum est.* (nimirum visio faciei ad faciem Dei) *euacuabitur id, quod ex parte est.* Et paulò inferius: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Et 2. ad Corint. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Comprobatq; id euidenter S. Augustinus lib. 14. de Trinitate, vbi dicit. *Neq; iam fides erit in cælo, quâ credantur, quæ non videntur; sed species, quâ videantur, quæ credebantur.* Exigebat inquam modus ille in Christo gratiam habitualem, & virtutes infusas: quia anima Christi ad alicienda opera supernaturalia, indigebat concursu supernaturali; hic autem non à persona Verbi emanabat, quoniam hæc non vnitur, vt immediatum principium operandi, sed vt ratio subsistendi; verùm ab aliquo principio supernaturali, quod non erat aliud, nisi virtutes infusæ, quæ connaturaliter supponunt gratiam habitualem; quemadmodùm potentiæ essentiam, in qua radicantur. Nam gratia habitualis est radix, ac essentia omnium habituum supernaturalium, & ideò debuit dari in Christo, & de facto data fuit cum virtutibus infusis, ad connaturalem modũ operandi actiones supernaturales.

Magnus præterea vocatur Christus ab Apostolo: quia se ad seruilé hominis formam demisit, cùm esset verus Deus, qui tunc magnus hominib° apparet, quãdo se

Christus ab instanti cõceptionis habuit visionem beatificam.

1. ad Corint. 13.

S. Augusti.

In Christo fuit gratia habitualis cum virtutibus infusis secluſa imperfectionẽ status.

Daniel. 2.

Nabuchodonosor ex interpretatione somnij à Daniele sibi facta verùm Deum agnouit.

Exodi 19.

De exmino ratione sui maior agno scitur.

S. Cyrillus Alexandr.

minorat. Sic olim Rex Nabuchodonosor Dei magnitudinem agnouit, Daniel. 2. *Loquens ergo Rex* ait *Danieli, verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria.* Expendite, vnde superbus Nabuchodonosor intulit Deum Israëlis, esse Deum deorum, ac regum Dominum? nimirum ex eo, quia Daniel potuit eius magnalia attingere, & somnium inscrutabile Regi indicare, ita eum alloquens: *Vidisti, quòd de monte abscisus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Deus magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea, & verùm est somnium, & fidelis interpretatio eius.* Hinc Nabuchodonosor intulit, Deum Israëlis esse magnum, esse deorum Deum, esse regum Dominum: quia somnium Regis Danieli reuelauit. *Verè* inquit, *Deus vester Deus deorum est, & regum Dominus, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.* Quid magis stupendum? imò quia Daniel homo cùm esset, Dei sui Sacramentum videre, & aperire potuit, certiùs Rex inferre poterat, quòd Deus non magnus, sed pusillus foret. Quoniam Deus vt possit capi ab homine, necesse habet sese quasi contrahere, & minorare, ac deijcere. Vnde ergo ita magnus Nabuchodonosori visus est, cùm ab homine captus esset? Equidem inde, quia Deus tunc humanis oculis grandior apparere solet, quando vt appareat, seipsum magis deijcit, & minorat. Sumite oraculum ex sacra pagina Exodi 19. *Cùm eduxisset Israëlitas Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radicem Montis, totus autem mons fumabat, eò quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratq; omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat, in maius & prolixius tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. Descenditq; Dominus supra montem Sinai in ipso montis vertice.* En in quanta magnitudine Deus videbatur, cùm seipsum minoraret. Magnus Deus videbatur populo, implens fumo, igne, & fulmine montem, magnamque sui tunc præbebat cognitionem; verùm ipse in se multum minorabatur, ita descendens, ita se aptans, & deijciens, vt posset etiam à paruulis capi.

Pulchrè hoc elucidat D. Cyrillus Alexandr. lib. 7. de adorat. ita loquens: *Descendit in montem ille super omnia Deus: deinde vocatus ascendit Moyses: nec enim contigit, vt ad sublimitatem veræ Dei contemplationu, possit se quisquam attollere, nisi seipsum demiserit Deus, & ita se accommodauerit, vt ad eum nostræ mentes possint accedere.* Demittat ergo sese Deus, & quasi

& quasi minoret ad captum humanum, A si granditer, & sublimiter velit apparere homini. Nunquàm enim homo grande quid, & sublime in Deo contemplatur, euidentius; quàm vbi Deus sese demittit, & quasi minorat, vt capiatur ab homine. Hinc cantatissimum illud Malachiæ vaticinium de Christi ortu: *Orietur vobis timentibus nomen meum.* Malachiæ 4. v. 2. Et quid Christus in suo ortu commune habuit cum sole? Equidem, quia pro nobis oriens sese exinaniuit, formam serui accipiens, sese paulò minùs ab Angelis minorauit, & paruulus natus est, sub vmbra vagientis infantis deitate celata. Habet hoc singularissimum sol, quòd cùm sit in maiori exaltatione, & sublimitate sua, tunc minor apparet in sphera hominum oculis; vbi verò se ab exaltatione deijcit, & curriculi sublimitatem fugit; quemadmodum brumali tempore contingit, tunc grandior eius vultus hominibus apparere solet. Ita Deus velut alter sol, dùm suam sublimitatem, & summam maiestatem retinebat, vix poterat à creato intellectu concipi, & quasi nihil esse putabatur; at verò vbi sese demisit, & membris humanis aptauit, tunc statim ab Angelo vocatus est magnus. Vt hinc agnoscamus, C inter mundialem & falsam, ac veram magnitudinem hoc discrimen esse: quia magnitudo mundialis, non nisi ex rapinis, ex violentia, ex fastu æstimatur. Ridebat Iezabel magnitudinem Achabi, dum abstineret à rapienda per vim vinea Naboth, sic eum alloquens: *Grandis authoritatis es, & benè regis Regnum Israël, surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam.* 3. Reg 21. quasi nihil grande, aut magnum in eo potuisset esse, qui violentiæ parcebat, & rapinæ: quoniam tota mundialis magnitudo est, quæ ex rapinis constat. Vnde dicebat Michæas de Achabo cap. 7. *Et magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbauerunt eum.* Magnum vocabat Achabum non tunc, cum parcebat rapinæ, sed cùm locutus esset cum vxore sua, præbuissetq; assensum, vt vinea Nabothi violenter raperetur: quia tunc mundialis magnitudo incipit apparere, cùm rapinæ incipiunt placere. Achab igitur tunc ex conspectu Iezabelis cœpit esse magnus, quando cœpit acquiescere, & consentire in eo, vt per vim Nabothi vinea auferretur. Hoc modo mihi credite mundiales magnitudines coalescunt, nimirum ex rapinis, ex violentia, ex fastu. At verò Christi magnitudo ex humilitate, ex propria sui exinanitione ortum traxit, ad Philipen. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Vbi loquitur sanctus Paulus de magnitudine iuxta æstimationem mundialem, quæ in Christo non fuit, & ideò exinanitum, & minoratum, nihilq; magnitudinis præferentem vocat. Verum sanctus Lucas cap. 1. ex ore Angeli de illo dicit: *Hic erit magnus:* quia loquitur de vera & absoluta magnitudine, quæ nunquam Filio Dei deesse potuit.

Ad Philipp. 2.

Malachiæ 4.

Magnus adhuc vocatur Christus, inquantum homo, quia per vnionem hypostaticam principaliter constitutus est caput Ecclesiæ: in tantùm enim Christus caput est, in quantum habet vim influendi per gratiam vnionis, & consequenter per eam constituitur in esse capitis. Hoc expresè docet S. Thomas 3. p. q. 7. ar. 1. vbi dicit, Christi humanitatem habere vim influendi, vt est instrumentum coniunctum diuinitati per gratiam personalem. Quod ar. 2, in corpore comprobat his verbis: *Humanitas* inquit *Christi, ex virtute diuinæ naturæ potest influere aliquid in Angelis, & hominibus.* Et ratio manifesta hoc ipsum suadet, quia per illud principaliter intelligitur Christus constitui caput Ecclesiæ, quo posito, & omni alio remoto, adhuc esset caput; huiusmodi autem est gratia vnionis: nam si Christus nullam aliam gratiam haberet, hac sola posita, haberet vim influendi in membra Ecclesiæ omnem gratiam, siquidem omnes eius actiones essent infinitè gratæ, vt pote infiniti suppositi, & sic essent infinitè meritoriæ. Nihilominùs, quia influxus capitis connaturalior est, si in capite adsint omnes illæ virtutes, quæ ad membra deriuantur, vt docet D. Augustinus epist. 57. *Vigere* inquit, *debent omnes sensus, vt ex eo influxus omnis ad membra deriuetur; ideò in Christo præter gratiam vnionis, ex vi cuius Christus vt homo, fuit absolutè & simpliciter sanctus, atq; gratus, fuerunt & aliæ virtutes infusæ.* Ita vnanimiter docent sancti Patres, qui explicantes verba illa Psalmo 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Et Isaiæ 61. ac Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me.* Et Daniel. 9. *Vngetur sanctus Sanctorum.* Et Actor. 4. *Vnxit eum Spiritu Sancto, & virtute.* dicunt hanc vnctionem, quâ Christus homo fuit vnctus, & à qua *Christus* appellatus est, esse ipsam diuinitatem, seu Verbum, per cuius

Omnes Christi actiones sunt infinitè meritoriæ.

Pſal. 44. Christi hominis vnctio est ipsa eius diuinitas.

Magnitudo mundialis ex rapinis, violentia & fastu constat.

§. Reg. 21.

ius præsentiam humanitas sanctificatur. A Hinc Nazianzenus Orat. 36. n. 7. ac 93. & orat. 42. humanitatem dicit delibutam, vnctam, deificatam ipsa vnione ad Verbum. Similiter D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 20. dicit Christum vocari vnctum, non sicut alios Reges, aut Sanctos, sed quia *Verbum caro factum est.* Et lib. de fide ad Theodosium prope finem dicit: *Cùm Verbum ante non esset Christus, in ipsa carnis assumptione dictus est Christus.* Magis adhuc dilucidè S. Damascenus Orat. 1. de Imaginibus antè medium, & lib. 3. de Fide. cap. 3. 4. & 17. *Ipse* ait *seipsum vnxit, diuinitas enim humanitatis vnctio.*

Nazianz. Cyrillus.

S. Damasc.

Neq; solùm præter gratiam vnionis, sed etiam præter gratiam habitualem, quam fuisse in anima Christi, testatus est Angelus Lucæ 1. illis Verbis: *Quod ex te nascetur, Sanctum.* Quem locum de Sanctitate omni ex parte perfectâ, proinde non solùm gratiam vnionis, sed etiam gratiam habitualem includente, intelligit D. Bernardus homil. 4. supra. *Missus est*, ita loquens: *Singulariter Sanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem*; fuerunt virtutes infusæ, quæ sunt virtutes simpliciter, & quæ nullam imperfectionem includunt, statui beatitudinis repugnantem. Et insuper septem dona Spiritus sancti, ac virtutes gratiæ gratis datæ, quæ 1. Corint. 12. nouem ab Apostolo recensentur. Nimirùm sermo Sapientiæ, sermo scientiæ, fides prout dicit habitum ad promptè & facilè proponenda, ac explicanda mysteria fidei, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, gratia linguarum, & interpretatio sermonum. Et profectò fuisse in Christo dona Spiritus Sancti, palam docet Scriptura Sacra, Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus Sapientiæ, & intellectus.* Quem locum omnes sancti Patres de Christo exponunt. Constat etiam hæc veritas ex ipsa natura donorum, quæ fidelibus conferunt hoc, vt facilè à diuino spiritu ad actiones quasdam heroicas mouearntur, quam habilitatem in Christo non admittere, temeritatem esset. Quoniam anima Christi perfectissimè à Spiritu sancto mouebatur, iuxta illud Lucæ 4. *Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Ioanne, & à Spiritu in desertum.* Similiter, quòd in illo fuerint gratiæ gratis datæ, constans est Theologorum sententia: cùm gratiæ gratis datæ ordinentur ad fidei, & doctrinæ spiritualis manifestationem, ideò necesse est, vt ille, qui docet, habeat ea, per quæ eius doctrina manifestetur: alioqui sua doctrina esset inutilis. Sed Christus doctrinæ spiritualis, & fidei, primus ac principalis doctor est, iuxta illud Hebr. 2. *Cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eu, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem.* Vnde S. Bernardus ex hoc potissimùm capite, Christum vocat magnum Doctorem, quòd Christus sit Doctor, & Euangelij prædicator. Ergo ad eum pertinebant omnes gratiæ gratis datæ, quæ sunt dona quædam fidelibus concessa; non vt ipsos meliùs disponant ad beatitudinem, sed vt per illa possint alios meliùs ad eam consequendam iuuare.

S. Bernard.

Ad Hebr. 2.

Gratiæ gratis datæ ad quid fidelibus conceduntur.

Quartò, Christus vt homo dicitur ab Angelo magnus, quia vnio hypostatica fuit ratio, ob quam humanitati virtus supernaturalis, seu potestas ad patranda miracula, & alia opera supernaturalia, data fuit. Et hoc sancti Patres volebant innuere, asserentes Christum hominem omnia opera supernaturalia potuisse facere, in quantum coniunctus erat Deo. vt definitum habetur in Concilio Ephesino sub Cælestino primo Canone 11. *Si quis* ait, *non confitetur, carnem Christi viuificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta viuificare valentis, anathema sit.* Vbi per *viuificationem*, intelligit Concilium potentem dare vitam spiritualem, de qua loquitur Christus Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Per carnem verò, intelligit non tantùm alteram partem hominis, sed totam etiam humanitatem, vt constat ex illo Ioan 1. *Verbum caro factum est*, vbi nomine *carnis*, tota humanitas intelligitur. Vnde in eodem Concilio Ephesino, in expositione Symboli Niceni additur: *Viuificatur igitur sunt, corpus sanctum, & sanguis Christi: sunt enim principia vitæ, secundùm naturam, id est, vnigeniti Filij Dei.* Et Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest.* quidquam. Quem locum S. Cyrillus lib. 4. cap. 23. & 24. ita exponit: *Caro & humanitas Christi, si sola essent, si tantùm humanitas esset, non prodesset ad vitam, non viuificaret iustificando; & quia Christus, & diuinitas est caro. ipsiq; coniuncta, prodest, & efficax est ad vitam.* Ergo illa coniunctio, quæ est vnio hypostatica, fuit ratio, ob quam humanitati Christi data est supernaturalis virtus, seu potestas ad miracula, aliaq; opera supernaturalia patranda.

Concilium Ephesinum.

Ioan. 6.

Ibidem.

S. Cyrillus.

Quod si forsan obijcere velis, vnionem

Gratiæ gratis datæ nouem sunt.

Lucæ 11.

Lucæ 4.

nem hypostaticam, non esse rationem efficiendi quidpiam, sed solùm coniungendi alienam naturam in vnitatem personæ: ergo non fuit ratio, ob quam humanitati Christi, virtus supernaturalis, seu potestas, data sit ad miracula, aliaq; opera supernaturalia præstanda. Facilè respondetur, vnionem hypostaticam, primariò quidem esse rationem coniungendi naturam cum esse personali, sub qua ratione non est principium agendi. Nihilominùs secundariò, quatenùs coniungit diuinæ naturæ, potest esse principium agendi, in quantùm communicat naturam, quæ est principium operandi.

Vnio hypostatica primariò est ratio coniungendi; secundariò autem principiū agendi.

Tandem Christus vt homo, dicitur ab Angelo magnus, quia per vnionem hypostaticam constitutus etiam est summus sacerdos secundùm humanitatem: nam ex dignitate, & excellentia diuini suppositi, emanauit dignitas, atq; excellentia sacerdotij ad humanitatem Christi: & suppositum diuinum omninò fuit necessarium, vt hic sacerdos esset potens ad offerendum sacrificium. Quod facilè deducitur ex D. Paulo ad Hebr. 5. Sic loquente: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vbi sanctus Paulus duo ostendit, *inprimis*, sacerdotem debere esse personam aliquam, ex hominibus assumptam, vt hoc publico, & communi officio inter Deum, & homines fungatur. *Alterum*, Sacerdotem dicere habitudinem ad sacrificia, tanquàm ad actum maximè proprium, & quasi adæquatum. Licet enim sacerdos alias etiam functiones sacras exerceat; omnes tamen quodammodò ad sacrificium referuntur. Vnde D. Augustinus epist. 49. quæst. 3. hæc tria ponit. *Templum, sacrificium, Sacerdos*, quasi seſe consequentia. Sed Christus habuit hoc vtrumq; : nam vnus ex hominibus assumptus est, seu electus, & constitutus à Deo, pro hominibus, in ijs, quæ sunt ad Deum. Id est, ad reconciliandum homines cum Deo, & sanctificandum illos, seipsum, & vitam suam pro illis offerendo, sanctam oblationem, & hostiam in odorem suauitatis. Vnde in nocte Cænæ seipsum obtulit Deo Patri, Eucharistiæ Sacramentum simul & instituens, & offerens, illudque tanquàm supremus Pontifex, & Sacerdos quotidiè in Ecclesia offert, Sacerdotum ministerio. Demùm in ara crucis seipsum obtulit in sacrificium pro humano genere, vt optimè deducit S Augustinus, ex illo Psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Et ex illo Psal. 46. *Impietatibus nostris tu propitiaberis.* Tu inquit *Sacerdos, tu victima, tu oblator, tu ablatio.*

Ad Hebr. 5.

Sacerdos dicit habitudinē ad sacrificia.

S. Augustin.

Psal. 98.

Quod si forsan inquiras, quomodò Christus sacrificauerit seipsum, tanquàm verus sacerdos, cùm neq; seipsum interfecerit, neq; sacrum aliquid circa se in ara crucis exercuerit. Respondetur, verè & propriè Christum sacrificasse seipsum in cruce; quemadmodùm de seipso fatetur Ioan. 17. *Pro eu ego sanctifico meipsum*, hoc est, in Sacrificium, & hostiam offero, vt S. Cyrillus, Chrysostomus, Rupertus, & D. Thomas exponunt. Non est enim necesse, ipsam hostiæ mactationem, & quidquid circa illam fit, propria physica actione à sacerdote fieri; verùm sufficit, quòd sub morali aliqua consideratione, à sacerdote assumatur, & in sacrificium offeratur. Vnde licet Christus seipsum non occiderit; quia tamen voluntariè mortem subijt, ideò eam in sacrificium Deo obtulit, quo & pro peccatis nostris satisfaceret, & internum affectum suum deuotionis, ac reuerentiæ erga Deum manifestaret, & sic vtebatur benè malitiâ occidētium ipsum, & quem illi iniustè interficiebant, ipse piè, ac religiosè immolabat.

Ioan. 17.

Christus in cruce seipsum verè sacrificiū.

Neq; hinc sequitur, omnes Martyres dici posse Sacerdotes, ac seipsos in sacrificium offerentes: quia mors aliter fuit voluntaria Martyribus, aliter Christo: nam Martyribus solùm per modum acceptationis; Christo autem etiam per modum oblationis. Quippè Martyres neque poterant tyrannos impedire, ne tormentis eos afficerent; neq; poterant in ipsis tormentis vitam suam tueri, ac conseruare. At verò Christus vtrumque habuit in voluntate sua, ac potestate: potuit enim Iudæorum vires infringere, vt vel ex eo constat, quòd omnes, qui ad eum capiendum venerant, ad vnicam illius vocem in terram ceciderint, vt habetur Ioan. 18. *Abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram.* Poterat quoq; facere, vt instrumentum Verbi, ne omnia passionis instrumenta corpus suum lædere possent. insuper poterat vitam suam retinere, & conseruare; & ideò peculiari modo dicitur posuisse animam suam, neminemq; eam sibi abstulisse. Ita fatetur ipsemet Ioan. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Propter istud ergo discrimen, oblatio mortis Christi habet rationem sacrificij; secus aliorum Martyrum. Tandem, quia alij Martyres

Cur Martyres non dicuntur seipsos in sacrificiū offerre.

Ioan. 18.

Ioan. 10.

[non

non sunt à Deo constituti, vt se Deo offerrent in satisfactionem pro omnibus; sicut Christus fuit constitutus; neq; sanguis eorum fuit pretium redemptionis; quemadmodùm fuit sanguis Christi. Vnde eleganter Leo Papa epistola 83. c. 4. *Dicant* inquit, *quo sanguine sunt redempti? dicant quo sacrificio reconciliati? quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis? aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quòd verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? quamuis enim multorum Sanctorum in conspectu Dei pretiosa mors fuit; nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi.*

Leo Papa.

Sicut ergo Christus ratione vnionis hypostaticæ habet hoc, quòd sit caput omnium, & consequenter quòd possit in omnes influere, modo omnibus accommodato: quòd possit non solùm homines, sed etiam Angelos docere, & illuminare; ita ratione eiusdem vnionis hypostaticæ habet hoc, quòd sit summus Sacerdos, & supremus Ecclesiæ pastor; & ideò nominatur ab Angelo magnus simpliciter, & absolutè, sine vlla limitatione, per quod indicatur aliqua infinitas Christi. Si enim loqui velimus de Christo vt Deo, non est dubium eius magnitudinem esse infinitam, cùm sit immensus, & incomprehensibilis. Si verò loqui velimus de Christo, vt homine, tunc vnio hypostatica, per quam natura humana assumpta Verbo vnitur, est ita magna, vt infinitatē quandam habeat ex bono infinito, quod est Deus. Quemadmodùm docet S. Thomas 1. p. q. 25. ar. 6. in Solut. ad 4. Et ratio est: quia vnio hypostatica participat ex omnibus propius esse Dei, cùm participet esse Dei in seipso personaliter, eò quòd sit essentialis via ad formalem, & substantialem communicationem personæ diuinæ, componentis vnum cum natura humana. Ita vt non sit possibilis alia perfectior, & interior participatio, cùm omnis alia sit externa, & accidentalis; ideò nulli creaturæ per quodcunq; donum eleuatæ, debetur adoratio latriæ, quæ conuenit humanitati Christi ob hypostaticam vnionem. Similiter visio beatifica, quam Christus habuit ab instanti conceptionis, habet aliquid infinitatis, quia fuit connaturalis vnioni hypostaticæ, quæ quodam modò est infinita, vt ostendi. Similiter gratia habitualis Christi, in dignificatione & existimatione morali fuit infinita, quoniam erat suppositi infiniti, & ordinata ad operationes illas, quæ erant infinitè dignæ. Tandem Sacerdotium Christi non potuit esse efficacius, & dignius ac excellentius, etiam de absoluta Dei potentia.

Adoratio latriæ debetur humanitati Christi.

Licet enim Christus nonnisi in humanitate, seu ratione humanitatis potuisset esse Sacerdos, & per illam munus illud exercuisse: quia Deus vt Deus, non habet superiorem, cui sacrificium offerat, aut apud quem intercedat; proinde vt Deus non potest esse Sacerdos, neq; per ipsam diuinam naturam, seu voluntatem potest orare, aut sacrificium offerre, sed ad hoc necessaria illi fuit natura humana. Consequenter necessaria fuit Incarnatio, vt Deus haberet naturam, per quam posset mereri, & satisfacere. Hoc palam docet D. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5. *Idem* inquit *Sacerdos, idem & hostia; Sacerdotum tamen, & sacrificium, humanæ conditionis officium est.* Statimq; subdit: *Nemo igitur vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis adscribat.* Idem docet S. Augustinus lib. 5. de consecrat. Euangelistarum cap. 3. *Secundùm hominem* inquit, *Christus & Rex, & Sacerdos effectus est, vt esset ad interpellandum pro nobis, mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* Comprobatq; Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. *Salue* inquit *Sacerdos, sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundùm rationem seruis.* Nihilominùs efficacia, & excellentia huius sacrificij, non potuit esse maior, quoniam manauit ex dignitate suppositi diuini: & ita non potuit aliquis Sacerdos constitui magis potens, & efficax; quàm fuerit Christus ad offerendum sacrificium, quod omni ex parte Deo satisfeciſſet.

Christus solùm vt homo fuit sacerdos.

S. Ambr.

S. August.

Fulgentius

En habetis, quantas prærogatiuas, quantas excellentias, Christus in vtero Virginis accepit, vt meritò dicatur magnus ob naturam diuinam, & personam Verbi, ac perfectiones naturæ humanæ assumptæ. Deinde, ob exinanitionem sui ipsius, quòd cum esset verus Deus, homo fieri non dedignaretur. Insuper, quòd sit caput Ecclesiæ, potens patrare miracula, & quæuis supernaturalia opera, atq; summus sacerdos per vnionem hypostaticam constitutus. Quoniam ergo Christus, plùs excellentiæ, perfectionis, & gloriæ habuit ab instanti suæ conceptionis; quam omnes simul cælestium spirituum hierarchiæ, cæteraq; creaturæ: ex hoc cognoscite, nobiliorem fuisse vterum Mariæ, quando Christum concepit; quàm ipsum empyreum cælum. Hoc docet D. Augustinus serm. 18 de Sanctis: *Quid dicam? si cælum te vocem, altior es.*

S. August.

es. Et quoniam in vtero Virginis, Deus naturæ assumptæ largitus est vnionem hypostaticam, quæ in genere doni est maximum, quod Deus de potentia absoluta creaturæ conferre potest. Quoniam ibi anima Christi visionis beatificæ possessionem accepit; ideò quæcunq; Dei dona, & ipsam beatificam visionem, nonnisi mediante Virgine, sperate vos accepturos, humiliter ei supplicando, vt apud magnum Filium, quem Angelo nuntiante de Spiritu sancto concepit, & peperit, magnam vobis gratiam dignetur impetrare.

DIE VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO PRIMA.

Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione.

Beata Virgo cum summa celeritate in montana perrexit, vt Christo nascituro sumptuosum apparatum, regnisq; terrenis magnum ornamentum præpararet.

POsset forsan nonnemo Augustæ Dei genitrici succensere, quòd cùm sua eminenti dignitate omnes creaturas transcenderet, & Deum ipsum corporatum in suo vtero purissimo gestaret, pauperrimæ instar ancillæ, sola nemine comitante, pergere in montana non erubuerit. Nam quemadmodùm vilissimæ sortis hominem, more Chameleontis viuere; ita personam insignem ad infima obsequia sese demittere, vituperio dignum censetur, nisi optimè moneret sapiens, eam veræ magnitudinis naturam, siue illustrium personarum ingenium esse, vt eo ipso, quò eminentiorem locum obtineant, demissiores se, ac modestiores reddant. Eccles. 3. Eccleiast. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Quod ipsum Romanus Orator, licet à vera fide alienus suadet, lib. 1. offic. dicens: *Rectè præcipere videntur, qui monent, vt quantò superiores sumus, eò nos submissiùs geramus.* Quid sublimius vnigenito Dei Filio? cuius tamen stupendum humilitatis exemplum, magno verborum pondere edisserit, sanctus Ioan. cap. 13. Ioan. 13. *Sciens* inquit, *quia omnia dedit ei Pater, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à Cœna, & ponit vestimenta sua, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Premite participium illud, *Sciens*, quod vt emphaticè ponitur ab Euangelista; ita eius vis haud obscurè explicatur. Affirmat ergo S. Ioannes, ea potissimùm de causa, tàm egregium humilitatis exemplum à Christo Domino fuisse exhibitum, quòd ipse tunc temporis mente peruolueret, omnia in manus suas, tàm cælestia; quam terrena Patrem tradidisse, seq; Dei Filium, & qui ad eius dexteram paulò post esset consessurus. Quasi diceret Euangelista, cùm supremam dignitatem suam Christus recogitaret, ac se Regem regum, & Dominum dominantium animaduerteret, vt ingenitæ magnitudinis specimen egregium daret, extremæ humilitatis opus voluit perficere, discipulorum pedes submissè lauando, quasi ea magnitudinis veræ lex sit, vt quo alijs superiorem se quis agnoscit, eò submissiùs cum illis agat; imò ad eorum pedes se etiam aduoluat. Vt præclarè discurrit Theophylactus, in citatum Scripturæ locum, breuiter hæc omnia perstringens: *Considera igitur, quòd humiliari opus est eius, qui à Deo egressus est, & ad Deum vadit; superbire & fastuosum esse opus est eius, qui à dæmonibus exiuit, & ad dæmones vadit.* Cùm natiuæ maiestatis, germanæque amplitudinis proprium sit, se demittere; fictitiæ verò dignitatis, & ex rapto acceptæ superbire, & sese modis omnibus iactare. In quam sententiam scitè protulit S. Zeno Veronensis Episcopus & Martyr in Psal. 130. *Nulli facilius efferuntur, quàm quos inopinati honoris culmen attollit.* Cùm tamen teste Cassiodoro lib. de Anima c. 18. Vera magnitudo sit, suam intelligere paruitatem. Ad quod pulchrè allusit Sapiens Eccles. 10. *Non est creata hominibus superbia, neq; ira nationi mulierum.* Ostendens nõ minus alienam a vili hominis conditione, qui exluto formatus est; superbiam esse; quàm iram & arma à fragili fœminarum natura. Ad generosam ergo & penè diuinam hominis conditionem, quæ in humanitate se maximè prodit; in elatione verò se maximè destruit, hæc refero. Non est creata superbia hominibus, quia hæc vnumquemq; etiam mentis excelsæ virum, à veræ gloriæ fastigio exturbat.

Theophil.

Superbia est hominis diabolũ sequentis signum.

Eccles. 10.

Non est creata ira nationi mulierum? A quia vitium hoc grande, eximiam earum pulchritudinem, regiamq; dignitatem, quæ in humilitate censetur, turbat, atq; proculcat. Spectabat hæc accuratè Virgo Deipara, ideoq; postquàm ab Angelo ex Dei nomine salutata esset, & ad supremum Genitricis Dei fastigium, quo maius aliquid humana mens cogitare non valet, euecta; non ignara legum veræ magnitudinis, licet iam amplissimæ dignitatis sibi oblatæ possessionem acceperat, vt pote Verbo incarnato grauida; vt tamen singulare aliquod specimen daret; quo tanto honori aptam, B natamq; se esse ostenderet, cum summa celeritate in montana perrexit, vt hac sua humilitate, Christo nascituro sumptuosum apparatum, & regnis, alijsq; terrenis regibus summum ornamentum præpararet. Quod in hodierna Concione deducere conabor.

Humilitas supra ōnia hominē exornat.

Sicubi Romanus Orator sui ingenij sublimitatem ostendit, certè in oratione pro sexto Roscio, dum assereret, *humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere.* Enimuerò sit homini prosapia illustris, sit splendor generis, sit honor eminens, sit dignitas maxima; nunquàm tamen C hæc omnia ita eum exornabunt; quemadmodùm vera humilitas. Hinc apud Isaiam cap. 53. vera virtus tum cum generoso arbusto, singulari cæli temperie, & benignitate in dies excrescente: tum etiam cum radice arboris inferius se magis ac magis demittente componitur. *Ascendit* inquit *sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Quoniam hæc duo mutuò se respiciunt: cùm ea germanæ amplitudinis natura, atq; lex sit, vt quantum possit, ad inferiora se demittat, seu vt tunc super astra referatur, cùm in terræ centro se nititur abscondere. Nouerat hoc perbellè magnus ille Doctor gentium D. Paulus, qui in Apostolatus apice D constitutus, & ad amicorum, siue filiorum Dei gradum euectus, ita demisse ac modestè de se sentiebat, vt illustria Apostoli, & amici nomina silentio premens, seruum potiùs Christi se compellare voluerit. Redemptorem nostrum imitatus, qui ministrare potiùs elegit; quàm ministrari.

Isaiæ 53.

Narratur in Scriptura Sacra testimonium illud, quod Ioannes Baptista perhibuit de Iesu, quòd nimirùm esset Messias seu Christus: hoc enim fuit publicum, iuridicum, & celeberrimum, vt pote à Pontificibus, & magistratibus iuri-

Ioann. 1.

Iudæi cur Ioannē requirebant de Christo quis esset.

dicè postulatum, & acceptum, per legatos ad Ioannem missos, Ioan. 1. *Hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es.* Putauerunt ergo Pontifices sui Officij esse, vt ab eo quærerent, quis esset? præsertim quia ex translato à Iuda ad Idumæum Herodem sceptro, & ex completis septuaginta hebdomadibus Danielis, sciebant iam imminere tempus aduentus Messiæ. Crediderim tamen verius cum Chrysosthomo, id eos interrogasse ex odio, & inuidia Iesu: vt enim Iesum ostenderent non esse Messiam, titulum Messiæ ad Ioannem transferre conabantur, interrogando, an ipse esset Christus? Quid verò ille? oblatam summam Messiæ dignitatem non sibi arrogauit, sed præclaro Christi Dei testimonio humillimè repudiauit, inquiens: *Non sum ego Christus.* Qua de re S. Augustinus, ita profundè philosophatur: *Quod enim est maius testimonium veritatis, quàm se humiliando eum agnoscere, cui æmulando poterant inuidere? putari Christus potuit, & noluit. Dixerunt homines cùm fallerentur in eo: Num fortè hic est Christus? Respondit ille, quòd nouerat, vt maneret, quod erat. Inde quippè Adam lapsus perdidit, quod erat; quia quod non erat vsurpauit. Recolebat hoc iste magnus, sed in paruo Christo minimus.* Statimq; subdit: *Nouerat hoc, reculebat hoc, & tenebat, quia recuperare, quòd perdiderat, cogitabat.* Bene equidem? istiusmodi repudio in censu hominum perdiderat Ioannes, dici Messiam, & tanquàm Christum haberi; id autem è diuerso quodammodo piè ambiebat *recuperare aliquo humilitatu fastu: quia recipere, quod perdiderat, cogitabat.* Magna certè perfectio D. Ioannis, qui cùm tanta humilitate excelleret, facilè summam Messiæ dignitatem æmulari potuit; & nihilominùs eiusmodi dignitatis fastigium sibi oblatum, vltrò repudiauit aiens: *Non sum ego Christus.* Profectò Ioannes non erat Christus, sed per humilitatem ita erat in Christo, (in paruo inquam Christo minimus) vt humilians se infra seipsum, & reputans in censu hominum æstimari Messiam, istiusmodi humillimo repudio, quodammodò recipere, quod perdiderat, cogitari posset, cùm nihil magis humilitate hominem exornare valeat.

S. Augustin.

S. Ioannes ex humilitate Christi titulum recusauit.

Contendebat & in Christo humilitas cum dignitate, de primatu atq; amplitudine. Dignitas incomprehensæ eius Deitatis proponebat, quòd Pater omnia in manus eius tradidisset, eumque iudicem viuorum, & mortuorum constituis-

Ioan. 5. fet: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*: Proinde suadebat dignitas, vt se Christus magnanimum in oculis hominum gessisset. E contra humilitas salutem generis humani per superbiam amissam obijciebat, suadens non nisi exinanitione, & summa demissione quærendam esse. Tullit ille sententiam pro parte humilitatis ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens.* hoc est, vt exponit Primasius: *Accepit formam serui, nihil sibi vendicans potestatis, cùm haberet omnium dominatum, quasi vnigeniti à Patre.* seu vt exponit Theodoretus: *Cùm esset Deus, & naturâ Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum existimauit, sed celata dignitate, summam accepit humilitatem, & humanam formam suscepit.* Cuius rationem Photius reddit: *Quia* inquit *maximè quòd Deus sit, ex hoc ostenditur, quòd sese demiserit, ac humanitatem gestauerit.* Palam ostendens, profundam humilitatem, summum Christi ornamentum fuisse, atq; certissimum eius diuinitatis indicium.

In Christo humilitas cum dignitate de primatu certans; præualuit. Primasius. Theodor. Photius.

Quod probè sciens Beata Virgo, festinanter abijt in montana, & tanquàm humillima ancillula domum Zachariæ intrauit, vt illâ suâ humilitate Regem regum, & Dominum dominantium, quem vtero gestabat, velut regia maiestate, & purpurâ adornaret, cùm magis sumptuosus Christi apparatus esse non potuerit; quàm Mariæ humilitas. Quod in hunc modum declaro. Arcano recentis stellæ ductu venerunt ab oriente Magi Hierosolymam, atq; in magna illa vrbe, superbis altè substructionibus, & regalibus palatijs inclyta, cælestem itineris ducem perdiderunt. Perrexerunt postmodùm ad modicam vrbeculam Bethlehem, & ecce redaccensa de cælo fax præibat, quæ stetit supra, vbi erat puer. *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Matthæi 2. Vbi communiter sancti Patres, & Expositores censent, *per domum*, hoc loco intelligi stabulum, in quo natus erat Christus. Cùm enim census ab Augusto toti populo indictus, per multos dies, & menses ageretur, per singulos dies affluente alia & alia diuitum censendorum turbâ, Beatæ Mariæ, & Christo, vt potè pauperibus, nullus erat locus in diuersorio, vsq; ad diem tertium decimum ab ortu suo. Quod Dei ordinatione euenit, tum ad probandam Magorum constantiam; tum vt magi, cæteriq; edocerentur, Christi regnum non in opibus, fastu palatij, pompisq; huius sæculi; sed in paupertate, humilitate, contemptu mundi situm esse. De quo pulchrè inibi Galfridus apud Tilmannum: *Intrantes*, inquit, *domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Quid dicimus, quid sic inuentus est, qui sic quæsitus est? Hæc vniuersa familia nati Regis, sed eadem virtute magis, quàm paucitate mirabilis, exigua numero, sed merito satis immensa. Vbi quò minus etiam secundùm hominem inuenerunt, quod aliqua dignum esset veneratione, eò certius liquet diuinum agnouisse mysterium, qui procidentes adorauerunt eum.* O grande Mariæ Deiparæ, & inde egenæ abiectæq; humilitatis Sacramentum! summus ipse Deus, sæculorum rex, recens corporatus, mundi regibus, atq; in illis toti mundo adorandus apparuit, & paupercula, atq; humanis oculis despicabilis Maria eius mater, tanti Regis hæc vniuersa familia fuit. Ipsa, ipsa inquam humilitate magna, humili egestate inclyta, numerosa cælitum officia, atque Angelorum obsequia, sumptuosius obibat, & gloriosiùs supplebat. *Hæc vniuersa familia nati Regis.* Adeò, vt vbi mundi Reges, sapientissimi Magi, tantùm de tanta humilitate apparatum aduerterunt, è diuerso stupentes, de humilitate venerationem combiberunt, *& procidentes adorauerunt eum.* Galfridus.

En quam sumptuosus Christi apparatus, ex profunda virginis humilitate! Principes terreni si eis palatia splendida desint, desit maiestatis splendor, desit nobilissimus aulicorum comitatus, vilescunt apud suos subditos; Christus verò in stabulo loco vilissimo, fœtido, & iumentis non hominibus debito, sola Virgine Matre adstante, à Regibus honoratur, vt regum Rex, adoratur vt verus Deus, idq; ideò, quia Virgine matre supra omnes creaturas dignificatâ; verùm supra omnes humili natus. Ergo nisi Virgo humilis præsens adesset, Christo hæc extrinseca Magorum adoratio defuisset. Atq; hæc est causa, quòd Beata Virgo per singularem, ac proprijssimam attributionem, tam in scripturis: quàm apud omnes Patres verum Dei templum, & habitatio peculiariter dicatur. Tum ideò, quod non sub noxio originalis infectionis climate, & sub infaustæ illius ac tristissimæ noctis tenebris, sed benigniori cælo, ac pulcherrimo solis aspectu, sub gratiæ inquam, atq; diuini fauoris cælesti climate fuerit concepta. Quoniam Dei templum & habitationem, omnimoda decebat sanctitas, puritas, & ab omni labe alienatio. Tum ideò, quia sicut templa

templa sunt præcipua Dei ornamenta, & incitantia populum ad eius cultum; ita Deipara est maximum hominibus incitamentum ad Christi adorationem. Quod pulchrè tetigit Dionysius Alexandr. in epist. contra Paulum Samosat. vbi illa Apostoli verba: *tabernaculum non manufactum*, Virgini accommodans ita dicit: *Non in seruo habitauit, sed in Sancto suo tabernaculo, non manu facto, quod est Deipara: illic enim in ipsa Rex gloriæ factus est Pontifex.* Quod clariùs adhuc elucidat S. Damascenus Orat. 1. de Natiuit. Virginis: *Virgo* inquit, *templum Dei sanctum, quod Princeps Pacis Salomon, id est, Christus construxit, & habitauit, non auro, & inanimis lapidibus ornatum; sed auri loco spiritu fulgens, & pro lapidibus pretiosis margaritam ingentu pretij Christum habens.* Vnde paulò post infert: *Cedat igitur Moysis, & Abrahami tabernaculum, vitâ & ratione prædito Dei tabernaculo.* Quomodò ergo Reges Christum infantem in vlnis Deiparæ, velut in templo spectantes, ex sola tantæ Virginis humilitate, pro DEO agnoscere, & vt Deum, adorare non debebant? Ingreditur pariter hodiè domum Zachariæ, velut templum magnificum, vt in domo sacerdotis vniuersum mundum, ad Christi adorationem excitet, pulcherrimo suæ profundæ humilitatis apparatu, quo sumptuosior haberi nequit.

Dionysius Alexandr. S. Damasc.

Sed videamus iam, quodnam ornamentum terrenis regibus ac regnis, in sua Visitatione afferat Sanctissima Virgo. Magnum equidem, & ineffabile, quia in eius vtero Christi cum Patre, nostræ salutis contractus initi sunt. Quod non operosè deducitur ex illis Christi verbis ad Philippen. 2. Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. Moxq; subijcit: *in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Scrutemini diligentiùs, quandonam ista oblatio corporis Iesu Christi facta est: & facilè cognoscetis, quia in die visitationis sanctissimæ Virginis, in domo Zachariæ Sacerdotis, quando Elizabeth Spiritu Sancto repleta, exclamauit voce magna: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Quasi diceret: ideò benedicta inter mulieres haberis, quia hodiè per fructum ventris tui, id est, per incarnatum Dei Verbum, salutis nostræ contractus cum Patre æterno initus, & roboratus est. Hoc sensu de Deipara Christum vtero gestante, & in domum Zachariæ veniente, atq; homines tunc è veteri seruitute non secus, ac antiqua illa Maria Moysis soror, quæ Israëliticum populum cum plausu atq; lætitia è captiuitate Ægyptiaca eduxit, liberante signatissimè protulit Chrysologus: serm. 146. *Maria* inquit *Mater vocatur, & quando non Maria Mater? congregationes inquit aquarum appellauit Maria. Nonne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit Vno vtero, vt emergeret cælestis in nouam creaturam tanta progenies.* Per quod ostendit in Deiparæ vtero, potissimùm in die visitationis initos esse ex parte Christi cum summo parente nostræ redemptionis cõtractus: ex quorum vi à dæmonis potestate, non secus ac populus è durissimo Pharaonis imperio liberaremur; cui sententiæ subscribit D. Ambrosius lib. 2. in Lucam. vbi velut ad solemnitatem, & confirmationem huius contractus, adscripta ea omnia, quæ in publicorum contractuum tabulis obseruabantur, ita recenset: *Nam si consules adscribuntur tabulis emptionis, quantò magu redemptionis omnium debuit tempus adscribi? Habes ergo omnia, quæ in contractibus esse consueuerunt, vocabulum summam illius potestatem gerentu, diem, locum, causam.* Vt contractus nostræ salutis, & redemptionis, cum æterno Patre iniretur, Christum Pontificem, & summum sacerdotem fieri oportebat, iuxta illud Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum.* Et paulò inferiùs: *Tues sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* At vbi obsecro, & in quo loco Christus in Pontificem consecratus est? certè in gloriosa Deiparæ visitatione, in domo sacerdotis Zachariæ, in purissimo Virginis vtero. Audite Dionysium Alexandrinũ in epistola contra Paulum Samosatenum, id euidenter asserentem his verbis: *Non in seruo inhabitauit, sed in sancto suo tabernaculo, non manufacto, quod est Deipara Maria: illic enim in ipsa Rex noster, Rex gloriæ factus est Pontifex, non secundùm legem carnalis mandati, sed secundùm virtutem vitæ indissolubilu.* In vtero igitur Sacratissimo Virginis, die Visitationis eius, Christum Iesum Pontificem fuisse consecratum, proclamat iste Author, vt scilicet à die Visitationis Deum iratum hominibus, reconciliare inciperet.

Hebr. 5. Christus die Visitationis in Pontificẽ consecratus est.

Ergone parum hinc Reges, & regna terrena habent ornamentum? dùm eis per Christum mediante Virgine iratus Deus reconciliatur. Accipite maius, quia à die suæ Visitationis Augusta Deipara Regum, ac regnorum patrocinium, & tutelam suscepit, attestante id Georgio Metropolita Nicomedienſi serm. 7. in sanctam Deiparam. *Vides* inquit, *vniuersam populi Christiani spem ex te pendentem. Fac ergo potentiâ*

Luc. 1. Beata Virgo à suæ Visitationis die Regum ac regnorũ patrocinia suscepit. Georgius Metropol. Nicom.

potentiâ tuâ, vt benè illi, ac prosperè cedat. Nullum aliud perfugium habet à malis occupantibus, excepto duntaxat inexpugnabilis illo tuo auxilio. Qui rerum summa potiuntur, suam tibi spem addixerunt: te opponunt, armorum vniuersorum loco: scutum te, ac loricam circumposita habent, coronamq; circumquaq; gestant: sui te imperij posuerunt vallum & tibi sceptra regni tradiderunt, & credidderunt. Egregiè sanè: est enim Deipara Regum, regnorumq; subsistentia, ne corruant; præsidium, ne hostiliter expugnentur; asylum, quò in periculis tutò confugiant.

Salomon Regum apex, generosam regnandi originem increatæ sapientiæ adscribēs, sic dicit Prou. 8. *Per me Reges regnāt, & legum conditores iusta decernunt.* In Hebræo explicatius legitur: *In me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Quæ verba Cyrillus Alexandrinus initio libri de recta fide ad Theodosium Imperatorem, de Christo intelligit. *Tam pij* inquit, *ac præclari viri imperij summum præsidium est Dominus noster Iesus Christus. Nam per illum Reges regnant, & potentes scribunt iustitiam, sicut scriptum est. Estq; illi potentissima voluntas, solusq; nutus boni omnis impletio. Distribuit autem promptè diligentibus se omnia, quæ laudabilia, & admirabilia, ac eximia.* Moxq; subdit: *Quod autem gloriosa in Deum pietas, regijs honoribus immobile sit fundamentum, etiam ex ipsa diuina scriptura docere attentabo.* Vbi sanctus hic Doctor, Deum enuntiat Regum, & regnorum præsidium, atq; fundamentum; cuius potentissima voluntas, solusq; nutus, boni omnis impletio est. Cærerum Leo Augustus, licet regum, regnorumq; præsidium, ad Christum spectare fateatur; non tamen sine pio Deiparæ interuentu, illud haberi posse edisserit Orat. 1. Virginem Deiparam in hunc modum alloquens: *At tu, Virgo & Mater, quæ hæc plurimùm distantia, vnita in te ostendisti: tu inquam, contra quidem spem nata, quæ altiori supra rationem partu prolem ediderit, ne Filium ac Deum placare desieris, pro hereditate, quam ei pater dedit, cui etiam pastores nos præfecit, vt ab omnibus rapacium bestiarum insidijs, illæsos custodiat, tum quotquot obscurum, tum quotquot apertum, ac quod oculis ipsis videtur, periculum afferunt.* Vt hinc ediscant Christiani Reges, ac Principes, se constitui ac præfici pastores hæreditatis Christi: sciantq; ab eo solùm, qui est regnorum Dominus, præsidium ac tutamentum, per Virginis eius Matris, ac mundi Reginæ preces, expetendum, atq; obtinendum esse regnorum tutamentum, & populorum illæsam custodiam a rapacissimè cruenta hostium feritate, atq; à clam intestinis domestiorum insidijs. Qui ergo per Mariam, & in Maria non regnat, cui Maria regni præsidium, ac fundamentum non est, ille regnum, cui præest, planè renuntiauit, abdicauit coronam, & sceptrum, abiecit: habet enim sine præsidio arcem, & culmen sine fundamento.

Audiant hic Principes, Reges, Imperatores Leonem Augustum, verè Principem, Regem, Imperatorem, audiant inquam, & cognoscant Virginem Deiparam esse regnorum fundatricem, atque conseruatricem. Auriti sint ad hæc, & æquè surdi ad aulicorum concionatorum fucatas plerumque orationes, ambitiosa adulatione colorantes errata, & facundo subtiliter ludibrio, simplices Principum mentes assentatoriè fascinantes. Qui sæpè Euangelica veritate postposita, quò suis lucellis ambitioni accommodis velificent, flosculos propinant theatrales, culpanda laudando; & laudanda impudenter vituperando, in funesta regnorum catastrophe, in luctuosa rei Christianæ tragædia. Contra quos vehementer insurgit Propheta Domini Isaiæ 5. *Væ qui ducitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Egregiè sanè: nihil magis perniciosum in Prædicatore Euangelico, quàm adulatio; & ob hoc maximè fugienda, vt præclarè docet S. Hilarius, super illa verba Psalmi decimi quarti: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, in hunc modum scribens: *Non oportet humilitatem carere constantiâ, & libertas Dei à nobis in eâ, quam omnibus debemus seruitute, retinenda est, ne ad potentiarum impetus terreamur, ne ad maleuolorum arbitria cedamus. Interdum enim etiam regibus inquâ poscentibus turpi adulatione famulamur, & vitijs alienis conscientiæ nostræ infirmitate blandimur.* Verùm eiusmodi Concionatorem Isaias, in persona sua, tanquam polluta labia habentem, grauiter reprehendit cap. 6. *Væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labijs ego sum.* Quid causæ, quòd Propheta sanctus pollutum labijs se dicat? Respondet Glossa Interlinear. *Quia Oziam, & alios non reprehendi liberè, ideò cum Angelis Deum laudare non merui, & timeo, ne dicatur mihi. Quare tu enarras iustitias meas?* En quantum malum Concionatori, malè agentibus blandiri, & delinquentes non corripere. Fateor multi laboris esse, suadere Principi, quod oporteat, quòd ratio, quòd æquitas, quod publi-

Prouerb. 8.

Cyrillus Alexand.

Leo Aug.

Isaiæ 5.

Pſal. 14.

S. Hilarius

Prædicator Euangelicꝰ nō arguens peccata sūmè reprehensibilis.

publicum bonum, quod sperata æterni- A tasq; esse debere, vt quidquid ipse voluerit, statim illæ perficiant, & voluntati eius plenè respondeant. Ita quidem, vt nullus creaturarum vsus, nullum officium, siue obsequium à Deo expetatur, ad quod non paratam, & expeditam, imò obuiam etiam, & occurrentem creaturam ille suam inueniat. Quod eleganter perstringit S. Chrysosthomus: *Accurata* inquit, *præparata, perfecta, absoluta sufficientia ad eius faciendas voluntates, quæ satis sunt ad eius testandam potentiam, quæ nec claudicant, nec manca sunt ad iussa eius peragenda.* Hoc debitum creationis tributum persoluit Deo in hodierna festiuitate Beata Virgo, tota in laudes Dei effusa humiliter occinens: *Magnificat anima mea Dominum.* Et cur potiùs non inuitat omnes gentes ad magnificandum Deum; quemadmodùm olim fecerat Rex & Propheta Dauid Psalmo 116. inclamans: *Laudate Dominum omnes gentes.* Quemadmodùm fecerat Maria soror Aaronis, quæ in medio iuuenularum tympanistriarum in Dei magnificationem erumpens, dicebat Exodi 15. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* Verùm in singulari dicit: *Magnificat anima mea Dominum.* Nodum soluit Origenes, super *Magnificat*, ita respondens: *Vnusquisque nostrum ad imaginem Dei formans animam suam, aut maiorem, aut minorem ponit imaginem: quando igitur ait, grandem fecero imaginem, & magnificauero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, ab anima nostra magnificatur.* Palam ostendens, animam eò magis magnificare Deum, quò magis sancta fuerit. Meritò igitur Beata Virgo ex Spiritus sancti impulsu singulariter dicit: *Magnificat anima mea Dominum*; non autem, magnificemus Dominum, quia anima Virginis Deiparæ adeò sancta est, vt in ea magis repræsentetur Dei gloria; quàm in omnibus alijs sanctis. Hæc est sententia Diui Bernardini, tomo 1. concl. 61. ar. 6. cap. 14. *Eleuata est* inquit, *magnificentia tua super cælos; magnificentia enim Dei dicta est Virgo Maria.* Clarius adhuc tom. 3. serm. 11. ar. 1. cap. 2. *Singularis* inquit, *magnificentia Dei fuit Beata Virgo, quia in eius exaltatione plùs magnificatur: & etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione, plùs magnificat Dominum; quàm omnis creatura alia simul sumpta.* Comprobatque Petrus Chrysologus Serm. 140. vbi sic loquitur: *Quantus sit Deus satis ignorat, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Benè equidem: sola Virgo iure meritò dicere potuit in singu-

publicum bonum, quod sperata æterni- A tasq; esse debere, vt quidquid ipse voluerit, statim illæ perficiant, & voluntati eius plenè respondeant. Ita quidem, vt nullus creaturarum vsus, nullum officium, siue obsequium à Deo expetatur, ad quod non paratam, & expeditam, imò obuiam etiam, & occurrentem creaturam ille suam inueniat. Quod eleganter perstringit S. Chrysosthomus: *Accurata* inquit, *præparata, perfecta, absoluta sufficientia ad eius faciendas voluntates, quæ satis sunt ad eius testandam potentiam, quæ nec claudicant, nec manca sunt ad iussa eius peragenda.* Hoc debitum creationis tributum persoluit Deo in hodierna festiuitate Beata Virgo, tota in laudes Dei effusa humiliter occinens: *Magnificat anima mea Dominum.* Et cur potiùs non inuitat omnes gentes ad magnificandum Deum; quemadmodùm olim fecerat Rex & Propheta Dauid Psalmo 116. inclamans: *Laudate Dominum omnes gentes.* Quemadmodùm fecerat Maria soror Aaronis, quæ in medio iuuenularum tympanistriarum in Dei magnificationem erumpens, dicebat Exodi 15. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* Verùm in singulari dicit: *Magnificat anima mea Dominum.* Nodum soluit Origenes, super *Magnificat*, ita respondens: *Vnusquisque nostrum ad imaginem Dei formans animam suam, aut maiorem, aut minorem ponit imaginem: quando igitur ait, grandem fecero imaginem, & magnificauero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, ab anima nostra magnificatur.* Palam ostendens, animam eò magis magnificare Deum, quò magis sancta fuerit. Meritò igitur Beata Virgo ex Spiritus sancti impulsu singulariter dicit: *Magnificat anima mea Dominum*; non autem, magnificemus Dominum, quia anima Virginis Deiparæ adeò sancta est, vt in ea magis repræsentetur Dei gloria; quàm in omnibus alijs sanctis. Hæc est sententia Diui Bernardini, tomo 1. concl. 61. ar. 6. cap. 14. *Eleuata est* inquit, *magnificentia tua super cælos; magnificentia enim Dei dicta est Virgo Maria.* Clarius adhuc tom. 3. serm. 11. ar. 1. cap. 2. *Singularis* inquit, *magnificentia Dei fuit Beata Virgo, quia in eius exaltatione plùs magnificatur: & etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione, plùs magnificat Dominum; quàm omnis creatura alia simul sumpta.* Comprobatque Petrus Chrysologus Serm. 140. vbi sic loquitur: *Quantus sit Deus satis ignorat, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Benè equidem: sola Virgo iure meritò dicere potuit in singu-

S. Augustin.

Psalmo 116

Exodi 15.

Origenes.

Anima quò magis sancta magis Deum magnificat.

S. Bernard.

Chrysolog.

singulari: *Magnificat anima mea Dominum*: quia anima illius adeò sancta erat, vt omnium creaturarum sanctitates, & perfectiones longè trangressa esse videatur. Vnde quia diuinæ sanctitatis radij ita copiosè reflectebantur in sanctissimam Virginem, tantus charitatis ardor in ea accensus fuit, dùm esset viatrix, vt quò magis Deum amaret, eò magis amare desideraret. Quemadmodùm enim ignis non habet terminum in agendo, iuxta illud: *Ignis nunquàm dicit sufficit.* Sed semper crescit in maius, dum inuenit auctam materiam, in qua accendi potest; ita amor perfectus erga Deum, non habet terminum in amando Deum, qui cùm sit infinitæ bonitatis, semper inuenitur in eo, quod amorem nouo modo accendat, alliciat, delectet, iuxta illud Ecclesiastici 24. *Qui edunt me, adhuc esurient.* Quæ verba ingeniosè elucidat Richardus de gradibus charitatis cap. 2. *Deum* inquit *amans anima non satiatur amore, quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit, vt nullus sit finis amoris. Vides igitur quemadmodùm insuperabilis est charitas omnia superans, ita insatiabilis, omnia vorans, & ex copia parit inopiam, dùm ex prægustatis deliciis, amplius in desideriis exardescit, quòd etsi dentur ad plenitudinem; nunquàm tamen ad satietatem. Qui edunt me inquit, adhuc esurient. O bone Deus, quem amare, edere est, quomodò amantes te sic reficis, vt magis esuriant, nisi quia tu es cibus, & esuriens, & qui non gustauit prorsus esurire nescit. Ad hoc ergo cibas, vt esurire facias.* In beata Virgine adeò fuit continuatus actualis amor, quo à primo conceptionis suæ momento Deum dilexit, vt nulla, ne per somnum quidem interruptio, in ea fieret. Si enim D. Augustinus libro quinto contra Iulianum, cap. 9. de hominibus in statu innocentiæ pronunciat. *Tam felicia erant dormientium somnia; quàm vita vigilantium. Quantò maiori ratione possumus de Beata Virgine dicere, eam tàm felicem fuisse dormiendo; quàm vigilando: quidquid enim perfectionis gratiæ in illo statu communicatum fuit, Virgini sanctissimæ denegatum non erat.* Hinc illud Cantic. 2. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosq; camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit.* Septuaginta legunt: *dilectionem*, ad indicandum, quòd Beata Virgo actu semper dilexerit Deum. Sic de illa fatur S. Hieronymus relatus à D. Bonauentura lib. 1. Pharm. cap. 5. *Totam* inquit *repleuerat Spiritus S. gratia; ita vt in ea nihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas profusi amoris.* Et S. Bernardinus to-

Eccles. 24.
Richardus.
S. Augustin.
Cantic. 2.
S. Hieron.
S. Bernard.

Amo 1. serm. 51. ar. 3. cap. 2. *Mens* inquit *Virginis in ardore dilectionis continuæ tenebatur.* Considerabimus igitur, propter quid Sanctissima Virgo, tàm singulari affectu Deum magnificet, exclamans: *Magnificat anima mea Dominum.*

Magnum satis motiuum Virgo Deipara habuit, ad magnificandum tanto affectu Deum, quia Verbum incarnatum in sua incorporatione vltimam de illa sumpsit consummationem. Audite Emissenum de Natiuit. Domini hom. 1. hac de re ita loquentem: *De carne Mariæ coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consummatus processit.* Ponderate vltima hæc verba, in quibus Christus Deus, & naturalis Dei Filius, dicitur de Mariæ substantia consummatus prodijsse. An certè Dei Filius è Patris pectore non perfectus, & consummatus prodijt? Vtiq; Pater totum se Filio communicauit? Nam de Dei Patris summa perfectione scribens Zeno Veronensis ita disserit. *Solus* inquit *est, ante omnia, & post omnia, quoniam in eius manu inclusa sunt omnia, ex se est, quod est. Solus sui conscius, quantùs & qualis est. Solus perfectus, quia non potest illi aliquid nec addi, nec minui. Solus omnipotens, quia ex nihilo vniuersa constituit, virtute regit, maiestate custodit. Solus immutabilis, ac semper æqualis: quia in se non admittit ætatem. Solus sempiternus: quia immortalis est Dominus.* Postquàm autem ita altè, & doctè de Patris Dei augustissima perfectione disseruit, mox suum discursum sic concludit: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium, ne quid sibimet derogaret.* Nam si aliquid, perfectionis Filio deesset, quæ reperitur in Patre, aliquid sibi Pater derogaret: esset enim Pater non adæquatè perfecti Filij, & sic Filij defectus reciprocaretur in Patrem, quoniam perfectionem, quâ Filius careret, Pater non haberet: ergo omnem suam perfectionem Filio communicauit Pater. Fateor ita esse: perfectus Filius à Patre natus est, sed perfectione Deitatis, & diuinæ personalitatis elogio. Verùm, cùm Deus homo in Mariæ visceribus coagulatus esset, tunc de almo eius vtero consummatus processit, quoniam ex Incarnationis mysterio in ipsa peracto, Sanctissimæ Trinitatis opera, & mysterium, maximè mundo innotuerunt. Propter quod ab Hesichio Præsbytero Hierosolymitano, Virgo Deipara vniuersum Trinitatis complementũ appellatur, quatenùs Deus extrinsecùs quodammodò perfici, & compleri dicitur, dùm suam perfectionem

Emissenus.
Zeno Veronens.
Beata Virgo est vniuersum Trinitatis cõplemẽtum.

S. Chrysost. Cyrillus. Augustinus

Cyrilli & Augustini lib. 11. contra Faustum à principio, estq; consentanea verbis eiusdem D. Pauli, qui loco citato paulò inferiùs subiungit: *Vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro illis mortuus est, & resurrexit.*

1. ad Corint. 15.

Non valet præterea, quòd S. Paulus 1. ad Corint. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Vbi Hæretici volunt Christum dici cælestem hominem, propter cæleste corpus. Verùm temerè, & sine fundamento: Christus enim à D. Paulo dicitur cælestis homo, in primis ex eo, quia cælestem vitam vixit, seu quia impeccabilis fuit. Adam autem dicitur terrenus, vt potè subditus peccato. Et ideò statim D. Paulus subiungit: *Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cælestis, tales & cælestes.* Deinde Christus à D. Paulo dicitur homo cælestis propter gloriam, quam à principio habuit: licet enim in corpore illam non habuerit vsque ad resurrectionem; tamen illi debita & connaturalis erat. Primus autem homo dicitur terrenus propter mortalitatem ex peccato contractã, vt exponunt S. Chrysosthomus homil. 42. in epistolam primam ad Corint. & D. Augustinus lib. 13. de Ciuitate Dei. Præterea Christus à D. Paulo dicitur homo cælestis, ratione diuini & cælestis suppositi, qua ratione etiam solet dici homo, qui de cælo descendit, Ioan. 3. & 6. Tandem dicitur Christus homo cælestis, propter ineffabilem modum conceptionis supra totum naturæ ordinem, cælesti quadam virtute effectæ, vt censet S. Ambrosius 1. ad Corint. 15. Quod si dixeris, hac ratione etiam ipsum Adamum dicendum esse hominem cælestem, quia ab ipso DEO immediatè creatus fuit. Respondeo, id non sequi: tum quia Adam productus fuit eo naturali modo, quo species humana in primo suo indiuiduo produci poterat; Christus autem modo omnino supernaturali fuit genitus. Tum, quia in Christi conceptione non solùm consideratur corporis formatio, sed multò magis assumptio, & inde vocatur cælestis. vt docet S. Augustinus dialogo 65. *Cælestem* inquit *dico, quia non ex humano conceptus est semine, sed ex Maria Virgine pro nostra salute assumptus à Filio Dei.*

Christ⁹ cur homo cælestis dicitur.
S. Ambros.
S. August.

Quia ergò & Sanctissimæ Trinitatis mysterium, & Christi Domini incarnatio, ex Virgine Deipara mundo innotescere debuit, idcircò meritò tota in laudes Dei erumpit: *Magnificat anima mea Dominum.* Atque hæc est causa, cur Deus in principio statim mundi, ineffabile Trinitatis mysterium, Verbi æterni incarnationem, & Virginem Matrem reuelare voluerit primo homini, atq; Angelis. Postquam enim Deus de limo terræ plasmauit hominem, statim graui somno eum corripuit: *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea,* S. Augustinus libro nouo de Genesi ad literam cap. 19. legit: *Immisit Deus extasim in Adam.* Ad quid? vt scilicet lumen propheticum acciperet, respondente eodem sancto Doctore. *Illa* inquit *extasis, quam Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per exstasim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, vt intrans in sanctuarium Dei, intelligeret nouissima.* Sanctus autem Chrysostomus homil. 15. in caput secundum Genesis. Et S. Epiphanius lib. 1. contra Hæreses in principio, dicit, vt Deum vnum in essentia, trinum in personis agnosceret. *Adam* inquit *Protoplastus formatus est, non autem erat idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum Sanctum, Prophetæ enim erat.* Adam igitur ante peccatum, mysterium Trinitatis per reuelationem diuinam intellexit, Triadosq; consilium ad formationem humani figmenti præcessisse; & ideò statim subiungit: *Prophetæ erat Adam: & nouit quòd Pater dixit Filio: Faciamus hominem.*

Genes. 2.
Adam creatus cur statim somno correptus obdormiuit.
S. Epiphan.

Verùm neq; post præuaricationem, & humani generis ruinam, Adamo diuina pietas defuit: iterum condecoratus est prophetico lumine, vt præcognosceret in Spiritu Deiparam, eiusq; Filium, vnicum hominis assertorem, qui humanitate assumpta, per passionem & mortem, hominem vinculis constrictum solueret, mortuum reuocaret ad vitam, & pro omnium sceleribus Deo Patri plenissimè satisfaceret. Hoc palam ostendit magnifica illa Dei promissio, diuinis literis consignata, Genes. 3. vbi Deus alloquens serpentem peccati auctorem, & omnis doli artificem, dicit: *Inimicitias ponam inter te, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* De quo Domini promisso Rupertus Abbas lib. 3. in caput 19. Genes. ita discurrit: *Certissimè igitur hic semen illius mulieris promittitur, quod est Christus, per quod sexus idem, qui deceptus est, decepturus caput omne contriuit, quando ad destructionem peccati, Beata Virgo nouum hunc sine peccato, & cælestem hominem mundo edidit.* Hanc autem promissionem fecit Deus primis parentibus per supernam reuelationem, & illustrationem prophe-

Adam post lapsum cognouit Christi aduentũ in redemptioné generis humani
Genes. 3.
Rupertus.

ticam, eorum mentibus immissam, vt illos afflictos hac dulcis expectationis consolatione permulceret, & nimio mærore contabescentes erigeret, eorumq; leuaret ærumnas. Quod ingeniosè S. Vincentius Ferrer, serm. de conceptione Virginis Mariæ, his verbis edisserit; *Dum autem Adam & Eua essent in illa tristitia: Deus reuelauit eis, quòd ab eis procederet vna Virgo sanctissima, quæ afferret maius bonum, quàm ipsi perdidissent. Quia Eua abstulit nobis paradisum cælestem. Illa Eua attulit mortem corporis. Virgo Maria nobis donauit vitam animarum. Illa fecit perdere deuotionem, ista fecit inuenire Dei fruitionem.* Vt ergo Adam in illa extrema infelicitate, & summis ærumnis, leuamen aliquod haberet, ex diuina reuelatione Deiparam in spiritu, & eius Filium, futurum totius generis humani redemptorem cognouit.

S. Vincent.

Quid loquar de Angelis sanctis, nonne & his in principio statim creationis Virgo Deipara reuelata fuit? Postquàm enim prælium illud magnum cum Dracone in cælo peractum est, alijs irreparabili lapsu cadentibus, his qui diuinum honorem strenuè zelati fuerint, iam in gratia confirmatis, & beatitudinis æternæ coronâ donatis subitò facta est diuina reuelatio, & toti illi candidatorum spirituum senatui diuina locutio adfuit. Nam cælestis curiæ Imperator, ac totius vniuersi Dominus, instaurare cupiens semidiruta commotione superbiæ, cælorum palatia, consilium pectoris sui aperuit, creandi Virginem Dei Genitricem, ab omni labe immunem, cuius adiutorio, & ministerio impleret Angelorum ruinas, vt ex hominibus ad dignitates Angelorum assumptis, occuparentur vacua subsellia. Quod diuino prorsus ingenio assecutus est S. Vincentius Ferrer diuini verbi præco eximius, ac in expositione sacrarum literarum subtilissimus, qui sermone de Concept. Virginis Mariæ ita scribit: *Ita cogitate de Angelis, quando in quolibet viderunt tot Cathedras vacuatas: potestis cogitare, quòd supplicabant Deo dicendo: Domine ista ciuitas vestra sic remanebit depopulata? tunc Deus reuelauit S. Angelis, quòd eorum Ordo repararetur, non de Angelis, sed de hominibus pœnitentibus, & obedientibus, & credentibus.* Statimq; introducit diuinum colloquium, factum vniuerso cœtui Angelorum, in hunc modum, *dicens omnibus, quòd ipse crearet, & formaret vnam Virginem, & cuius fructu tota ciuitas ista populabitur.* Hinc est illud Sanctissimæ Virginis: *Ego ex ore Altissimi prodiui.* quasi diceret: tunc ex ore Altissimi prodiui, quando me reuelauit sanctis Angelis suis. Necdum satis: Sed vlteriùs progreditur Virgo Deipara: *Ego inquit feci, vt oriretur lumen indeficiens*, hoc est, dies reuelationis. Nam cùm Deus Angelos ad arcanorum consortium admisit, creandi fœminam, ex cuius diuina & humana prole, Angelica damna Deus resarciret, hæc denuntiatio, & illuminatio mediante Deipara perfecta est. Quid iam feliciùs & gratius contingere potuit Angelorum cætibus, quàm supernæ illuminationis claritate intueri Dei Matrem, quam reparationi cælestium, & terrestrium præparabat Deus, & de fonte solis, qui diem, & solem gratiæ, ac gloriæ peperit, illuminari fulgoribus? vt non solis hominibus; sed etiam Angelis, iuxta significationem nominis Mariæ appareret Magistra, doctrix, stella Maris, & illuminatrix.

Beata Virgo Angelis sanctis post conditum mundū fuit reuelata.

Per Virginē Mariā Angelorū damna reparata sunt.

Ecclesiast. 24. v. 5.

O felices illos cælestes spiritus, quorum desolatæ sedes per Virginem Deiparam reparatæ sunt. Felicem & Protoparentem nostrum, qui ex diuina reuelatione futuram Verbi incarnandi Matrem agnouit, vt post lapsum, in illo suo infelicissimo casu, & extrema prorsùs miseria leuamen haberet. Hinc Adamo post commissum peccatum, ille moderationis, & prudentiæ igniculus affulsit in excusatione, & confessione sceleris, vt Deo ad iudicij tribunal, & ad supplicium vocanti, non seipsum impauidus obiecerit; sed Euam tanquàm munimen, & tutamentum corporis atq; animi opposuerit, in quo diuinæ iræ mucro retunderetur, & primi excandescentis Domini furores exciperentur. Postquàm enim inaudiuerat vocem excandescentis Domini inparadiso, mulierem obiecit: *Dixitq; Adam: mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Obstupescite Adamum in crimine fortem militem, in commina- Genes. 3. tione pœnarum fugientem, & obijcientem arma: totum pondus prælij Dei minas iactantis, formidines opponentis declinauit, & irruentium periculorum turbines in caput fœminæ coniecit. Et quis vnquam maritus non seipsum pro tuenda vxore opposuit? ergo Adam pro delicijs suis, pro Eua sua, quæ illi charior vitâ esse debebat, pectus suum offerre debuit gladio, vt illa seruaretur incolumis. Verùm sciebat optimè prudens Adam, tutamen viri in fœmina præparatum esse. Quod doctè ponderat S. Bernardus apud Tylmanum in allegorijs ita loquens: *Adam quoq; indignationi diuinæ mulierem,*

S. Bernard.

actionem ac complementum patefacit, atq; declarat. Quod sic deduco.

Ad diuinam perfectionem spectat, quod ipse extra se diffundatur, suamque bonitatem creaturis communicet: nam quod bonum est, vt ait S. Dionysius, sui ipsius est diffusiuum. Vnde & ipse Deus optimus Maximus, ex huius Sapientissimi, pariterq; pijssimi viri sententia, ideò bonus appellatus, *quod hoc ipso* ait, *quod bonum est, vt bonum, per se, & essentia sua, in ea, quæ sunt omnia, bonitatem diffundat.* Hinc & Mercurius Trismegistus, *bonum* actiuum esse docet; quatenùs nimirum suam bonitatem diffundit, cum alijsq; communicat. Cùm ergo præpotens Deus sit summum bonum, suam bonitatem in res cõditas diffundere debebat, easque illius participes facere. Quapropter meritò ratio vniuersa, quâ Deus mundum condidit, eius bonitati adscribitur, vt testatur S. Dionysius cap. 4. de cælesti Hierar. *Primum* inquit *omnium illud verissima oratione dixerimus, vt bonitate sola, summa illa diuinitas rerum essentias statuit, atq; ad esse perduxit: est enim omnium causæ, excellentisq; bonitatis id proprium, vt ad consortium sui, quæ sunt, inuitet, & attrahat omnia; singula scilicet pro captu, & modo rationis suæ.* Rursumq; subdit: *Vt enim sol noster non cogitatione, aut voluntate, sed eo ipso quod est, omnia illustrat, quæ eius lumen pro modo suo capere possunt; sic etiam ipsum bonum, (quòd ita præstat soli, vt prima species tenui, obscuræq; imagini) per se, ipsaq; essentiâ suâ, ijs quæ sunt omnibus pro eorum captu, totius bonitatis radios emittit.* Et tandem multis interiectis concludit: *Ipse author beneficus entium amor, (cùm antea in bono excellenter esset) nunquam ipsum in seipso manere infœcundum permisit, sed ipsum ad operandum mouit per excellentiam cuncta gignentem.* Vndè cùm Deus glorioſissimus suam omnem perfectionem explicare minimè videretur, nisi seipsum extra se quoque diffunderet; hoc ipso, quod mundum condidit, suum complementum fuisse quodammodò consecutus dicitur.

S. Dionys.

S. Dionys.

Nihilominùs, quia Trinitatis opera inter se patrata, nullibi explicatiùs apparent, quàm in Virgine Deipara, meritò cum tanto affectu magnificat Deum, exclamans: *Magnificat anima mea Dominum.* In ipsa namq; Deipara Sacratissimæ Trinitatis opera enodatiùs ac distinctiùs fulgere dicuntur, ob Incarnationis mysterium in ea perfectum, in quo & diuina bonitas maximè diffusa est, & personarum distinctio sumoperè innotuit. Quandoquidem inibi secunda persona Deiq; Filius, secum in eadem hypostasi naturam humanam coniunxit, factus homo: & Spiritus sanctus sua operatione Virginem fœcundauit, naturamq; à Verbo assumptam perfecit: Pater demum vtramque personam ad idem mysterium complendum misit. Quo fit, vt licet vna atq; eadem operatione, à tota Sanctissima Trinitate idem mysterium patratum fuerit in Virgine; ipsa tamen operatio in se indistincta, diuinas personas distinctè referat. At verò in reliquis operibus hæc ipsa Trinitatis explicatio, ac declaratio, nõ perinde apertè elucet: cùm enim Trinitatis opera ad extra sint penitùs indiuisa, ideò in illis, ipsa diuinarum personarum distinctio minimè apparet, nisi sub valdè obscura, nimiumq; imperfecta vestigij ratione.

Meritò proinde Sanctissima Virgo diuinam summo affectu extollit maiestatem, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*: quia si vel ipsam temporalem diuinarum personarum missionem attendere voluerimus, hæc nullibi magis conspicuè cernitur; quàm in Virgine Deipara, & mysterio Incarnationis in ipsa peracto. Nam si Deus optimus Maximus eatenus perfici, & compleri intrinsecùs dicitur, quatenùs bonitatem suam extra se diffundit; profectò vbi hæc profluentia vberior contingit; ibi etiam & perfectio illa ac complementum excellentiùs nitet. Profectò autem diuinæ bonitatis profluentia, nullibi magis perspicua habetur, quàm in rationalis creaturæ sanctificatione. In ea quippè Deus glorioſissimus seipsum suæ creaturæ participandum exhibet, intimoq; illapsu ac peculiari, maximeq; familiari ratione sese eidem insinuat, eandem deinceps suæ gloriæ participem effecturus. Hæc autem sanctificatio quonam pacto perficitur, nisi per temporalem, ac intimam diuinarũ personarum missionem: quæ sanctificatio, diuinarumq; personarum missio, in nulla re luculentiùs eluxit; quàm in Virgine Deipara, & mysterio Incarnationis in ipsa peracto. Neq; mirum, ineffabile Trinitatis mysterium, eiusq; stupendas operationes ad extra maximè ex Virgine Sanctissima mundo innotuisse, cùm ipsa inter vniuersas puras creaturas perfectissima sit, adeò vt perfectior fieri nequaquam potuerit, & ideò etiam perfectissimam Dei præsefert imaginem, perfectèq; Trinitatem exprimit ac repræsentat: potissimùm augustissimi dominicæ incarnationis in eius vtero Spiritus Sancti operatione celebrati mysterii adhibita

adhibita ratione, ac dignitate, quâ eo fine donata fuit. Vt propterea meritò
S. Auguſt. dixerit D. Auguſtinus ſerm de Aſſumpt. & 35. de ſanctis. *Si formam Dei appellem te, digna exiſtis.* Et Andreas Cretenſis Ser-
Andreas Cretens. mone 1. in Aſſumpt. Deiparæ. *Hæc eſt* inquit *diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiuſſio, eximia pulchritudo. A Deo ſculpta ſtatua, rectè deſcripta diuini Archetypi imago, totius contemplationis & aſcenſus ſuſtentaculum.* Cùm igitur Deus optimus Maximus, ex creaturarum notitia concipi, & cognoſci ſoleat, quis non fatebitur, quò perfectior fuerit creatura, eò quoq; Deum perfectiùs ex ipſa cognoſci.

Hoc palam inſinuare voluit Salomòn
Sapient. 13. Sapientiæ 13. *A magnitudine* inquit *ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator bonorum videri.* Palam faciens,, quò maior creatura fuerit, cumulatioriq; bonorum copiâ ditata, & præſtantioribus munerum priuilegijs exaltata; eò luculentiorem ex ea, tanquam ex abſolutiori imagine, ipſius Dei cognitionem hauriri. Quoniam ex præſtantiori creaturæ fulgore, diuinæ operationis virtutiſq; præſtantia, ac immenſa ipſius Dei vis, & gloria vberiori coruſcat nitore. At, quæ inter vniuerſas creaturas Virgine Deipara perfectior vnquàm extitit, quæ tàm immenſum bonorum cumulum diuinitùs ſuſcepit, vt maiora recipere non poſſet? ergo ex illa maximè in notitiam Sanctiſſimæ Trinitatis, eiuſq; operationum de-
Chryſolog. uenimus, vt præclarè docet S. Chryſologus ſerm. 140. ita ſcribens: *Quantùs ſit Deus, ſatis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Quoniam meritò dicit Sanctiſſima Virgo: *Magnificat anima mea Dominum.* Quaſi diceret, anima mea præ nimia ſua perfectione, & præſtantia, bonorumq; omnium amplitudine Deum magnum oſtendit, cuius magnitudo, ex eius opificij magnitudine fulget. Vnde meritò inquit Beatus Lau-
Laurentius Iuſtinian. rentius iuſtinianus, ſerm. de Natiu. Deiparæ: *Ea quæ facta ſunt, omnipotentiæ Dei naturaliter laudis præconia exhibent; eoq; perfectiùs, & per ampliùs, quò perfectiora gratiarum munera perceperunt.* Verùm Deipara Virgo has omnes creaturas longè ſupergreſſa eſt. Sic ſde illa fatur citatus Laurentius Iuſtinianus *Sanctificationis priuilegio* inquit, *virtutum mentis, virginitatis honore, prolis fœcunditate, humilitatis decore, atq; donorum plenitudine, mortales ſupereminet vniuerſos: omnium quippè refertè cumulo gratiarum cunctis in ſe Deum fecit*
S. Bernard. *laudabilem.* Imò vt addit S. Bernardinus tom. 1. ſerm. 61. ar. 2. cap. 4. *Matris magnificentia magis magnificat Deum, quàm omnia alia creatura ſimul ſumpta.* Et meritò quidem: *qvia etſi multa magna*, inquit Petrus Damianus, *facta ſunt in creaturis mundi; nihil tamen tàm excellens, tàm magnificum, fecerunt opera digitorum Dei.* Ergo Chriſtus à Virgine Matre, magis quàm ab omnibus creaturis magnificatus eſt, quia de eius ſubſtantia conſummatus prodijt, carnem humanam de puriſſimo eius ſanguine accipiens, & quidem eiuſdem materiæ ac rationis cum noſtra, vt conſtat ex illo Euange-
Ioan. 1. liſtæ Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*, nimirum per aſſumptionem, & vnionem, iux-
Hebr. 1. Rom. 1. 1. Petr. 4. ta illud ad Hebr. 1. *Semen Abrahæ apprehendit.* Et Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Et 1 Petri 4. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et ad Hebr. 2. *Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & Filius Dei participauit eiſdem.* Quod & ipſa ratio euidenter ſuadet, inprimis quia corpus humanum eſt de eſſentia hominis. Præterea, quia tale corpus fuit neceſſarium ad finem redemptionis, quoniam Chriſtus in noſtro corpore pati debuit, & exempla virtutum nobis oſtendere; cùm corpus noſtrum debeat configurari corpori claritatis eius: & Verbum incarnatum non tantùm erat redempturum animas, ſed etiam corpora. Tandem, quia alias Chriſtus non fuiſſet verè conceptus ex Virgine, nec verus filius hominis, contra Euangelicam veritatem.

Neq; ſanè valet obiectio Hæreticorum deſumpta ex illo D. Pauli 2. ad Co-
2. ad Corint. 5. rint. 5. *Etſi cognouimus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed iam non nouimus.* Ex quo loco Fauſtus infert Paulum in principio exiſtimaſſe, Chriſtum habuiſſe verum corpus: poſtea verò mutaſſe ſententiam ſuam. Reſpondeo enim, impiam eſſe hanc Fauſti illationem: ſi enim ita ſentire liceret de D. Paulo, nihil firmum in verbis eius eſſet. Duplex igitur eſt ſenſus verborum D. Pauli. *Primus*, quia D. Paulus loquitur pro eo tempore, quo Chriſtum perſequebatur, quaſi diceret: & ſi aliquando ſecundum carnem, id eſt. carnaliter iudicantes, indignam æſtimationem habuimus de Chriſto, ſed iam non ita nouimus, ſeu exiſtimamus. *Alter*, ſenſus eſt: quia S. Paulus loquitur de conditione carnis paſſibilis, in qua cognouimus Chriſtum dum hic viueret; nunc verò iam eum in tali carne non nouimus. Et hæc expoſitio traditur in ſeptima Synodo, actione ſexta, tom. 4. ad finem. Confirmaturq; authoritate S. Chryſoſthomi, Cyrilli,

magnus Patrum chorus, Virgam de radice Ieſſe Mariam Virginem, & florem campi Ieſum, recognoſcunt. O quàm frequenter de dignitate Sacerdotali, in hoc orbe terreno querimoniæ excitantur, dum ad Ieſum ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, homines ob peccata ſua accedere verentur. Sed ecce virga de radice Ieſſe Maria Deipara, quæ hunc pulcherrimum florem Ieſum in ſalutem toti mundo peperit, hæc querimonias afflictæ Chriſtianitatis componet, hæc gratiam populo terreno conciliabit, hæc ſummum illum Pontificem Chriſtum, ad interpellandum excitabit, vt miſeris terrigeris miſericordiam exhibeat.

Vidimus, igitur Sanctiſſimâ Virginem, Dei maieſtatem hodiè toto affectu magnificantem, quòd Deus de puriſſimo eius ſanguine carnem aſſumens, vltimam conſummationem gloriæ extrinſecæ ab illa acceperit, cùm per eam myſterium Trinitatis, & opera, maximè mundo innotuerint. Proinde & nos tantæ Virginis exemplo, cum omni humilitate magnificemus Deum in perſonis Trinum, & in eſſentia vnum, & dubio procul magna eius beneficia in nos diffundentur.

DIE PVRIFICATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

CONCIO.

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace. *Luca 2.*

Chriſtus in templo tribus de cauſis à Beata Virgine præſentatus eſt.

CYgnum morti proximũ ſuauiter canere ferunt Naturaliſtæ; ſimile iuſti Simeonis votum nobis in hodierno proponitur euangelio, qui Chriſto in vlnas, tanquàm mortis ſuæ pignore accepto, lætus canebat: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace.* Et licet optimè ſciret, Regem in primo ſuo ingreſſu, & ſolemni inauguratione, ſeruos, ac ſubditos nuſquàm addicere morti; ſed potiùs reſeruare carceres, compeditos abſoluere, atque ad necem damnatos liberare: ita vt vel ſolus Principis aſpectus ſalutaris ſit. Nihilominùs ex Principis omnium Maximi aduentu, atq; præſentia, ad mortem alacer & hilaris contendit, tantæ ſuæ expectationis hanc vnicam dignam mercedem exiſtimans, vt viſo infante Ieſu, è laqueis, è vinculis, è ſeruitute, è morte, è periculis inquam peccandi eliberetur. Sic cenſet D. Ambroſius libro de bono
S. Ambroſ. mortis cap. 2. ſic diſcurrens: *Ita dimitti petit, quaſi à vinculo quibuſdam ad libertatem feſtinaret: ſunt enim velut vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adſtringunt quadam lege peccati.* Sed illud admiratione dignum, quomodò timoratus Simeon, grandi ſenio confectus ad templum deſcenderit, & canticum lætus occinerit? *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace.*

lierem, pro qua peccauerat, obiecit, quaſi poſt tergum eius volens declinare ſagittam. Agnouit igitur Adam in Eua alteram viuentium Matrem adumbratam, & ex ea naſcituram, ab omni ſceleris labe irreprehenſibilem, nullo errore lapſam, nimirum Virginem Deiparam, quem ipſa excuſaret. Proinde non ad excuſationem criminis, ſed ad euitationẽ ſupplicij Euam diuinæ iræ oppoſuit, vt naſcituram ex ea Virginẽ reſpiciens, placatus homini redderetur.

Grauis olim exorta erat controuerſia inter populum Iſraëliticum, cuinam munus Sacerdotale deferendum eſſet;
Numer. 16. *Murmurauit omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen & Aaron.* Numer. 16. Vbi Deus, vt querimonias Iſraëlitici populi cohiberet, ambitionis iurgium, & diſceptationem componeret, in tabernaculum iuſſit inuehi virgas procerum, ſuis nominibus notatas, vt virga germinans eſſet muneris ſacerdotalis ſignum, baculuſq; efflorescens velut cenſoria virgula, Antiſtitem à vulgo diſcerneret, & tali prodigio acclamaret Deus ſacerdotalem functionem, in virgæ germinantis familiam incumbere. Vnde de Virga Aaron reuireſcente, notanter dicitur Numerorum 17. *Inuenit germinaſſe virgam Aaron*
Numer. 17. *in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores.* In hac virga ornata fronde, & flore

pace. Cùm hoc à senibus longè alienum esse videatur, qui canere, imò & vocem cantorum audire, se minus aptos fatentur. Inuitabat Dauid Rex Berzellai Galaditen ad Regiam suam, splendido conuiuio illum excepturus: audite eius excusationem 2. Reg. 19. 2. Reg. 19. *Dixitq; Berzellai ad Regem: quot sunt dies vitæ meæ, vt ascendam cum Rege in Ieruzalem? octogenarius sum hodiè: nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? Aut delectare potest seruum tuum cibus, aut potus? vel audire possum vltra vocem cantorum, & cantatricum.* Ita prudens iste senex per singulas Regiarum delicias discurrens, nihil vtilitatis in eis, aut delectationis inuenit. At senex Simeon, vbi ingressus templum, vidit infantulum Iesum in Mariæ vlnis, statim canere cœpit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*: Quia de habitu infantuli ineptam senectutem exuit, induitq; nouum, & iuuenilem vigorem. vt docet D. Augustinus in Ps. 39. 8. August. ita scribens: *Simeon* agnouit infantem in manibus Matris in templo, & dixit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Agnouit infantem senex, factus in puero puer, innouatus fide.* Audite senes, qui verè senes estis. quòd in solo Christo inueniatis, quò magis vigere, & vitam protendere possitis, iuxta Ad Rom. 6. illud Rom. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster, simul crucifixus est.* Ex quo loco D. Augustinus colligit, omne senium humanum renouatum esse, in Psalmo. 70. ita loquens: *Vt* ait *Apostolus, vetus homo noster simul crucifixus est cum illo. Si ibi erat vetus homo noster, senectus ibi erat; quia vetus senectus: tamen quia verùm est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua; resurrexit ipse die tertio: præmisit resurrectionem, finito sæculo.* Quoniam igitur vetusti hominis senium cum Christo fuit in cruce, idcircò eum ex ipso halitum hausit, quo vniuersi renouemur, nouumque accipiamus spiritum vitæ. Accipite istius veritatis euidens documentum: seniculo Abrahæ promissus fuit à Deo filius, cui promissioni senex indubitanter adhæsit. Ponderans D. Paulus tantam Ad Rom. 4. Abrahæ fidem, dicit ad Rom. 4. *Nec corpus suum mortuum consideranit, cùm ferè centum esset annorum.* Meritò equidem Apostolus in hac prolixa senectute centum annorum, corpus Abrahæ emortuum, & generationi naturaliter ineptum iudicauit. Nihilominùs post natum Isaac promissum, iamq; adultum, & Saram mortuam, dicit Scriptura Sacra Genes. 25. Genes. 25. *Abraham verò aliam duxit vxorem, nomine Cetburam, quæ peperit ei Zamram.* Quid est hoc? ante Isaaci natiuitatem, iam erat Abrahæ corpus ad generationem emortuum; post multos autem alios annos, nouam sponsam duxit Abraham, & ex ea filios sibi procreauit. Vnde illi hæc renouatio? vnde nouus, & iuuenilis vigor? Equidem inde: quia iam genuerat Isaacum, in quo Christus venturus promittebatur? ergo ex promisso Christo venturo renouationem hausit, nouumq; & iuuenilem vigorem induit. Sic censet Origenes hom. 11. in Genes. *Cethura* ait, *quam nunc senex Abraham fortitus est in matrimonium, interpretatur bonus odor: ipse enim dicebat, sicut Paulus loquitur: quia Christi bonus odor sumus.* Quantò magis iustus Simeon, præsentem Christum in vlnis suis gestans, meruit renouari depositò antiquo senio, vt lætus caneret: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace.* Considerabimus igitur, quare Christus à Sanctissima Virgine voluit in templo præsentari.

Origenes.

Christus quia ad redimẽdos hominẽs venit, in templo præsentari voluit.

Tres potissimùm causas reperio, propter quas infantulus Iesus in templo præsentari voluit. In primis, quia venit in redemptionem generis humani, propter quod de illo dicitur: *& ipse erit expectatio gentium.* Proinde vt quilibet certissimam spem suæ salutis in illo reponeret, in templo præsentatus est. Ita enim Deus nostræ spei est auidus, vt cùm videret hominem in alterum sui similem sperare, quia homo est; quemadmodùm ipse; quia caro est; quemadmodùm ipse: quia eandem possidet speciem, eandemq; similitudinem, ad inuidiam hominis spei vt ita loquar adductus, hominem se effecerit, vt sic omnem in se humanam adduceret spem, & nulla ampliùs esset excusatio, cur in ipso solo homines sperare non deberent. Quod non operosè ex hodierno Euangelio deduci potest, in quo dicitur: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Quærite nunc ex hominibus, quid in suis actionibus intendant, quid desiderent, quid optent, quid in præcordijs habeant? Et ecce respondet eorum nomine D. Augustinus: *Cupiunt se beatos esse miseros.* Omnes igitur optant salutem, & beatitudinem æternam, quorum vota ne frustrentur, Deus vt omnium spem ad se attraheret, vtq; id, quod desiderant, ab ipso sperent, posuit salutare suum ante faciem omnium populorum: quia inter homines homo factus est, vt salutem non ab alio, nisi ab ipso sperarent. Sic fatus Athanasius Orat. de Incarnatione Verbi: *Ideò* ait, *hominum amator Deus, simul & verum, & communis omnium Saluator corpus sibi assumpsit homo*

S. Augustin.

S. Athanas.

homo inter homines versaturus, vt hominum sensus præoccuparet, vt homines humana sola cogitantes; quocunq; sensus suos conferrent, ibi se anticipari, præoccupariq; animaduerterent. Arripite motiuum incarnationis, Deus ideò homo factus est, non vt vnum, aut alterum sensum, sed vt omnes hominis sensus præoccuparet. Atq; ob hanc causam, ita se omnibus accommodauit, ita omnibus satisfecit, vt nullibi se verterent, quin illum inuenirent, ac veluti suauissima quadam coactione ei copulentur.

Vultis istius rei documentum, recurrite ad Psal. 138. vbi de hac suaui coactione lætus Propheta canit: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum tu ibi ades.* Quem locum ingeniosè trutinans Nicolaus Gabasila Græcus Author lib. 1. de vita in Christo, concludit, quod licet homo plurimis rebus indigeat; nihil tamen esse in rerum natura, quod omnibus humanis sensibus deseruiat, præter vnicum Iesum. *Cùm* ait, *multa sint, in quibus per vitam egemus, aëre, lumine, alimento, vestibus, ipsis naturæ facultatibus, & membris; sit tamen vt nullius vsum ex omnibus semper, & ad omnia desideremus, vestem induimus, quæ alimoniam non præbet, lumen ad animam ducendam non facit, manus otiosa est, cùm auscultare oporteat; ad contingendum manus sufficit, ad odoratum nihil commodat. At Saluator in ipso viuentibus sit semper, & omnimodè adest, vt quibuscunq; eorum necessitatibus consulat, & ipsis sit omnia, nec aliò prorsùs se vertere, nec aliunde quærere quidquam sinat.* Præclarè satis, ita se Deus nostris omnibus accommodauit sensibus, vt penitùs non sinat nos aliò diuerti, addit citatus Author, de diuina circa homines prouidentia sic loquens: *Generat ipsos, & alit, & lumen ipsis est, & habitus, & cùm sit, aliter simul est alimentum, & vita est viuentibus, & vnguentum spirantibus, & vestimentum operiri cupientibus, & seu illuc eas, ibi est, seu aliò, etiam aliam vitam occupat; si ascendero in cælum, tu illic es, vt ait Dauid, ad actu quodam mirando, & suaui tyrannide.* Arripite hæc postrema verba: non solùm nos Deus inuitat, sed etiam ita nos amat, vt cogat, & compellat. Lucæ 14. Hinc Euangelista dicit Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam* Cùm autem inuitati nollent venire, mandauit Dominus suis ministris: *Compelle intrare, vt impleatur domus mea.* At, quomodò compulsi venêre? respondet citatus Gabasila: *Hanc illam esse vim, & necessitatem optimam, quæ ad domum suam, ad conuiuium compulit, quos vocauit, cùm seruo diceret, compelle intrare.* Quid melius dici potuit? vis scire compulsionem, attende cœnam, ipsa erat compulsio, omnibus humanis sensibus omnia Dominus factus est, ad omnium gustum se accommodauit, & idcircò compulit, quia nec aliò se vertere hominem, nec aliunde quærere quidquam sinit. Cœnam igitur fecit homo factus, vt non aliunde quæramus, quod in ipso abundè possumus habere.

Pſal. 138.

Nicolaus Cabaſius.

Infelices igitur sunt, & inter mortuos verè computandi, qui spem suam in alio, quàm in Deo; in alio, quàm in Christo reponunt. Quid enim aliud eiusmodi homines expectant, nisi ruinam, & miserabilem interitum? Ponite vobis ante oculos Hemorroissam illam diuitem, Medici infirmos depauperant. præpotentem, fluxu sanguinis laborantem, quid leuaminis, quid vtilitatis reportauit ex Medicis, in quibus confidebat? Equidem hoc vnicum: quia omnes diuitias perdidit, & ad summam paupertatem deuenit. Lucæ 8. *In Medicos erogauerat omnem substantiam, nec ab vllo potuit curari.* Imò addit S. Marcus cap. 5. *Magis deteriùs habebat.* Enimuerò sint tibi Cræsi opes, Alexandri imperium, Cæsaris fortuna; non tamen ad profectum, sed ad defectum tibi deseruient, nec quidquam aliud, nisi sola spes in Christo te adiuuare potest. Pulchrè id elucidat D. Gregorius in citatum scripturæ locum, inquiens: *Medici omnes diuitias consumpserunt,* S. Gregor. *solam spem in tanta diffidentia reperit.* Quasi diceret: thesaurum amisit iam omnibus bonis reperit pia mulier, quæ firma spe vestimenti Christi fimbriam tangens, illico sanata est: quoniam firma spes in Domino Deo reposita, efficacissimum contra omnia mala remedium est.

Lucæ 8.

Hoc nos edocere voluit, dies ille Patriarcha Abraham, qui de domo sua emissurus Agar cum filio Ismaële, panem duntaxat, & aquam pro viatico obtulit. Exodi 21. *Tollens panem, & vtrem aquæ, im-* Exodi 21. *posuit scapulæ eius, tradiditq; puerum, & dimisit eam.* Quid stupendum magis? ergone ita tenax & auarus fuit ille regum victor, trecentorum decem & octo vernaculorum Dominus, vt filio, quem vrgente Sara tristis eijciebat, præter panem, & aquam, nihil penitùs obtulerit? Vnde tanta in Abrahamo durities? vnde tanta cum matre & filio tenacitas? nunquid iam illos exosos habebat? absit: imò amabat plurimùm; & ideò ob maius illorum emolumentum, sic eos dimisit, nolens vt in ipso, aut in rebus, aut in diuitijs, quas abundè poterat conferre, sperarent; sed in solo Deo, eò feliciores futuri,

turi, quò humanis pauperiores. Ita pro-
Lypomanº. fundè Lypomanus in hunc locum argumentatur : *Quantò autem* inquit, *Abraham ancillæ in exilium deſtinandæ pauciora dedit, tantò fidei ardorem maiorem expreſſit.* Neq; ſanè ſpes in ſolo Deo firmiter repoſita fefellit Abrahamum: poſtquàm enim Agar in ſolitudine commoranti, omnia quæ è domo Abrahami extulerat, defeciſſent; cùm & filius Iſmaël præ nimia ſiti iam prorſus moreretur, mox ab Angelo Domini con-
Exodi 21. ſolatoria verba audiuit. Exodi 21. *Cumquè conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum, & abyit, ſedítq; è regione procul: dixit enim non videbo morientem puerum. & leuauit vocem ſuam, & fleuit; exaudiuit autem Dominus vocem pueri, & vocauit Angelus Domini Agar dicens: noli timere, exaudiuit enim Deus vocem pueri, de loco, in quo eſt, ſurge, tolle, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* Vt hinc agnoſcamus, ſpem in Deo feliciſſimum reddere hominem.

Imò dicam ampliùs, ita totus homo ſpem ſuam in Deo collocare debet, licet peccator, licet malus, vt ad nullum alium, quamuis ſanctum, quaſi ab illo ſperans ſubſidium, ſed ad ſolùm Deum con-
Ionæ 1. fugiat. Prædicabat Ionas Niniuitis imminentem ruinam, & ſeueram Dei vindictam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubuertetur.* Qui licet eſſet vir ſanctus; minimè tamen pœnitentiâ Niniuitarum permotus, miſerabile illud excidium expectabat, imò optabat, vt ciuitas deſolaretur, totaq; ſimul cum ſuis habitatoribus interiret, quo fine arctiſſimum
S. Ephem. implebat ieiunium. Ait S. Ephrem in Ionam: *Congregati erant Niniuitæ, modumq; inquirebant placandi Dominum, cognouerunt ieiunium potens eſſe, & efficax, & ieiunârunt, Ionas ieiunat metuens, ne fortè illius beneficio ſaluentur, ipſeq; mendax reddatur.* Quid autem Niniuitæ? relicto Iona ad Deum confugerunt, in illo ſolo totam ſuam ſpem collocantes. Addit idem Sanctus: *Et vt cognouerunt Deum benignum, & miſericordem eſſe: videbant enim Prophetam durum, ac ſæuum, relictoq; duro ad miſericordiam confugerunt.* En habetis prò-fundam inſtructionem, ad quem debeatis recurrere in veſtris afflictionibus, non ad homines, quamuis alios ſanctos; ſed ad ſolùm Deum benignum, & miſericordem.

Clemens Alexandr. Hinc rectiſſimè Clemens Alexandr. in exhortatione ad Gentes dicit: *Pulchrum eſt periculum, ad Deum transfugere.* cùm nullum ſit aptiùs medium Deum placandi, diuinamq; effugiendi ſeueram iuſtitiam; quàm ad eius miſericordiam confugere. Offendiſti Deum enormiſſimis peccatis, & quaſi ſerpentinis morſibus vulneraſti, ſcito, quòd licet tibi iraſcatur; non tamen vt te perdat, ſed vt te ſaluet. *Fiat Dan coluber in terra* (dicebat Patriarcha Iacob prophetizans, Gen. 49.) Genes. 49. *Ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt aſcenſor eius cadat retrò.* Vbi per colubrum in terra, & Ceraſtem in ſemita mordentem vngulas equi, intelligitur peccator grauiter Deum offendens. Ita citatum ſcripturæ locum de Chriſto intelligens D. Ambroſius in Pſal. 40. ſuper illa verba: *etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui,* ſentit. vbi Pſalm. 40. affirmat, idcò Chriſtum tempore paſſionis retrò cecidiſſe, vt illos qui eum momorderant, ſaluaret. *Momordit ergo ſerpens* S. Ambroſ. *ait, calcaneum equi, virus ſuæ fraudis euomit, volens equis ſeipſe deiecit, volens cecidit, vt nos lauaret, retrorſus erat Petrus, cui dicit; vade retrò poſt me: retrò erant Apoſtoli, & cæteri diſcipuli, ideò retrorſum cecidit quia ſupra quos cadit, ſaluat.* Quid elegantius? Petrus in domo Caiphæ negando, tanquàm ſerpens momordit Chriſtum, retrorſum cecidit, nunquid vt eum perderet? abſit: imò vt eum ſaluaret. Vt ſic licet eum peccator ſerpentis inſtar mordeat, ad illum confidenter accedere non vereatur, & licet iratum ſibi eſſe ſciant; in illo tamen omnem ſpem ſuam collocet, ab illoq; auxilium ſperet. Sic quondam dicebat rectus Iob cap. 13. *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo; verùm tamen vias meas in conſpectu eius arguam.* Quem locum ingeniosè explicat radix Hebræa, ita citatum locum explicans: *Vadam pro auxilio à te ad te, abſcondar ſub alis miſericordiæ tuæ in die tribulationis ab ira tua, curram vſq; ad vmbram tuam.* Iob 13.

Motiuũ Incarnationis fuit remedium peccati.

Voluit præterea Chriſtus in templo à Virgine Sanctiſſima præſentari, vt hoc facto damnatum mortalium genus ab æternis vinculis abſolueret. Cùm enim motiuum incarnationis non aliud fuerit, niſi remedium peccati, dubio procul & cauſa præſentationis Chriſti in templo non alia, niſi eliberatio perditi hominis ab æterna damnatione. Et ideò in primis ſuæ infantiæ rudimentis, hodiè in templo Hieroſolymitano ſiſtitur æterno Patri, hoſtia nõ ſanguinis, ſed ſalutis. Nihil quippè tunc infantulus Ieſus cruentum in ſuis membris expreſſit, ſed ſolam omnibus nobis ſalùtem, & vitam halauit. Hinc illa iuſti Simeonis infantem Ieſum in vlnas accipientis exclamatio: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Quid eſt, vtiq; ſanctus ſenex in vllis tunc detinebatur vinculis? quomodò igitur dimitti petijt,

ti perijt, ſolui poſtulauit, cùm nullis teneretur laqueis? Reſpondet D. Cyrillus Alexandrinus Orat. de Purificat. quòd Simeon hanc vocem nomine Adami defuncti, Protoparentis generis humani protulerit. Vt primum enim caput generis humani Adam ſenſit infantem Ieſum offerri in templo, hoſtiam non ſanguinis, ſed ſalutis, ſtatim cœpit cogitare de vinculis mortis ſoluendis, & de reſtitutione priſtinæ amiſſæ libertatis. Audi-
S. Cyrillus. te citatum Cyrillum in hæc verba prorumpentem: *Exultet Adamus Chriſtum per Simeonem huiuſmodi oratione alloquens, nunc dimittis ſeruum tuum, tunc ab æternis vinculis me ab ſolues, nunc à corruptione, & interitu me eripis, nunc à morte me eripis, nunc ab omni mœrore me expedis. Ecce Simeon vlnis complectitur Deum, & Dominum meum in templo.* Res ſtupenda, dum Chriſtus in cruce hoſtia ſanguinis Deo Patri offerretur pro nobis, vniuerſus mundus grandi mœrore afficiebatur, & velut in ſuum interitum totus ruebat; cùm autem in templo præſentatur Patri, hoſtia non ſanguinis, ſed ſalutis, & vitæ, nemo inuentus erat, qui eum non deſideraret videre, & qui eo viſo non exultaret. Ne miremini: debebat enim hoc creatura ſuo Auctori, vt illo moriente, vellet etiam finiri; at verò præſentato in templo debebat lætitiam, & exultationem, tanquam hoſtiæ ſalutis & vitæ.

Quod profundè tetigiſſe videtur D.
Ad Rom. 12 Paulus ad Romanos 12. inquiens: *Obſecro itaq; vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatu corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* At, cur non potiùs hoſtiam mactatam, & mortuam; quoniam
Chriſtus ſuit hoſtia ſalutis & ſanguinis. Chriſtus de mundo victoriam reportauit, tanquàm agnus occiſus. En myſterium altiſſimum: vtraq; hoſtia impleta eſt in Chriſto, & hoſtia ſanguinis, & occiſionis in paſſione; & hoſtia ſalutis, ac vitæ in hodierna præſentatione in templo, D. ergo Paulus licet alibi Chri-D ſtum crucifixum prædicans, nos cum illo crucifigi optet; cæterùm in hoc loco non cogitabat Chriſtum, tanquàm agnum in cruce pendentem; ſed infantem in templo Deo Patri oblatum, hoſtiam non ſanguinis, ſed ſalutis; & ideò non requirit, niſi vt nos illi exhibeamus hoſtiam viuam, certum ſumentes documentum, vitam noſtram, ſi fuerit immaculata,
S. Bernard. ſuõmpere illi placiturã. Sic fatur D. Bernardus ſerm. 3. de Purificatione. *Fratres* inquit, *morituro Domino Iudæus mortuas hoſtias offerebat, ſed iam nunc: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Hæc enim eſt hoſtia placabilis, Deo placens hoſtia viua.* Vbi in illis verbis: *ſed iam nunc* manifeſtè inſinuatur hodierna celebritas purificationis Sanctiſſimæ Virginis, dum Ieſus ſiſtitur Patri æterno hoſtia non mactanda, ſed redimenda. Quemadmodùm igitur dùm Chriſtus hoſtia mactanda naſceretur, mactatæ ſunt hoſtiæ in ſanguine infantium in eius ſignum; ita dùm hodiè præſentatur in templo Patri viua hoſtia, hoſtiæ viuentes in ſignum lætitiæ, & exultationis adſunt, tacitùs perſonante æterno Patre: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt viuat.* Non vult equidem, quia infinitè miſericors eſt, quia illi Chriſtus B hoſtia viua in templo præſentatur, vt ſciant homines viuere vitam immaculatam, vt cupiant effici hoſtia Deo placens, quemadmodùm paruulus Ieſus.

Non procul ab hac ſententia abeſt illud pronuntiatum Hebr. 10. *Habentes ita-* Ad Hebr. 10. *què fiduciam fratres in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam.* In quibus verbis oſtendit D. Paulus, quia Ieſus initiauit nobis viam nouitatis & vitæ. At quando? Reſpondet S. Auguſtinus, tunc quando carnem humanam aſſumpſit, lib. 10 de Ciuitate Dei cap. 28 S. Auguſt. *Gratia* inquit *Dei, non potuit nobis altius commodari, quàm vt ipſe vnicus Dei Filius in ſe incommutabiliter manens indueret hominem, vt ſpem dilectionis ſuæ daret hominibus hoc medio, quo ab hominibus ad illum veniretur.* Via igitur Chriſtus eſt viua, & viuens: quia & vitam nobis tribuit, & gloriam, & beatitudinem, & altiſſimæ diuinitatis adoptionem. Egregiè ſanè: Chriſtus in ſe diuinus, altiſſimus, infinitus, impertingibilis in ſua maieſtate, & quis non deſperaſſet ipſum pertingere poſſe. Quid ergo eius ſumma bonitas? ſpem poſuit non in alia re perdifficili, ſed humana, ſed in carne ſua homo factus, ita vt eodem prorſus greſſu, quo ad ipſum hominem accedimus, ad diuina penetremus, ipſumq; humanum attingendo, ſimul quoq; Deum attingamus. Quod cùm in diuina Chriſti Incarnatione factum ſit; tunc enim & deifica eius caro ab hominibus viſa, atq; adorata eſt; & diuinitas ſimul cognita, meritò dicitur Chriſtus initiaſſe nobis viam nouam, & viuentem

Meditatio Chriſti paſſionis compẽdioſa via ad cognoſcendam diuinitatem.

Alij cenſent Chriſtum nobis initiaſſe viam nouam, ac viuentem in ſua paſſione, dum pro nobis cruci affigeretur, propter quod, qui per Chriſti crucifixi viam incedunt, ad diuinitatis terminum pertingendum, compendioſo vtuntur itinere.

S. Auguſt. nere. Vnde Diuus Auguſtinus meditationem paſſionis, & Chriſti crucifixi, ad diuinitatem inueſtigandam, vocat *compendium*, id eſt, non ſolùm viam breuem, ſed ipſam breuitatem, libro 9. de Ciuitate Dei, cap. 15. ita ſcribens: *Beatus* inquit, *ac beatificus Deus, particeps humanitatis noſtræ, compendium præbuit participandæ diuinitatis ſuæ.* Rectè compendium dicitur: quoniam prius ad diuinitatem pertingendam, per longa creaturarum itinera currendum erat, per lata legalia præcepta, ſiue tempus naturæ, ſiue tempus gratiæ ſpectare voluerimus. At verè poſt Chriſtum crucifixum, poſt hanc viam non mortuam, ſed viuam, compendio ad diuinitatem peruenitur, imò vt loquar in inſtanti. Quod inde procedit, quia dùm per creaturas ad diuinam contemplationē progredi volumus, ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè eas relinquendo, vt vult Dionyſius Areopagita, ideò cùm ſimul nonſint Deus, diuinitatem ſuper intelligibilem attingere, atq; apprehendere non valemus. Sed neceſſe eſt creaturas negare, vel aliquid illis addere oſtendendo, quod non ſint Deus: & ſic in illis ſiſtere non debet, qui Deum quærit. At non ſic in Chriſto euenit: cùm enim ille ſimul Deus ſit, idcircò eodem greſſu quo ad illum vt hominem properamus, accedimus etiam vt ad Deum, eodemq; actu, quo ipſum vt hominem diligimus, diligimus pariter vt Deum; ita vt in actu amoris Chriſti, atq; cæterarum creaturarum hæc interſit differentia, quòd dùm eas amamus, neceſſe ſit affirmare, non propter ſe, ſed propter Deum nos illas diligere. Nam cùm intrinſecè Deum non contineant perſonaliter, ideò tantùm propter Dei bonitatem infinitè amandam, poſſunt diligi. At verò dum Chriſtum diligimus, qui eſſentialiter & perſonaliter eſt Deus homo, propterea dilectio quæ in illum fertur, ſimul quoq; in Deum tendit; ita vt ſi velimus, ne tendat, neceſſarium ſit diſtinguere eum à diuinitate ſeparando. Atq; hinc euenit, vt ex eius amore, atq; contemplatione, ad diuinitatem, aſſurgamus, non oporteat ei aliquid denegare, quia verus Deus eſt; nec aliquid ſuperaddere, quia Deus eſt, cui nihil addi poteſt.

Ex creaturis duplicitèr Deus cognoſcitur.

Chriſtꝰ quo modo nobis factus eſt via in cælũ.

Alij exiſtimant, Chriſtum initiaſſe nobis viam nouam in ipſa glorioſa aſcenſione in cælum, vt vult Cornelius, locum citatum D. Pauli ita exponens: *Hic enim introitus non eſt aliud, quàm via in cælum. Via enim in cælum eſt initium introitus in cælum, & introitus in cælum eſt complementum viæ in cælum.* Hanc viam, quam Chriſtus, initiauit introeundo in Sancta Sanctorum, id eſt, in cælum, vocat D. Paulus nouam & viuentem: quia illa Chriſtus innouauit, primus calcauit, iniuit, dedicauit, alijſque communem fecit; & ſic illam nobis ſtrauit, ac peruiam reddidit, vt via ipſa ſit, felix in cælum introitus, aut introitûs initium. Hæc noua via in cælum profundè appellatur viuens; id eſt, multis viatoribus frequens: nam multitudo viatorum viam quodam modo viuentem reddit. Ita exponit S Anſelmus: *Initiauit* inquit *nobis viam nouam, & viuentem, id eſt, durabilem, & manentem, atq; nos ſanctificatos expectantem. Vel viuentem: quia omnes; qui intrant, viuere facit. Viuentem, quia nullus per eam ingreditur, niſi quem vita ducit. Vel potiùs viuentem: quia hæc via viuens, & animata, eſt caro Chriſti; Chriſtus autem de ſe dicit: Ego ſum via; veritas, & vita.* Optima equidem vita, viuens, & animata, quæ ad vitæ æternæ cæleſtem patriam, non tàm ducere; quàm potiùs portare videtur.

S. Anſelmꝰ

S. Bruno.

Sed ſcopum mihi præ omnibus tetigiſſe videtur ſanctus Bruno, qui curioſiùs inueſtigans, quandonam Dominus Ieſus per carnem ſuam initiauit nobis viam nouitatis, & vitæ, an dum caro mortua eſſet, in cruce? & reſpondet: *Carnem dico & ſanguinem, ſpecie panis velatam.* Quaſi diceret: non carnem mactatam in cruce, ſed carnem viuentem in Euchariſtia proponit nobis ad initium vitæ. Licet enim Redemptor noſter morte ſua nobis comparauerit vitam, & ſalutem; tamen vitâ ſuâ melius nos docuit ire in vitam, & oſtendit Deo placentem vitam. Dominus itaq; Ieſus, hoſtia incruenta hodiè Patri æterno ſiſtitur, in templo præſentatur infans, qui poſtea vir in Euchariſtia oblatus eſt, vt nos ad ſumendam deuote in templo ſancto Euchariſtiam alliceret, vt ſic vitam conformem viuenti Chriſto in Euchariſtia geramus, illumq; ipſum tanquàm theſaurum inappretiabilem poſſideamus.

Cornelij expoſitio.

Iſaiæ 6.

Tandem Chriſtus in templo à Virgine Deipara voluit præſentari: quia erat verum lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; ideoque ipſo Purificationis die aris ſiſtitur, vt tanquam lumen ſalutiferum homines non abſumat; ſed potiùs vt mundum vniuerſum à peccatis purificet. Sic de illo vaticinatus eſt Iſaias cap. 6. *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Quibus verbis Chri-

Chriſtum venientem in templum lumen A vocat, iubetq; Hieroſolymitanos ſurgere, & à tàm deſiderato lumine illuminari. Eruberſcite hic rerum naturalium curioſi inueſtigatores, qui ſenſum à vehementi ſenſibili, ſi fuerit approximatum, lædi affirmatis, v. g. additum à vicino tormentorum beatu, pupillam à radijs ſolaribus, ſi quis eum clarè lucentem diutiùs irretortis oculis intueatur, cùm Propheta Domini non iubeat Hieroſolymitanos tanti luminis cauere vicinitatem, non iubeat timere à flammis ſuperni luminis in templum venientis. Equidem magna differentia inter lumen B materiale ſolis cæleſtis & lumen ſpirituale ſolis iuſtitiæ, Chriſti infantis. Sol cæleſtis ſi in eodem ſigno diutiùs conſiſteret immotus, terram ex mente Philoſophorum nimio calore exureret, ſol autem Iuſtitiæ Chriſtus Ieſus, quò diutiùs in homine permanet, eò magis illum ſuo lumine perficit, & in virtutibus fœcundum reddit: quia lumen hoc, quod aris diuinis hodiè ſiſtitur, quod hodiè ad immolandam Patri incruentam hoſtiam accenditur, non eſt in hominum combuſtionem; ſed in luſtrationem, in purificationem, in illuminationem. Auſcultate S. Ambroſ. D. Ambroſium lib. 1. epiſt. 3. vbi de hodierno lumine ita dicit: *Illi ſoli igni te offer, qui culpam, non hominem exurit. Quæ ſit iſte ignis, audite dicentem eundem S. Doctorem: Quia Ieſus baptizat in Spiritu ſancto, & igni. Hic eſt ignis, qui ficcauit Hemorroiſſæ per duodecim annos ſanguinem profluentem. Hic eſt, qui peccatum Zachæi abſtulit. Hic eſt ignis, qui abſterſit culpam Latronis. Ignis enim conſumens eſt, qui dixit: Hodie mecum eris in paradiſo.* Neſcit profectò lumen ſalutis noſtræ, ignis charitatis æternæ homines; ſed ſola peccata, ſolam malitiam conſumere, dùm homines illuſtrat, & purificat.

Accipite vlterius documentum iſtius veritatis: ita enim de hodierno lumine, D hoc eſt, de infante Ieſu in templo præſentato dicit Euangeliſta Lucæ 3. *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ecce lumen ad reuelationem gentium, ecce ignis æternæ charitatis flammam in cordibus hominum accendens, ad hoc ſolum tendit, vt ſolas paleas exurat, aridas vitiorum ſtipulas conſumat; homines verò illuſtret, & purificet. Pulchrè ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 39. in ſancta lumina, ait: *Iam, quid ventilabrum ſignificat? Purgationem: Quid ignis? leuitatis conſumptionem.* Profundiùs adhuc Nicetas eius Scholiaſtes loquitur: *Ventilabrum porrò purgationem ſignificat, ignis autem conſumptionem deſignat, ſordes eorum, qui purgantur abolentem, & quod leue, & vitioſæ naturæ eſt, repurgantem.* Infans igitur Ieſus, qui tanquàm lumen hodiè Patri luminum, & tanquàm ignis holocauſti in templo præſentatur, non aliò tendit, niſi vt ſolas paleas conſumat, ſolas peccatorum maculas abradat, mentes hominum purificet, ac totum orbem terrarum illuſtret. Hæc eſt mens D. Cyrilli Alexandrini ſuper c. 3. Malachiæ. vbi explicans illa verba: *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis*; ita dicit: *Prædicit vtiliter quodam tempore affulſurum Chriſtum, qui peccatum omne noſtrum è medio tollit, & ſacerdotes ſuos puriſſimos reddit, eoſq; vt aurum, aut argentum in igne probat, ſiue probatos, & illuſtres reddit.* En qualis ignis rutilat hodiè in templo Hieroſolymitano, quale lumen aris diuinis ſiſtitur, nimirum infans IESVS, ignis aſtantes recreans, nemini nocens, & mirificè votis hominum applaudens.

Gregorius Nazianz.

Nicetas.

Malach. 3.

Lucæ 3.

Auditis iam tribus de cauſis, infantem Ieſum in templo præſentatum eſſe. In primis, quia venit in redemptionem generis humani, quæ in templo ſancto conſummari debuit mediantibus Sacramentis. *Præterea*, vt nos æternæ damnationi deſtinatos, vinculis perpetuæ ſeruitutis abſolueret. *Tandem*, quia verùm erat lumen, quod ad ſacrificia peragenda ſummè neceſſarium eſt. igitur grati, ac memores tanti beneficij poſtulemus ab illo hodiè illuminari, ne in tenebris, ſed in lumine ambulantes, cùm deſtinata ab alto venerit hora, cum iuſto Simeone, in pace, hoc eſt, in gratia ſancta ex hoc ſæculo dimitti, & in lumine eius videre lumen mereamur.

SVPPLEMENTVM CONCIONVM

Pro Festiuitatibus SANCTORVM,

DIE SANCTI IOSEPHI.

IOSEPH autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere, eam. *Matth. 1.*

Aperiuntur tres rationes, propter quas Deus turbationem, & timorem in SS. Iosephum immiserit.

POsset forsan non nemo succensere Sancto Iosepho, quòd videatur mali aliquid de Sanctissima Dei Genitrice suspicatus fuisse, de eiusque integerrima virginitate dubitasse, cum eam voluerit dimittere. Hinc Nicephorus lib 1. Nicephor. S. August. histor. Ecclesiasticæ c. 8 & D. Augustinus epist. 54. ad Maden. ita de illo scribunt: *Ioseph cùm virginem nihil aliud; quàm adulteram credidisset, punire eam noluit, nec approbator flagitij fuit.* Verùm, absit hanc iniuriam SS. Dei Genitricis sponso attribuere: nihil ille de Virginis puritate dubitauit. Sic censet S. Hieronymus super cap. 1. Matthæi. *Quia* inquit *cùm Ioseph sciret summam illius castitatem, & quod euenerat, miraretur, silentio celare melius esse duxit, cuius mysterium nesciebat; ac ne sibi fortassis fœtus ille tribueretur, humiliter recedere volebat.* S. Hieron. Haymo. Comprobatq; Haymo, serm. de vigilia Natiuitatis Domini, ita ratiocinando: *Quæritur, si inuenta est à Ioseph habens de Spiritu Sancto, cur dimittere eam voluit? ideò scilicet, quia nec totum sciuit, nec totum ignorauit: nouerat in vtero habentem non de carnali concubitu, sed spirituali virtute, de quo verò spiritu conceperat, ignorabat; quod ei aperitur, quasi nescienti.* Et profectò cùm tanta esset Virginis puritas, vt eam etiam suo aspectu, in intuentium se oculos iacularetur, nemoque esset, qui aliquid inhonesti de illa cogitare posset. Multò minus S. Ioseph talia suspicari poterat, qui & purissimus erat, & experimento didicerat, semper maioré in se Virginitatis amorē ex Mariæ consortio excitari. Sic de illo fatur S. Bonauentura in speculo Virginis cap. 15. in fine. *O ineffabilis* inquit, *laus MARIÆ! magis credebat Ioseph castitati eius; quàm vtero eius, & plùs gratiæ, quàm naturæ; plus credebat mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare.* S. Bonau. Insuper quoniam Deus adeò immaculatam Virginis puritatem adamauit, vt S. Ambrosius lib. 1. in Lucam, meritò dixerit: *Maluit Deus aliquos de sua generatione, quàm de Matris puritate dubitare.* S. Ambros. Ergo non videtur consentaneum, quòd Deus in S. Iosephum voluerit permittere dubium de eadem Virginis pudicitia, cùm hoc plurimum derogare videatur authoritati S. Anselmi, qui hoc asserit, quòd decebat Virginem eâ puritate nitere, quâ maior sub Deo nequit intelligi; at verò maior puritas in Virgine intelligitur, si neq; minima suspicione S. Iosephi labefactata fuit: proinde ab hac suspicione omnino vindicanda est. Neq; sanè moueat quempiam, quòd S. Ioseph voluerit dimittere Virginem: hoc enim non fecit ob vllam suspicionem, sed ob reuerentialem timorem, quòd se indignum reputauerit tantæ Virginis consortio, quam prolem quidem diuinitùs concepisse cogitabat, sed nullum determinatum ferebat iudicium. S. Anselmus. S. Ioseph ob reuerentialē timorem Virginē dimittere voluit. Hoc palam fatetur ipsamet SS. Virgo l. 7. Reuelationum S. Birgittæ, cap. 35. vbi sic loquitur: *Sed postquàm consensi nuntio Dei, Ioseph videns vterum meum virtute Spiritus sancti intumescere, expauit vehementer non suspicans contra me aliquid sinistrum; sed recordatus dicta Prophetarum prænuntiantium, Filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali seruire matri, donec Angelus in somnis* Lib. 7. Reuel. S. Birgittæ.

in somnis præcepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare. Cùm ergo Ioseph recordatus dicta Prophetarum prænuntiantium, Filium Dei nasciturum de Virgine, videret Virginem Mariam tot virtutibus insignitam, & miraculo efflorescentis virgæ sibi in sponsam consignatam, facilè poterat conijcere, hanc esse illam Virginem, de qua oraculum Isaiæ locutum est: *Ecce Virgo concipiet*; & ideò ob reuerentialem timorem ab ea recedere cogitabat; quomodò etiam Petrus aliquando ob humilitatem Christum allocutus est, Lucæ 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Lucæ 5. Quod ingeniosè trutinat Gerson 3. p. operum, serm. de Natiuitate Virginis Mariæ, ita loquens: *Turbatus* inquit, *Ioseph ad stupendum tantæ nouitatis miraculum, ita, vt nollet Mariam traducere; non tamen conturbatus, vel culpabiliter incredulus: sed stupor quidam apprehenderat eum, sicut de Petro legimus, dum ait ad Iesum: exi à me Domine, quia peccator sum, Ioseph similiter coniungi coniugio tàm excellentissimæ Virginis Mariæ, indignum se iudicabat: propterea non ex credulitate suspiciosa, sed ex profundissima humilitate, videtur Mariam traducere noluisse, sed quasi dixisse: exi à me Domine, quia peccator sum.* Gerson. Lucæ 1. *Hinc Angelus ad eum: Ioseph fili Diuid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, non dixit, noli incredulus esse.* Non C mouear deniq; illud, quòd Angelus volens excusare Virginem, & suadere Iosepho, ne ab ea recederet, hanc adduxerit rationem: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Nam Angelus ideò dixit: Ne timeas accipere MARIAM, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, vt diuino testimonio omnino certum redderet Ioseph, de Filio Dei incarnato, & de munere nutritij, seu putatiui patris, ad quod munus ipse electus erat, vt constat ex illis Euangelistæ verbis: *Pariet Filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Considerabimus igitur, cur Deus hanc turbationem, & timorem reuerentialem in S. Iosephum immiserit.

Fateor iustè inquiri causam, cur Deus tantam turbatiouem, & timorem, reuerentialem in Iosephum immisit, cùm B. Virgo summopere diligeret Iosephum; talis autem amor videbatur eam impellere ad secretum pandendum: nam verus amor facit, vt cordis arcana manifestentur. Hinc illa Dalilæ querimonia de Samsone: *Quomodò dicis, quòd amas me, & tertiò mentitus es mihi.* Iudic. 16. Iudicio 16. Alia versio legit: *Quomodò dicis, quòd ames me, cùm animus tuus non sit mecum.* Argutè satis: non dixit *secretum*, sed *animum* quasi impossibile reputans, vt vbi non communicatur secretum, communicetur animus. Hinc si amor verus, si verè amicum diligimus, & vt talem habemus, statim ei secretum aperimus: ergo si Virgo Beata verè diligebat Iosephum, quomodò illi tantum secretum non aperuit? Verùm prudenter Virgo Sanctissima silentio texit, quòd de Spiritu sancto concepisset. in primis, vt doceret, non spectare ad homines in illis rebus se ingerere, quæ à diuina prouidentia immediatè diriguntur, cuiusmodi est mysterium Incarnationis; ideò B. Virgo secretum hoc absconditum apparere non audebat, soli Deo reuelandum tribuens, cùm illud non nisi ex diuina reuelatione innotescere potuerit. Quod sic deduco: quia mysterium Incarnationis non potuit completè cognosci, nisi cognito mysterio Trinitatis: nam cùm Filius Dei incarnatus sit, non potest cognosci, nisi cognoscatur Pater, à quo genitus est. Deinde, cùm Filius Dei humanam carnem, ex Virgine operâ Spiritus sancti susceperit, euidenter sequitur, quòd Christi Incarnatio completè nequeat cognosci, nisi simul Spiritus sanctus cognoscatur. Licet enim, si quispiam cognosceret, Christum fuisse conceptum, & natum ex Virgine, sine operâ viri, cooperante Deo, cognosceret quidem, quod per se attinet ad Incarnationem Filij; non tamen completè cognosceret, quoad illam circumstantiam, quòd nimirum fuerit conceptus ex Spiritu Sancto. Mysterium Incarnationis non potuit cognosci, sine mysterio Trinitatis.

Ad solùm igitur Deum pertinebat mysterium tantum, quod iam antea S. Elizabethæ reuelauerat, Iosepho patefacere, quo ei copiosiorem præ alijs hominum filijs gratiam conferret. Ex gradu gratiæ sumunt Theologi in cælis gradum visionis: quia ad maiorem gratiam, maior ibi diuina visio correspondebit, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 2. ar. 8. Ergo à posteriori, qui maiora scit de Deo, cui maiora ex iustitia reuelantur mysteria, maiorem siue dubio possidet gratiam. At cui vnquam Angelorum, aut hominum, excepta Virgine SS. reuelatum fuit de Deo ex iustitia, sicut Iosepho sanctissimo? Licet enim Deus Angelis statim à principio creationis, futuram sui Incarnationem quoad substantiam reuelauerit; modum tamen eius nemini; quem admodùm Iosepho, & Virgini Sanctissimæ: ita vt ex hoc ipso summam Iosephi sanctitatem D. Bernardus rectè colligat, serm. de S. Ioseph ita loquens: *Prorsus* S. Bernard. Soli S. Iosepho mysterium Incarnationis à Deo quoad modum reuelatum fuit.

filius

filius Dauid non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione, quem tanquàm alterum Dauid Dominus inuenit secundùm cor suum, cui tutò committeret sanctissimum, atq; sacratissimum sui cordis arcanum, cui tanquàm alteri Dauid incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo Principum huius sæculi agnouit; cui demiq; datum est, quod multi Reges, & Prophetæ, cùm vellent videre, non viderunt, audire, & non audierunt, non solùm videre, & audire, sed etiam portare, deducere, complecti, deosculari, & nutrire, & custodire.

Imò, si à contrarijs voluerimus argumentari, facilè deprehendemus, supra omnes Angelos gratiam beatissimi Ioseph fuisse, quoniam ei Deus manifestauit illud secretum, quod maximoperè primò Angelorum abscondere appetijt; cùm ea sit Dei natura, atq; propensio, amicis sua mysteria reuelare, inimicis eadem occultare, & quò quis magis amicus, eò plus se in eum diffundere; quò autem magis inimicus, eò plus se illi abscondere. Vndè dicit Iob cap. 35. *In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat, annunciat de ea amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.* Vbi per *lucem*, cæ-lestem beatitudinem, Dei visionem, eiusque occultissima mysteria intelligit, quæ non nisi amicis patefacit, & reuelat. Quasi palam faciens, hæc diuina dona, amicorum, non inimicorum possessionem esse. Quemadmodùm exponit D. Gregorius, sic loquens: *De hac ergo luce æternæ patriæ, amico suo Deus annuntiat quod possessio eius sit*: & ideò eam in manibus abscondit, ne omnibus sit peruia, ne ab inimicis videatur. Diuinum igitur lumen, quo quispiam magis amicus est, eò fusiùs illi clarescit; & quò magis inimicus, eò plus obtenebrescit. Cùm igitur, diabolus esset capitalissimus Dei hostis, ideò DEVS maxima mysteria, nimirum suæ Incarnationis, mortis, & Mariæ Virginitatis, ita in manibus suis abscondit, omniq; cura, ac diligentiâ, à Principe tenebrarum obtexit, vt nihil penitus de illis sciret Auctore S. Damasceno Orat. 3. de Natiuit. Virg. *Vnum itaq; ait, ex ijs, quæ quàm maximè silebantur, ortus ipsius miraculum erat, quod quidem quo tempore humanam naturam suscipiebat, paucis exceptis, omnibus incognitum erat, & Principem huius sæculi latuit, Mariæ Virginitas, ipsiusq; partus, itemq; Christi mors: nam tria clamoris mysteria, in quiete, & silentio acta sunt.* Vbi virginitatem Mariæ, Christi natiuitatem, eiusq; mortem, vocat. S. Damascenus mysteria clamoris, quia sunt exclamatione digna, & omnium acclamationibus prædicanda.

Dei amicis sua secreta reuelat inimicis occultat.

S. Gregor.

S. Damasc.

Diabolus quia maximus Dei hostis, maxima mysteria ignorauit.

Atq; hinc facilè iam possumus concludere, Beatissimũ Ioseph supra omnes Dei amicos sublimatum esse, cùm nulli vnquàm Deus mysterium suæ Incarnationis ita ineffabili modò reuelauerit; quemadmodùm ipsi: imò eius gratiam, esse, supra omnem supremorum Angelorum gratiam: quoniam illi reuelatum est altissimum illud Sacramentũ, quod summo Dei inimico occultatum erat, qui supremus exciterat in gratia Angelorum. Vt non immeritò affirmare audeam, Beatissimo Ioseph illam gratiam fuisse datam, quæ à supremo Angelo ablata erat, in eiusq; locum Sanctissimum Ioseph succesisse, & ipsius sedem obtinuisse. Proinde sicut Lucifer primus inter Angelos, primam ac superiorem omnium gratiam obtinuit; ita Ioseph Principem in domo sua constituens Deus, Luciferi principatum in eum transtulit, quando humiliter credidit Angelo mysterium Incarnationis annuntianti, quod superbus Lucifer adorare noluit, ipsomet Deo reuelante.

S. Ioseph locum supremi Angeli in cælo obtinet.

Quòd si S. Thomas, verba illa Apostoli 2. ad Corint. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti*, explicans, asseuerat, Deum vnicuiq; creaturæ dare sufficientia requisita, quibus possit consequi perfectionem suæ naturæ, & ideò eligens quempiam ad aliquem statum, sufficientem illi confert gratiam, ad perfectionem illi statui debitam consequendam, ita concludens: *Cuilibet rei dat ea, per quæ possit consequi perfectionem suæ naturæ: vnde quia Deus instituit ministros noui testamenti, dedit eis idoneitatem ad hoc officium exercendum.* Considerate altitudinem status Beatissimi Iosephi, & si ex illa, gratia est mensuranda, concludite eam prorsùs infinitam fuisse, quoniam ad paternitatem putatiuam Christi electus est, quo nulla maior dignitas. Quemadmodùm enim sanctissima Virgo verè fuit mater Christi, quem concepit operâ Spiritus Sancti; ita planè Beatissimus Ioseph verè fuit Pater Christi, quoad dignitatem, licet eum non genuerit. Quod ingeniosè tetigit D. Bernardus serm 45. in Cantic. scribens: *Locutio verbi, est infusio doni*: quasi diceret, Dei verba non solùm esse verba, sed etiam facta, siquidem efficiunt, quod loquuntur. Quod pulchrè elucidat S. Ambrosius lib. 1. Hexam. cap. 9. vbi explicans illa verba Psal. 32. *Ipse dixit, & facta sunt*, ait: *Non ideò dixit, vt sequeretur operatio, sed dictio absoluit negotium* Atq; hinc iam facilè possumus concludere, quoniam & Euangelista,

2. ad Corint. 3.

S. Thomas.

S. Bernard.

Psal. 32.

S. Ambros.

geliſta, & ipſa Virgo Deipara ex inſtinctu Spiritus ſancti, Ioſephum patrem vocant, Lucæ 2. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et iterum: *Erant pater tuus, & mater mirantes ſuper ijs, quæ dicebantur.* Beatiſſimum, non ſolùm nomen patris, ab incarnato Dei Filio accepiſſe; ſed etiam rem, & effectum, eodem ferè modo concipiendo Chriſtum, ac Sanctiſſimam Virginem.

Lucæ 2.

Rem ita ſe habere, ſic concipite. Auguſta Virgo magis conſenſu, voluntate: amore Chriſtum concepit; quàm materialia ſub miniſtrãdo, quando Archangelo tantum myſterium annuntianti: *Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, firmiter credidit reſpondens: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quaſi diceret: fiat Verbum caro, & ſtatim factum fuit: in eodem enim momento Ieſus conceptus fuit de Spiritu ſancto ex Maria Virgine: & ſic voluntate, amore, conſenſu mater Chriſti effecta eſt Virgo, eum concipiendo. Conſiderate ergo nunc, idem Angelus hoc ipſum Incarnationis myſterium Ioſepho reuelauit, dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Conſenſit Ioſeph, volenſq; Verbi Dei conceptum in Virgine, Pater Chriſti fieri meruit. Vnde verba illa Angeli: *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, perinde intelligi poſſe de S. Ioſepho, ac de ipſa Virgine, cenſent non pauci. Obumbrauit Virgini virtus Spiritus Sancti, ſine virili ſemine ex illa concipiendo; obumbrauit quoq; & S. Ioſepho, ſine eius opere virtutem illi tribuendo, eiuſque actum fœcundando, vt ſi conceptus non eſſet Dei Filius, concideretur. Audite Rupertum de gloria & honore Filij hominis, ſuper illa verba, *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ*, ita diſcurrentem: *Virum Mariæ cùm dicit, magnum, & verum nomen Beato Ioſeph attribuit, quia ſi eſt vir Mariæ, eſt & Pater Domini.*

B. Virgo voluntate & conſenſu Chriſtũ cõcepit.

Rupertus.

Immiſit præterea Deus hanc turbationem in Sanctiſſimum Ioſephum, quia optimè nouerat, ex tali timore, tanti myſterij veritatem, vniuerſo mundo magis diuulgandam, quæ repetito Angeli teſtimonio comprobanda erat. Si enim ſanctus Ioannes miſſus erat in mundum, vt teſtimonium perhiberet de Chriſto, quòd eſſet verus Dei Filius; ita S. Ioſeph in putatiuum Chriſti patrem aſſumptus eſt, vt diuinæ Incarnationis myſterium toti mundo patefaceret. S. Ioannes electus fuit ſolùm ad Chriſti aduentum annuntiandum S. autem Ioſeph etiam ad modum iſtius aduentus aperiendum, ſine quo prædicatio Ioannis minimè fidem habuiſſet: niſi enim priùs creditum fuiſſet, illum hominem de Spiritu S. eſſe conceptum, minimè S. Ioannes Chriſtum mundo annuntiaſſet. Et ideò ad maius miniſterium electus eſt Sanctus Ioſeph; quàm S. Ioannes, vt nimirum teſtis Verbi diuini Incarnationis, ſimulq; Virginitatis Mariæ, ac totius myſterij diſpenſationis fieret. vt ingeniosè obſeruat ſanctus Chryſoſthomus hom. 42. in Matthæum, ſuper illa verba: *Ioſeph autem cùm eſſet iuſtus*, ita diſcurrens: *Poſtquàm dixit, quòd eſſet de Spiritu Sancto, & abſq; vlla mixtione ſexuum, ſermonem ſuum etiam aliunde confirmat, ne enim aliquis diceret, & vnde hoc poteſt eſſe manifeſtum? quis vidit? quis audiuit aliquando tale aliquid contigiſſe; neq; putaret diſcipulum quaſi gratificatum Magiſtro, iſta contingere introducit Ioſeph ex his, quæ paſſus eſt, fidem dictis per cuncta facientem, vt planè hinc dicere Euangeliſta videatur: ſi non credis mihi, & teſtimonium meum tibi forte ſuſpectum eſt, crede igitur vel marito.* Atq; ſic Chriſtum de Spiritu Sancto, ac de puriſſima Virgine natum, illumq; verum eſſe Meſſiam, verum Dei Filium, ex teſtimonio Beatiſſimi Ioſephi habemus. Quòd ſi maiorem omnibus in ſanctitate Beatum Ioannem conſtituunt Doctores ex eo, quòd Chriſtum Deum eſſe prædicauerit, quis non fatebitur etiam ipſo Ioanne, maiorem in ſanctitate Ioſephum fuiſſe, qui Chriſtum non ſolùm Deum eſſe teſtatus eſt; verùm etiam de Spiritu ſancto, ac de Virgine conceptum, quod erat infallibile documentum venturi Meſſiæ.

S. Ioſeph ad altiꝰ miniſterium S. Ioanne electus eſt.

S. Chryſoſt.

Hinc incarnatus Dei Filius, ita Beatiſſimum Ioſephum adamauit, vt fabri filius dici exambiret, quia velut nobilis faber, omne hominum genus, ſecundùm diuerſorũ miniſteriorum occurrentiam, in multiplices efformat vſus, ita vt ex arbore ſtatuam efformare intendens, talem ei adhibeat manum, qualem requirit miniſterium. Sic cenſet Theophylactus Antiochenus lib. 1. Allegoriarum: *Filium* inquit, *fabri vel ab obtrectatoribus ſuis ſe Ieſus voluit vocari, quia ipſe conditor mundi Deus in principio fecit cœlum, & terram; & quia terrena nos docent, quæ ſunt cæleſtia, quaſi bonus animæ faber, ſpiritualis, vitia noſtra circumdolat, cito etiam ſecurim admouens arboribus infœcundis, ſecare doctus exigua, ſublimia ſeruare culminibus, rigida mentium ſpiritus igne mollire, & in varios vſus omne hominum genus, diuerſa miniſteriorum qualitate formare.* Egregiè profectò: ideò fabri filius Chriſtus dici voluit, quia ad inſtar fabri ſtatuas efformans, omne hominum

Chriſtꝰ cur fabri filius dici voluit.

Theophyl.

minum genus, aut circumdolando, si via adsunt grauia; aut secando, si leuia; aut seruando, si sublimia, id est, alta virtutum, & grandia inuenit, secundum diuersam ministeriorum qualitatem adoptat, & efformat: ergo talem statuæ admouet manum, talem illam efformat, qualem requirit ministerij vsus; & quantò hic excelsior; tantò & statua, tantò & efformatio, tantò & gratia maior.

Considerate, ad quàm sublime ministerium parabatur Beatissimus Ioseph, vt scilicet Christi nutritius, & immaculatæ Virginis Mariæ puritatis custos, ac fidelissimus testis esset. Sic de illo fatur Di- B
S. Bernard. uus Bernardus: *Thomas* inquit, *dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis, & Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusq; conuersationem tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.* Hinc licet mihi concludere, Sanctissimum Iosephum in prima sui sanctificatione, plus gratiæ accepisse, quàm quemquam hominum, & Angelorum. Ratio manifesta: quia ad altiorem gradum, & ministerium disponebatur; quàm Angeli, & cæteri homines, quoniam attingit ordinem vnionis hypostaticæ, qui summus habetur, & primus inter omnes ordines, tum naturæ, tum legis C
antiquæ, tum gratiæ. Ergo sequitur, quod Deus Angelis, & hominibus altiùs eum disposuerit. Et hoc facilè deducitur ex
S. Thomas. doctrina S. Thomæ, qui 3. p. q. 27. ar. 5. in corp. & ad 1. inquirens, vtrum B. Virgo plenitudinem gratiæ acceperit in prima sanctificatione, respondet: *Dicendum, quod quantò aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius*
S. Dionysius *principij.* Vnde S. Dionysius dicit cap. 4. cælestis Hierarchiæ, quòd Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participent de bonitatibus diuinis; quàm homines; Christus autem est principium gratiæ secundum diuinitatem quidem, D
authoritatiuè, secundùm humanitatem verò instrumentaliter. B. autem Virgo Christo propinquissima fuit, secundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; & ideò præ alijs maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere. Ergo iuxta D. Thomam tota regula sanctitatis Virginis, ex propinquitate ad Christum desumitur, qui est author, & fons totius gratiæ: quemadmodùm etiam tota regula Angelorum gratiæ, desumitur ex ordine ad propinquitatem cum DEO, quatenùs est fons omnis gratiæ. Ergo qui Christo propinquior est, qui illi fonti vicinior, ampliorem gratiam, ampliorem sanctitatem, & eminentiorem gradum possidet.

S. Ioseph in prima sui sanctificatione plus gratiæ accepit, quàm aliquis hominum, aut Angelorũ.

Cùm igitur sanctissimus Ioseph, post Mariam Christo propinquior fuerit, quis inficiabitur, illum in prima sui sanctificatione, maiorem omnibus gratiam accepisse? Quod inde deducit, D. Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 9. & S. Anselmus in elucidationibus, ostendentes, homines primò & per se non esse prædestinatos ad reparandas Angelorum sedes; sed æq; illos, & ratione sui. Vnde si nunquam peccassent Angeli; fuisset tamen prædestinatio hominum. Hinc probabile est, ruinas illas Angelorum restaurandas ab hominibus, non numericè, id est, quòd in loco vnius Angeli lapsi, vnus etiam homo collocetur; sed meritoriè, seu dignitate excellentiæ, ita vt per vnum sanctum, ratione meriti, gratiæ, ac gloriæ, possibile sit, plura occupari loca malorum Angelorum, debita eis excellentissimæ sanctitati, & merito. Quo supposito, quis non videt possibile esse, vt præter Sanctissimam Virginem, post illam, aliquis sit prædestinatus ad maiorem gloriam; quàm supremus Angelus, & ad reparandum simul illum locum, à quo primus cecidit. Siue ergo tenere volueri-
mus, ad restaurandas Angelorum ruinas, homines esse conditos, siue non; omninò tamen cùm primus ceciderit Angelorum, ad illum summum, & supremum locum, aliquis homo deuenturus est, qui inter Angelos sit primus, & quem nullus Angelorum adæquet. Quod cùm ita sit, cur non debeamus concludere, sanctissimo Iosepho, qui ita Christo vicinus, ita fonti illi gratiæ proximus est, illum locum datum esse, vt pote summæ eius sanctitati debitum.

Quomodò prædestinati ruinas Angelorũ restaurabunt.

Tertiò tandem, immisit Deus hunc timorem, & perturbationem in SS. Ioseph, vt nos eius silentio; quo mysterium Incarnationis premebat, vt docet S. Hieronymus, super caput primum Matthæi scribens: *Quia* inquit, *cùm Ioseph sciret summam illius castitatem, & quod euenerat, miraretur, silentio celare melius esse duxit, cuius mysterium nesciebat: ac ne sibi fortassis fœtus ille tribueretur, humiliter recedere volebat.* Vt inquam hoc silentio Iosephi, nos instrueret, non facilè aperienda esse dona, quæ nobis diuinitùs conceduntur, iuxta illud Tobiæ 2. *Sacramentum regis abscondere bonum* Tobiæ 12.
est. Hinc in sacra pagina commendatur Saul, quòd vnctus in Regem à Samuele, alto hoc silentio inuoluerit, dum interrogaretur

S. Ioseph suo silentio nos edocuit, dona Dei occultanda esse.

1. Reg. 10. rogaretur à patruo, primi Reg. 10. *Et dixit ei patruus suus, indica mihi, quid dixerit tibi Samuel: & ait Saul ad patruum suum, indicauit nobis, quòd inuentæ sint asinæ: de sermone autem regni, non indicauit ei, quem locutus ei fuerat Samuel.* Laudem ergo promeruit Saul, quia siluit, vt euitaret iactantiam, & humilitatem seruaret, vt vult Lyranus, & Abulensis in citatum locum, asserentes, in commendationem huius silentij, & in laudem ipsius Saul, Deum illa verba protulisse.
Lyranus Abulensis.
1. Reg. 15. 1. Reg. 15. *Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es.* Quod pulchrè figurauit Deus, ostendens Isaiæ illud mysterium, nimirum Seraphim stantes, su- B
per solium Domini, habentes alas sex, quarum duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, insuper duabus simul volabant. Per illam visionem palam faciens, magno studio velanda esse cælestia dona, vt possit quis in virtutum progressibus volitare.

Et certè Sacramentum profundum S. Iosepho fuit reuelatum, quòd scilicet priuilegium haberet imponendi nomen Iesus, quod nomen diuino decreto fuit
Ad Philip. 2 prædefinitum, teste S. Paulo ad Philip. 3. *Dedit illi nomen, quod est supra omne nomen.*
S. Cyrillus. Quod S. Cyrillus lib. de fide ad Theodosium in hunc modum enucleat. *Quando C ergo* inquit, *vnigenitus Filius, qui Patri coæternus ante omnia sæcula extitit, nouissimis temporibus homo factus, & ex muliere natus, & filius declaratus, & primogenitus appellatus, & inter multos fratres numeratus est, tunc ille quoq; qui secundùm naturam Pater est, patris leges, vt ita loquar, secutus, nomen hoc præsiniuit.* Quod ipsa ratio
Nomen Iesus Saluatorem significat. manifestè suadet, quia cùm ad saluandas gentes in humana natura assumpta, ab æterno Patre mitteretur vnigenitus Patris Filius, debuit etiam ab eodem definiri nomen, quod tanto muneri conueniret, vti est nomen Iesu, quod sonat Saluatorem. Tum, quia conueniebat, vt huiusmodi nomen diuina authoritate insigni- D
retur, vt sic ad maiorem eius venerationem homines traherentur. Licet ergo multis de causis decebat, vt nomen hoc diuino decreto prædefinitum, ipsa Virgo Deipara, Filio Dei, quem in tempore pepererat, imponeret, vt sic diuino mandato per Angelum promulgato obtem-
Lucæ 1. peraret, Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Nihilominùs etiam in consortium huius nominis impositionis, vocatus fuit Beatissimus Ioseph, Matth. 1. vbi Angelus sic eum allocutus est: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis*

S. Chrysost. *eorum.* Ex quo loco S. Chrysost. hom. 4. in Matth. Angelum ita loquentem cum Iosepho introducit: *Non quia ex Spiritu S. est, idcirco te à ministerio tantæ æstimo dispensationis extraneum: nam licet nihil habeas in hac generatione commune; tamen quod est proprium patru, quodq; nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facilè concedo, vt scilicet nato nomen imponas; quanquam enim non sit filius tuus, tu tamen curam erga illum, & solicitudinem ostendes parentis; & propterea te illi, ab ipsa statim nominis impositione approprio, familiaremq; facio.*

Primariò igitur conueniebat Virgini Mariæ, tanquàm iure materno, ista nominis impositio, quæ ad parentes primariò solet spectare: cùm enim Virgo solæ fuerit verè parens Christi, ideò primariò hoc illi conueniebat; secundariò tamen etiam Sanctissimo Iosepho idem priuilegium concessum erat propter MARIAM. Quoniam sicut Christus voluit se subijcere in exemplum humilitatis, & obedientiæ, primariò Virgini Matri, & propter eam etiam Iosepho. vt rectè obseruat S. Bernardus homil. 1. supra *Missus est*, vbi dicit: *Ille cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed etiam Iosepho propter Mariam.* Ita pariter nomen Iesu volu- C
it accipere à Maria primariò, & propter eam etiam à Iosepho. Sciebat quippè Deus gratissimum fore Virgini Matri, vt Ioseph dilectissimus eius sponsus, tàm honorifica auctoritate dignaretur. Quòd si Paulus vna voce Christi, *vas electionis effectus est.* Quid Sanctissimus Iosephus tantis priuilegijs à Deo donatus? In faciem Moysis non poterant intendere filij Israël, cùm descendens de monte Sina, splenderet ex consortio Dei, licet ille non Dominus, sed Angelus fuerit, & consortium non plus; quàm quadraginta dierum: quantùs obsecro erat splendor gratiæ Beatissimi Iosephi, qui non per dies, sed per annos, cum vero Domino conuersatus est.

S. Bernard. S. Ioseph in vltima cœna Verbum Dei concepit.

D. Ioannes semel tantùm in vltima cœna supra pectus Christi recubuit, & ita diuinis affectus erat splendoribus; vt non secùs ac Maria Verbum conciperet, ipsumq; Verbum promeret, vt eruditè obseruat Rupertus in prologo in Ioan-
Rupertus. nem, vbi affirmans Euangelium Ioannis, esse illam pretiosam margaritam, pro quæ omnia vendenda sunt, ita discurrit: *Hanc animarum verus amator Deus, dilectæ Ioannis animæ pro monumento dilectionis præcipuè fixit in pectore, vt Verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne ipsius, huius socia virginitatis, præ omnibus*

Sanctis, viua mortalibus promeret voce. Et postea explicans illud: *In principio erat Verbum*, deducit ita tunc Sancti Ioannis animam Verbo diuino fœtam fuisse, atque ipsius Mariæ Virginis corpus: *Ecce* inquit, *veritas, quæ de terra orta est, carnem de Virgine assumens, vt nos à diabolo liberaret, eadem de Virginali Ioannis anima generatur, vocem corpoream induens, qui enim de corde suo verbum bonum eructauit in vterum Virginis, vt Deus inuisibilis, visibilis & verus homo fieret, iste castis complexibus suus dilecti Ioannis animam eodem Verbo impregnauit, vt verbum ineffabile, per vocem literamq; eius audibile, & intelligibile procederet.* En, quanta ex vnico Christi contactu Ioannis dignitas? Pater Christi effectus est, quia supra caput eius recubuit. Quid dicemus de sanctissimo Iosepho, qui eum & in pectore, & in brachijs, & in vlnis suis toties fouit, tulit, portauit? si Ioannis anima diuino fœtu est fœcundata, eò quòd solùm in pectore recubuerit, quid anima Iosephi, cum quo, & apud quem, toto non semel recubuit pectore, & totâ animâ? cum quo tot annorum sancta colloquia habuit? Vnde de illo dicit Gerson serm. de Natiuit. Viaginis, quem habuit in Concilio Constantiensi: *Sicut decuit, vt Virgo summa puritate niteret; sic decuit, vt haberet suo modo parem sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret, vterq; regali progenie illustru, vterq; sanctificationem in vtero reci-*

Gerson.

piens, cum Maria gratia plena fomitem reprimente, mansit Ioseph peccatum mortale quodlibet superante.

Ecce igitur habemus tribus de causis, turbationem & timorem in Sanctissimum Iosephum à Deo fuisse immissum. In primis, quia solus Deus voluit illi mysterium suæ incarnationis reuelare, ad quod nulla creatura etiam præstantissima sufficere potest, iuxta illud: *generationem eius quis enarrabit?* Præterea, vt ex hoc timore tanti mysterij veritas magis diuulgaretur. Tandem, vt nos edoceret dona diuinitùs concessa, silentio inuoluenda esse. Cùm ergo Beatissimus Ioseph tantam prærogatiuam habeat apud Deum, vt & in terris fuerit omnibus hominibus eminentior, & in cælis tàm Angelis supremis; quàm sanctis omnibus sublimior, ita vt primum locum Iesus, secundum Virgo Maria, tertium Ioseph occupet: hi enim tres fuerunt in terris. præclara prima Trinitas; secunda verò in cælis est excelsa, adorata ab Angelis, collaudata à sanctis. Ad illum ergo confugiamus hodiè, vt qui in terris nutritius Christi fieri meruit, in cælis cum Virgine Sanctissima, eiusdem Christi gratiam, misericordiam, & protectionem nobis imploret.

DIE SANCTI ADALBERTI.

Ego sum Pastor bonus.

Martyribus debetur titulus boni pastoris ob imitationem Christi passionis, & excellentiam martyrij à Christo dignificati.

SI vniuersum hoc diuinâ prouidētiâ ex nihilo productum mirabiliter, eiusque Sapientiâ dispositum suauiter, considerare voluerimus, multa ex rebus creatis ab ipso creatore collaudata, & titulo bonitatis cohonestata comperiemus. Quippè statim post conditum Orbem, post condita vniuersa animalia, dicit sacer textus, Genes. 1. *Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona.* Bone Deus, vtiq; tunc non fugiebat Deum imminens malitia hominis, qui breui post suam creationem, inter delicias paradisi, à primæua innocentia recessurus, & inaccessam Dei maiestatem grauiter læsurus erat, vt ingeniosè ob-

Genes. 1.

Rupertus.

Diuinus oculus nescit nisi bonum videre.

Ita

Theodor.

Ita Sapienter resoluit Theodoretus hom. 2. de Natiuit. quæ habetur tom. 6. Concilij Ephes. cap. 10. vbi dicit: *Omnia proinde, quæ aspicis, oculo à perturbationibus immuni aspice, & vt Deus videbit omnia esse valdè pulchra. Abijce passionem, & summum mox in Dei opere decorem, & venustatem comperies.* Si enim oculus tuus fuerit simplex, diuinaq; luce plenus, nihil non bonum, & splendidum ac venustum in alijs videbis: quoniam ex qualitate videntium prouenit, quod bona, aut mala videantur, Deo autem pleni oculi etiam inter malitiæ fæces nihil mali videut. Approximāte iam sua passione, dixerat Dominus se ab vno discipulorū discumbentium fore in mortem tradendum, Ioan. 13. *Itaq; cùm recubuisset Ioannes supra pectus Iesu, dixit ei, Domine quis est? respondit Iesus, ille cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam tunc introiuit in eum sathanas, & dixit ei Iesus, quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei.* Res stuporis plena: Dominus Iesus dixerat de traditione mox peragenda, imò interrogatus à Ioanne, intincto pane exhibito, traditorem illi designauit; & tamen dicit Euangelista: *Hoc autem nemo sciuit discumbentium.* Nunquid Ioannes non discumbebat? nunquid non interrogabat? nunquid non acceperat traditionis signum? nunquid non vidit Iudam signo notatum? Quomodò ergo potuit ignorare traditorem? ne miremini: erat Ioannes recumbens in pectore Iesu, totusq; eius sanctitate plenus, & ideò inter euidentissima signa malitiæ, adhuc non vidit, adhuc cæcutijt, ne mala, sed bona videret. Audite Theophylactum in hunc locum discurrentem: *Nunc ergo* inquit, *& Ioannes ignorabat eum? sancta quidem illa anima procul à tali impietate, neq; de alio tale quidpiam suspicata fuit.* Optimè equidem: sicut Ioannis oculi ab omni malitiæ infectione puri erant, sicut omni sanctitate inueniebantur plenissimi; ita neq; post exhibitum signum, neq; post demonstratum sibi à Christo proditorem, viderunt malitiam, sed adhuc æstimabant Iudam fidelem Christi sectatorem esse. Effuderat Maria Magdalena pretiosum vnguentum super caput Iesv, cumq; Iudas lucri cupiditate possessus, vnguenti effusionem acrius morderet, quòd non venditum pauperibus applicaretur, laudauit Dominus factum mulieris, respondens: *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me: nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quem obsecro verba hæc non emollijssent? quem non cohibuissent? Et tamen his auditis, addit Euangelista: *Tunc abyt vnus de duodecim, qui dicebatur Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* En post benignissima Christi verba, post euidentissimas rationes propositas à Iesu, vt animus Iudæ quiesceret, adhuc ille inflexus lucra quæsiuit. Proh rabidissima fames quærendi pecunias, & habendi! illis verbis restitit Iudas, quibus neq; ipsa monumentorum saxa restitêre. Eleganter id perstringit D. Chrysosth. homil. 64. in Ioan. *Nihil horum ferum animum flexit, licet ijs multò plura & diceret, & faceret IESVS, & pedes eius eadem nocte lauisset, & ad mensam secum adhibuisset: quod & latronum animos mulcere assolet, & alia verba locutus est, quibus etiam lapides mollire potuisset: sed aduersus omnia Iudas perstitit immobilis, grauis namq; morbus est auaritia.* Laudauit Deus multa & alia opera creaturarum; nusquàm tamen in scripturis legitur, suam bonitatem permutasse cum vlla creaturarum, propterea quòd solus Deus à seipso & essentialiter semper sit bonus; imò ipsius natura bonitas est, & fons omnis bonitatis. At verò homo à natura corrupta, & ex seipso malus est, Lucæ 11. nec potest fieri bonus, nisi per gratiam Dei, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, atq; deriuatur, tàm in homines, & eorum opera; quàm in alias creaturas, quatenùs bonitas illis tribuitur. Rem euidentissimo documento illustro: maior erat Christi sanctitas, maior bonitas; quàm omnium Angelorum, sanctorumq; hominum; & tamen Christus cuidam eum bonum appellanti respondit: *Quid me bonum dicis? nullus bonus, nisi solus Deus.* Matthæi 19. v. 17. indignè ferens, se bonum vt hominem dici, cùm esset Deus, vt ingeniosè ponderat Gaudentius Brixiens, Episcopus, homil. 7. ad Neophit. ita scribens: *Sed dicas* inquit, *Dei Filius perfectam bonitatem cum Patre, & Spiritu Sancto possidens, & vnam sciens esse bonitatem Trinitatis, sicut vnam diuinitatem, indignè tulit, bonum, se iuxta conditionem creabilium bonorum nuncupari, & ait: Quid me dicis bonum? id est, nolo dicas bonum, quem nescis, scito priùs qui sum, & cùm Deum verum cognoueris, amplector, vt dicas bonum, quia nemo bonus, nisi solus Deus.* Ergo Christus comparatione Dei bonitatis suam exclusit, quasi non esset, cùm esset talis ac tanta: quia licet propemodùm infinita; tamen

Theophyl.

Ioan. 13.

S. Ioannes quia in pectore Iesu recubuit, traditorem eius nō cognouit.

Deus à seipso & essentialiter.

Matth. 19.

S. Chrysost.

S. Gaudent.

cum addito: Christus enim erat & homo bonus, sed Deus sine addito. Si ergo cùm tanta sit Christi hominis bonitas, & tamen comparata Dei bonitati excluditur, apparere non potest coram illa celsitudine, est quasi non sit, lucet quasi non lucens, micat quasi non micans, quid dicemus de bonitate aliorum hominum, qui licet sint sancti, licet nescio quàm perfecti, licet magnis virtutibus clari, licet Dei summè amantes; in cõparatione tamen Christi hominis, vt vilissimi puluiscu-
Bonitas hominum respectu diuinæ quasi nihil. li reputari debent. Et nihilominus hodiernũ Euangeliũ Christi bonitatem sanctis martyribus attribuit: *Ego sum pastor bonus.* Cuius mysterij causas inuestigabimus.

Christum Dominum suæ bonitatis titulum, solis martyribus attribuere video, in primis ex hoc fundamento: quia bonitas diuina in vnitate naturæ indiuisæ fundatur, & immenso amore, qui Spiritus Sanctus est, velut indissolubili nexu constringitur. Deus enim qui
Deus adintra & extra seipsum communicat. vnus est in natura, trinus in personis, cùm sit infinitè sui ipsius diffusiuus, primò ad intra seipsum cum omnibus suis perfectionibus, communicauit Filio cœterno, quem sibi cœqualem genuit. Cum hoc in ipso æternitatis instanti, spirans Spiritum Sanctum, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam, totum se in eum effudit. Hic autem cùm iam non haberet, quod ampliùs in diuinitate producere posset, quoniam cum Patre & Filio vnus Deus est, suam creaturis vnitatem, & bonitatem communicare studuit.
Martyres ob imitationem Christi passionis boni pastores dicuntur. Cùm ergo solos Martyres videret, qui Christo imitatione passionis, & martyrij eius, conglutinari, & velut vnum cum illo fieri vellent, statim bonitatis suæ titulum eis contulit, & voce Christi bonos pastores nominauit.

Documentum huius veritatis sumite ex Diuo Paulo, qui ad Philipp. de sanctis Martyribus dicit: *Vobu donatum est pro Christo non solùm, vt in eum credatu, sed vt etiam pro illo patiamini.* Quasi diceret, vt exponit S. Anselmus, *Vobu donatum est, quasi præmium pro Christo, quem diligitu, non solùm vt in eum credatu, verùm etiam, vt pro illo patiamini, ad cu-*
S. Ambros. *mulum gloriæ.* S. verò Ambrosius his verbis citatum locum exponit: *Quanquam Dei gratiam extollat in omnibus, ad laudem tamen illorum proficit, quod dicit, quia Deus illu concessit pati pro Christo. Ideò dixit: pro Christo donatum est vobu: vt à Patre Deo donatum sit diligentibus Christum, vt ad augmentum meritorum*
Maximum Dei donum pro Christo pati. *suorum patiantur pro Christo.* Quid elegantius dici potuit? verbera, tribulationes, ac vincula pro Christo tolerata, donum Dei sunt, ipsiusmet Christi meritis comparatum. Donum, quo nihil maius, aut illustrius valeat excogitari, & si loqui fas est, donum quod ipsam diuinitatem præ se ferre videatur. Adeò quippè eorum, qui pro fide patiuntur, excelsum fastigium est, vt in eorum societatem, ac numerum se Dei Filius adiungat. Proiecti quondam erant in fornacem septuplum succensam tres pueri, vt pro nomine Dei inuocato, crudele martyrium paterentur. audite verba illius Regis, aut verius tyranni, quæ refert Scriptura Sacra Da- Daniel. 3.
niel 3. v. 92. *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignu, & species quarti similu Filio Dei*: Ergo tribulationum, ac laborum pro fide susceptorum, tanta dignitas, tantus honor est, vt vel hominem (si fas est loqui) quasi Deo supparem, siue Dei collegam; quo tanto splendore fulgeat, hominem faciat. Pulchrè
S. Chrysostk. id adnotante S. Chrysostomo, serm. de tribus pueris, tom. 1. *O quibus te incorrupta fides triumphu extendu. Adest tibi amica maiestas, vt innocentia liberetur. Patitur se Deus cum pueru in supplicio numerari.* Ponderate phrasim *numerari*, quæ idem sonat, ac si dicatur, Deum cum tribus illis pueris, numerum facere quaternarium. Quod non nisi de ijs, quæ eiusdem rationis sunt, seu quæ quandam seruant æqualitatis proportionem, dici potest.

Cùm ergo sancti martyres ita sint cum Christo conglutinati, vt vnum prorsus cum illo esse videantur, quis mirabitur, titulum illum Christi, *Ego sum pastor bonus.* Martyri applicari posse: quoniam quæ sunt indiuisa, omnia communia habent. Adeò, vt qui cum Christo, & proximo vnitatem non seruat, ad nullum prorsus opus bonum idoneus esse videatur. Sic docet Origenes homil. 3 in Leuitic. in- Origenes.
quiens; *Non enim accepta esse possunt Deo opera tua, nisi in pace peragantur*; Sicut & Iacobus Apostolus dicit, cap. 3. v. 18. *Fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus bonum.* Quæ verba Leo Papa serm. 10. de Quadragesima sic elucidat: *Quamuis magnum sit habere rectam fidem, sanamq; doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatu; nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionu partus ediderit.* Quod si ampliùs requiritis documentum: extat apud Ecclesiasticos scriptores, non secus, quàm electa columna, illa infelicissimi Sapricij historia, qui quòd à fraterna charitate

tate velut luxatum membrum diuulsus A bens: *Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? Tales etiamsi occisi in confessione nominu Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur.* E paulò post de discordia, ac odio contumaci in pectore durante subiungit: *Ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atq; vnanimes esse præcepit: dilectionis & charitatu fœdera incorrupta, atq; inuiolata seruari mandauit, exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tacuit charitatem.*
Culpa discordiæ inexplicabilis.

fuerit, immaturus martyrio, ineptus ad omne opus bonum, inconditus Dei palatò, vacuus meritis, atq; virtutibus habitus est. Legite Baronium tom. 3. Annal. ad annum Christi 250 num. 32. ita
Baronius. scribentem: *Perspicuum tum planè, sed pauendum editum est exemplum, quo fideles omnes admonentur, frustra quæq; magna conari hominem Christianum, nisi fraternæ charitatu compage fuerit solidatus: Cùm Sapricius presbyter vita tam oppignorata martyrio, quòd odio flagraret in Nicephorum, ipsum propè ictum vibrante carnifice, Christum negans, idolis sacrificauit.* Doceat cui placet, infelicis Sapricij miserabilem exitũ, B
Sapricius quia charitate caruit, à fide recessit. existimans, si tantisper durasset, momentaneumq; ictum pertulisset, coronatum in cælum martyrem euolaturum fuisse. Vana prorsus hæc est existimatio: durasset sanè diuturno tempore, longasq; pœnarum molestias pertulisset, & carnifici centum etiam præbuisset ceruices, totidemq; ille in eo amputasset; nec tamen post tot cruciatus, martyr fuisset, ob defectum fraternæ charitatis. Cùm omnis Christianæ rei summa, perfectiq; Christi discipuli cõplementum, & tota vndiq; probi hominis felicitas in mutua dile-
Ad Coloss. 3. ctione consistat, teste Apostolo ad Colos- C sen. 3. v. 13. *Induite vos sicut dilecti Dei, & viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionu.*

Passus est nescio quid pro Christi nomine Nouatianus, leue forsan ac simplex carceris tædium, vt in Praxea irridebat Tertullianus lib. aduersus Praxeam inquiens: De iactatione Martyrij gloriatus, ob solùm, & simplex, & breue carceris tædium. Vbi ipsius sequaces Martyrem eum appellare, eamq; sectam quæ martyres haberet, commendare non cessabant. Quibus forti, & imperterrito animo restitit S. Pacianus Barcinonen. Episcopus epist. 2. ad Sympronianum, D
S. Damasc. sic eos alloquens: *Porro etiamsi passus sit aliquid Nouatianus, non tamen etiam occisus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cuius portio debet esse, qui martyr est. Audi Apostolum, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Quod
S. Cyprian. luculentiùs exponit S. Cyprianus de oratione Domini: *Discordans* inquit, *& dissidens, & pacem cum fratribus non habens, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit euadere. Quale crimen, quod martyrio non potest expiari.* Magisq; adhuc id exaggerat libr. de simplicit. Prælat scri-

Indagate omni diligentia, quid sibi velit illud emphaticum S. Cypriani dictum: *Ad regnum cælorum non potest peruenire discordia.* Sanè; quia ad illud regnum non solùm pacifici; sed etiam inquieti, discordes, impostores, detractores, & ad quæuis mala alios inducentes currunt, hi tamen illuc peruenire, ac intrare non valent: eò quòd cælestes portæ ex vnionibus, id est, Charitate & concordia fabricatæ sint. Apocal. 21. *Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erant singulæ margaritæ.* Ideòq; ibi locus discordiæ non patet. Sic pergebant quondam ad nuptias, virginitati suæ nimis confidentes fatuæ illæ virgi- C
Fatuæ virgines à nuptijs egnicluſæ ob defectũ charitatis. nes, sed ianuâ occlusâ, sponsi solam vocem audiuêre: *nescio vos.* Quid causæ? illud profectò, quòd licet alijs virtutibus non adeò destitutæ essent, charitatis oleum, quod solùm regni cælestis aditum patefacit, & portas occupat, non habuerint. Ita S. Bernardus epist. 42. ad Hen- S. Bernard.
ric. Senonens. Archiepiscopum. *Venustate* inquit *sui castitas eminere appareat; sine charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Neq; mirum: quod enim absq; illa bonum suscipitur? Fides? sed nec si montes transferas. Scientia? sed ne illa quidem, quâ lingua loquitur Angelorum. Martyrium? nec si tradidero* inquit *Apostolus, corpus meum, ita vt ardeam, quidquam mihi prodest. Nec absq; illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet.* Ergo dilectio Christianæ disciplinæ apex, virtutum fastigium, & currentis in agone corona, regiumq; solis Christi discipulis asseruatum diadema est.

Attribuit præterea Christus titulum suæ bonitatis Martyribus, bonos pasto- Martyriũ à Christo honoratũ est.
res eos vocans: quia ipsemet martyrium honorauit, quando in cruce sancta pro nobis passus est. Hinc Methodius serm. de Mar-

de Martyribus, vt refert Theodoretus A Dialogo 1. tom. 2. dicit: *Adeò admirabile, & tanto studio expetendum est martyrium, quòd ipse Dominus IESVS Christus Filius Dei, se id honorare testatus sit, non rapinam arbitratus, se esse æqualem Deo, vt etiam eo dono hominem, ad quem descendit, coronaret.* Considerate quomodò Redemptor noster martyrij cupidus, gloriam & honorem, suiq; nominis claritatem, & supremam maiestatem, quâ nunc potitur, testatur se per carnis passibilis labores, & acerbæ crucis mortem, per martyrium à Patre æterno accepisse.

Luc. 1. Hoc indicare voluit Angelus Lucæ 1. virginem Deiparam alloquens: *Et dabit illi* B *Dominus Deus sedem Dauid Patris eius.* Et cur non potiùs regium Salomonis thronum? cùm Salomon Christi typum gesserit? causa in promptu: quia Salomon pacificus, hereditario iure Thronum suum adeptus est; Dauid autem sedem suam non nisi post multos labores, & seruitij tempus, vt docet S. Athanasius super illa verba ad Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei esset.* ita discurrens: *Porro Dauid vnctus in Regem, non statim arripuit, sed sustinuit in longum tempus seruire Sauli: noster item Saluator Rex genitus ante sæcula, nec temporarium regnum possidens; sed ante sæcula Rex ex Deo rege genitus, & ipse quoq; seruire sustinuit. Non enim* C *rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, vt absolueret, quod de eo dispositum erat.* Christus igitur licet Dei Filius, licet laboribus minimè obnoxius, licet gloriæ Patris æquo iure particeps; ad suam tamen diuinitatem nō respiciens, nec propriam dignitatem attendens, sed nostra omninò curans, nostram videlicet institutionem, informationem, exemplum, & quod caput rei est, nostram eamq; copiosam redemptionem, glorioſæ vitæ, atq; impassibilitati sibi debitæ renuntians, ad Patris thronum non sine sanguinis, vitæ profusione, peruenire voluit, vt primus in D noua lege martyrium honoraret.

Vnde videns Apostolus adeò martyrium à Christo Domino honorificatum esse, ad illud subeundum fideles excitat, Ad Rom. 12. ad Rom. 12. loquens: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* Nouum profecto & inauditum obseruationis genus: cur enim non dicit Apostolus, obsecro vos per virtutem? cur non per maiestatem, non per gloriam Dei, sed per misericordiam Dei? quia nimirum per ipsam solam & Paulus crimen persecutoris euasit, & Apostolatus, ac Doctoris gentium dignitatē adeptus est, vt ipsemet fatetur 1. ad Timot. 1. his verbis: *Prius fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam Dei consecutus sum.* Et iterùm: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quia Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam sum consecutus ad exemplum omnium, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Rogat igitur S. Paulus nos omnes per misericordiam Dei, imò per Paulum rogat Deus, quia plùs amari vult, quàm timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quàm Pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem. Audite rogantem Deum, Psal. 65. *Tota die expandi manus meas.* Nonne qui expandit manus, ipso habitu rogat? *Expandi manus meas*: ad quem populum? non solùm non credentem, sed etiam contradicentem. Expandit igitur Deus manus suas, distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, vt patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu.

Ad Timoth. 1.

Psal. 65.

Necdum satis: audi adhuc & aliter rogantem Deum. Michææ 6. *Populе meus quid feci tibi, aut quid contristaui te.* Quasi diceret: si diuinitas mea vobis ignota est, saltem caro, quam cernitis, nota sit. Agnoscite, agnoscite in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, vestrum sanguinem. Et si quod Dei est, timetis, cur quod vestrum est, non amatis. Si Dominum fugitis, cur non recurritis ad parentem. Quod si fortè vos, passionis meæ, quàm feciſtis, magnitudo confundit, ne terreamini: crux hæc, non meus, sed mortis aculeus est. Claui isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Vulnera hæc non educunt meos gemitus, sed magis vos meis viscеribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite, & vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro iniurijs amorem, pro vulneribus cruentis, summam reddere charitatem.

Mich. 6.

Amor Dei ergo hominеs immensus.

Sed videamus, quid Apostolus his verbis à nobis requirat, *vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuam.* Video, quòd cùm in Christo Domino duplex hostia visa sit: vna sanguinis, & occisionis, qualis apparuit in cruce, quando Christus occisus victoriam de mundo reportauit: altera salutis, & vitæ, qualis apparuit in templo,

In Christo duplex hostia.

templo, quando IESVS sistebatur Patri, A non mactanda, non redimenda. Requirit S. Paulus à nobis, vt vtramque hanc hostiam in corporibus exhibeamus, in primis hostiam viuam, vitam scilicet nostram ad vitam Christi conformando.

S. Bernard. Sic exponit D. Bernardus serm. 3. de Purific. inquiens: *Fratres morituro Domino, Iudæus mortuas hostias offerebat, sed iam nunc viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Hæc enim est hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viua.* Proinde his verbis Apostolus omnes homines ad Sacerdotale fastigium prouexit, vt exhibeant corpora sua hostiam viuam. O B inauditum Christiani pontificatus officium, quando homo sibi ipse est hostia, & Sacerdos: quando homo non extrinsecùs, quod Deo est immolaturus, inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & Sacerdos: quando hostia mactatur, & viuit, Sacerdos nescit occidere, quod litabit.

Deus rem paruam ab homine requirit.

Mirum profectò sacrificium, vbi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur. Non magnam rem ô homo à te requirit Deus, non aurum, nō argentum, non templa sumptuosè ædificata; sed C vitam virtutibus adornatam, sed contritum, & humiliatum: hæc est hostia viua & DEO placens, quam Deus ipse pulchrè figurauit in veteri testamento. Quando intrà ædificandum templum adijt Salomonem, illumq; prænonuit dicens: *Si ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea; firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad Dauid Patrem tuum. Et inhabitabo in medio filiorum Israël.* Quæ verba tam in medio operis; quàm in fine repetita fuisse à Deo censent Abulensis, & Carthusianus. Cur obsecro in tanti operis, tamq; religiosi, & pij medio, ac D fine, voluit Deus Salomonem monere de custodia suorum mandatorum? Puto ne Salomon nimis fideret tàm magnifico ac religioso ædificio à se peracto: quoniam Deo non tam magnificentia templorum; quàm cordium sanctitas placet.

Colligo hanc veritatem ex Hierem. Hierem. 3. cap. 7. ad quem hæc ibi Dominus locutus est: *Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Vbi in ipso primo templi limine iussus est Propheta stare, vt moneret ingredientes de vitæ sanctitate, & de fugiendis verbis mendacij, quæ dicebant. Templum Domini est. Quærite, cur verba templum prædicantia, dicuntur verba mendacij? An certè mendacium erat, quòd templū illud, & magnificentissimum, & religiosissimum esset? quod inibi Deus peculiariter assisteret? Absit. Sed illa verba quæ ita templum extollebant, vt facerent credere Israëlitis, quòd solum illud templum sufficeret pro illis tutandis, conseruandisq; sine vllis illorum virtutum meritis, ac operibus bonis, hæc erant vanissima mendacia, non dissimilia Hæreticorum assertis, qui ita extollunt diuinissimum Christi Domini templum, vt omnia virtutum opera, tanquàm superflua, à se excludant. Imò & non paucorum ex Catholicis, qui licet Ecclesiam sanctam, sine modo aggrauauerint, licet seruitutem nusquàm in posterum abolendam induxerint, licet in immensum plurimos oppresserint; nihilominùs satis se fecisse arbitrantur, si templum sumptuosum, si monasterium magnificum exædificarint. Hæc sunt grauissima mendacia, & Dei iniuriosa: cùm peccatum non dimittatur, nisi restituatur ablatum.

Aedificatio Ecclesiarū & monasteriorum, nō saluat oppressores.

Tu igitur homo fidelis, nulli sic credas, nulli ita euangelizanti fidas, vt non studeas virtutum operibus. Quod argutè monet in citatum Scripturæ locum, Theodoretus ita scribens: *Qui decipiebant eos, aiebant: Qui fieri potest, vt superet quispiam templum Dei? Propheta verò denuntiat eis, ne sermonibus huiusmodi fidant, sed libenter mutent vitam in meliorem, & iudicia reformident.* Et paulò post concludit: *Suadet igitur Dominus, ne fidant templo, sed vitæ legitimæ*: Nam vitæ sanctitati studendum est illi, qui securam salutem desiderat habere; decipietur autē maximè, si ab operibus virtutum alienus, totum salutis suæ negotium, in templorum à se erectorum magnificentia posuerit. Quia hæc vt plurimum ob inanem pompam, aut de rapinis, vel malè quæsitis ædificata, solo æquari, & in fauillas, ac cineres redigi, nostris iam temporibus non sine ingenti dolore spectauimus. At verò hominem vitæ inculpatæ, ac virtutum amantem, nec in medijs flammis, nec in hostium cuneis, ac vinculis extremè periclitari Deus permittit: quia vbiq; Deum præsentem habet. Nunquàm

Theodor.

Templa de malè quæsitis ædificata non fuut diuturna.

autem Dei præsentia hominem non facit tutè, & securè in bonis habitare.

Sumite certum istius rei documentum ex Scriptura Sacra, quæ de templo Hierosolymitano 4. Reg. 25. dicit: *Venit Nabuchodonosor Princeps exercitus, seruus Regis Babylonis in Hierusalem, & succendit domum Domini.* En sanctissimum illud Salomonis templum, datum flammis ab vno Nabuchodonosoris seruo, & in cineres redactum. Nihilominus non multo post, tres Hebræorum pueri innocentes, ab eodem Nabuchodonosore in ardentes fornacis flammas coniecti, illæsi ab omni vstione permansérunt, ita vt congregati Principes Babylonis obstupescerent, Daniel. 3. *Contemplabantur*, inquit scriptura, *quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus.* Deus bone: si non permissa fuit igni potestas aduersus pueros, cur permissa fuit aduersus sanctissimum, & religiosissimum Dei templum? scilicet, quia Deus plus virtutibus probi hominis, quàm sumptuosis palatijs oblectatur. Sic resoluit Rupertus lib. 6. de vict. Verbi Dei cap. 25. loquens: *Non poterat hic Deus templum suum, quod erat Hierosolymis, illæsum custodire à flammis incendij Babylonij, qui tres pueros taliter custodiuit, vt nihil potestatis haberet in corporibus eorum, & capilli eorum non essent adusti?* Planè poterat, *sed erudiendus erat mundus, vt sciret, quod Deus excelsus, non pulchris lapidibus, aureisuè parietibus templi manu facti delectatur, sed fidei claritate, & mundis cordibus, & ille est ei optabilis locus.* Hæc est prima hostia Deo placens, nimirum vita innocens, sancta operatio: nam quem fides, & virtutum opera faciunt in corde locum Deo, is gratus est, non quem faciunt ligna, & lapides pretiosi.

Alteram hostiam Christo exhibendam, requirit à nobis S. Paulus, hostiam cruentam, vt vnusquisq; nostrum pro nomine IESV paratus sit vitam profundere. Nam externam fidei confessionem, esse ad salutem necessariam, necessitate præcepti affirmatiui, constat in primis ex Scriptura Sacra, Matth. 10. vbi Christus ipsomet dicit: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* Et ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Paulò; id docet S. Augustinus lib. de fide & Symbolo, vbi dicit: *Fides à nobis exigit duplex officium, cordis, & linguæ, nec salui esse possumus, nisi fidem ore profiteamur, quam corde gerimus.* Quibus verbis manifestè ostendit, confessionem fidei externam, esse ad salutem necessariam. Hinc sancti Martyres maluerunt omnia supplicia, & ipsam mortem subire; quàm fidem Christi etiam ad momentum negare. Vnde si quis tormentorum atrocitate victus fidem negasset, aut dissimulasset, ejiciebatur ab Ecclesia, tanquam grauissimi criminis reus, & peccati; ac non nisi publicâ pœnitentiâ peractâ, in eandem recipiebatur. Auctore S. Cypriano de lapsis cap. 3. & S. Ambros. lib. 1. de Pœnit. Et ideò in Concilio Romano sub Cornelio 2. Papa, cuius meminit Baronius ad annum 254. & 255. determinatum est, firmo decreto stabilitum fuisse, non alia ratione ijs, qui etiam oretenus fidem eiurauerant, veniam esse concedendam, nisi post grauem pœnitentiam ab illis impletam.

Quomodò puniebãtur negantes fidem.

Nec immeritò: quoniam martyrium tantæ dignitatis est, vt S. Methodius apud Theodoretum dialog. 1. audeat affirmare, ea inter alias de causa Dei Filium hominem factum esse, vt martyrij coronâ insignitus splendidissimè refulgeret. Sic enim ille fatur: *Adeò enim admirabile, & tanto studio expetendum est martyrium, quòd ipse Dominus IESVS Christus, Filius Dei, se id honorare testatus sit, non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo, vt etiam hoc dono hominem, ad quem descendit, coronaret.* Addo ego Dei Filium, hominem fieri expetijsse, vt martyres sibi specialiter consecraret. Hoc mihi innuere videtur D. Paulus ad Hebr. 2. Sic inquiens de Christo: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, ductorem salutis eorum per passionem consummare.* S. Nazianzenus Orat. de Machab. legit, *consecrare*, quod apud Tullium lib. 1. de natura deorum idem significat, quod diuinitatem tribuere. Ergo tribulationes ac tormenta, Martyres Dei consecrant, & quidquid in illis humanum erat abradentes, diuinos quodam modo efficiunt. Sic quondam de beato Laurentio serm. 3. dicebat sanctus Augustinus: *Tali* inquit, *incendio beato consecrata sunt viscera, non condemnata.*

Dei Filius amore martyrij homo fieri voluit.

Ad Hebr. 2.

Porro ad effectum martyrij in adultis requiritur libera mortis acceptatio, ex ea ratione: quia sicut adultus nunquàm potest peccare sine propriæ voluntatis actu; ita sine eodem non videtur posse vnquàm acquirere aliquid gratiæ. Talis autem acceptatio mortis in martyre, debet esse actus supernaturalis: quia iuxta Concilium Trident: nemo solius naturæ viribus potest quidpiam, sicut expedit ad vitam æternam. Hinc formalis Hæreticus, licet pro aliquo fidei articulo, diuinitùs reuelato, mortem oppetere videretur; non fieret tamen martyr: quia non primò à Spiritu Sancto, & à gratia naturam excedente moueretur, ad acceptandam mortem, proinde magis pro suo iudicio moreretur; quàm pro fide Christi, vt pote nihil credens fide Christi, quoniam nihil fide supernaturali. Quis hoc in D. Adalberto non videt? qui abdicato Gnesnensi Archiepiscopatu, in Prussiam ad gentem barbaram, idolorum tunc cultricem sponte abijt, non ignarus quanta ibi passurus esset. De quo meritò potest verificari illud Theodoreti martyris, apud Gregor. Nazianzen. grauiter ferentis, aliquas solùm corporis sui partes, & non omnes, nec totum sese pro Christo cruciari. *Carnifices etiam ipsos accusaret,* (inquit Gregorius) *vt contumeliosos, nec totum corpus honorantes, sed aliquid confessum, profanumq; relinquentes, eosq; ne huic parcerent, hortaretur.*

Ad Martyrium requiritur libera mortis acceptatio.

Hæreticus pro fide occisus nõ fit martyr.

Gregor. Nazianz.

Præterea, ad effectum martyrij requiritur, vt martyr tyranno positiuè non resistat, solius vitæ defendendæ causa. Non resistebat D. Adalbertus, imò nihil magis cupiebat; quàm pro nomine IESV contumelias, opprobria, & mortẽ ipsam patienter tolerare. Quod cùm ita sit, meritò titulo boni pastoris in Ecclesia sancta honoratur, vt pote imitatione mortis cum Christo artissimè conglutinatus, & martyrij à Christo dignificati socius, quo nihil magis Deo acceptum, teste S. Hieronymo, epist. 150. ad Hedibiam q. 11. *Triumphus* inquit *Dei est passio martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia.* Quare triumphet hodie S mater Ecclesia in solemnitate Beati Adalberti, certa, quia sub tam boni pastoris & patroni cura, ac vigilantia, secura consistet.

DIE INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Regeneratio ex aqua & Spiritu Sancto, vitam immortalem, & obligationem amplius non peccandi nobis confert.

DVo infinitè à distantia, & summè dissimilia, in vnum hodie coniungit Redemptor noster, nimirum aquam, & Spiritum Sanctum. Quid causæ? vtiq; Spiritus Sanctus Deus verus, & rerum omnium creator est; aqua autem creatura ex infimis vniuersi. Quomodò igitur Deus, & creatura, in vnum coalescere possunt? Audite mysterium: homo conditus est ad beatitudinem æternam, quam non aliter assequi potuit, nisi per mortem, & resurrectionem: priùs enim mori debuit mundo, & postea resurgere, vt in perfectam vitam transiret, quæ per diuinum spiritum communicari solet. Vt ergo mors ostenderetur, necessaria fuit creatura, de cuius cõspectu, nihil citiùs quàm mors concipitur. Ingeniosè satis tetigit hoc Fulbertus Carnotensis Episcopus epistola 1. ita loquens: *Vide quid agit artifex misericordiæ. Tale tibi inuenit tumuli genus, a quo sciret peccata sepelire, & peccatorem nesciret obruere, vt descendente homine in fontem, tanquàm in sepulchrum delictorum, reus exiret ad portum, sola paterentur delicta naufragium. Proinde aqua & Spiritus Sanctus sociantur causis; sed beneficijs separantur. Requiritur sanè in baptismatis Sacramentu, aqua propter sepulturam, Spiritus Sanctus propter vitam æternam. Hæc similitudinem mortis imitatur, ille veritatem salutis operatur.* De Deo igitur spiritus, & vita profilit; in creatura autem aqua sola suspicitur, mortis & sepulturæ figura: nihil enim citius à creatura in conspectum, & cogitationem hominis venire potest, quàm mors. Hinc Ioan. 1. dicitur: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Per quod ostenditur, à Domino IESV venisse in nos Spiritum Sanctum, & aquam in baptismate, vt per aquam, mortis imago nobis ob oculos poneretur; per Spiritum verò sanctum, resurrectionis spes firmaretur. *Inter hæc,* ait Fulbertus, Carnot. *Quid ad hæc aqua, & quid Spiritus Sanctus operetur, aduerte, aqua velut morientem deducit in tumulum: Spiri-*

Ioan. 1.

Fulbertus.

tus Sanctus velut resurgentem perducit ad cælum. Vnde post lapsum primi hominis, & immortalitatem amissam, duæ generationes singulis hominibus prouisæ sunt, vna carnalis, quâ ex Adam nascimur; altera spiritualis, quâ renascimur per Christum de Spiritu Sancto. Voluit ergo Christus, vt homo prius ex Adam nasceretur, prodiretque in hoc mundiale lumen; quàm in regenerationem per Spiritum Sanctum veniret. Et cur Redemptor noster, cùm sit beneficus hominum reparator, non prouidit ea remedia homini, quæ illum in primo animationis puncto regenerarent ex diuinissimo spiritu? Cur ita ordinauit, vt regeneratio diuina non veniret, nisi post genitum, & proditum in culpa? nimirum vt hoc facto nos ad immortalitatem disponeret, vt eleganter

Clemens Alexandr.

definit Clemens Alexandr. lib. 4. Stromat. inquiens: *Generatio excipiens generationem vult immortales reddere per profectum.* Hic est enim ordo Dei gubernantis hominum salutem, vt quod immortalitatis, & gloriæ & victoriæ est, id homines per profectum acquirant. Et ideò post generationem, ac natiuitatem in culpa, prouisa est homini regeneratio in gratia per baptismum, vt iam inde discamus profectui studere, scientes nonnisi per profectum debere in gloriam venire. Vt ergo homo per peccatum mortuus regeneraretur in gratiam, aqua baptismali & Spiritu Sancto opus habuit, quæ duo simul coniuncta stupendos effectus operantur. In primis, quia per baptismum tollitur omne peccatum quoad culpam, & pœnam æternam, iuxta illud Ezechiel. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quod definiens Concilium Trident. Sess. 5. Can. 5. dicit: *Si quis per IESV Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tollitur totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Præterea, per baptismum tollitur reatus pœnæ pro peccatis baptismum antecedentibus: quia homini baptisato communicatur totaliter passio Christi ad remedium, proinde & satisfactio sufficientissima. Non tolluntur tamen per baptismum in hac vita pœnalitates, vt sunt fomes peccati, mors, fames, morbus, vt constat per experientiam. Vltra hæc infunditur homini per baptismum gratia, & virtutes cum donis Spiritus Sancti, vel quoad primum esse, si baptismum non præcessit contritio;

Effectus baptismi admirandi.

Concilium Trident.

vel quoad augmentum, si præcessit: quoniam per baptismum incorporamur capiti viuo IESV Christo, & ideò debuit descendere in nos vitæ inchoata plenitudo; quemadmodùm etiam in palmitem ascendit vitæ plenitudo. Nedum satis; verùm etiam illuminamur a Christo per baptismum circa cognitionem veritatis, & fœcundamur per bona opera ex gratia baptismali procedentia. Sicut enim à capite naturali deriuatur in membra sensus, & motus; ita à capite spirituali, quod est Christus, deriuari debuit in membra eius, (quæ sunt baptizati) sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis per instinctus gratiæ. Considerabimus igitur, quare nos Christus ex aqua & Spiritu sancto regenerari voluit.

Christus nos ex aqua, & Spiritu Sancto regenerari voluit, vt ex eius morte vitam immortalem reciperemus: atque hac de causa suam mortem baptismum vocauit, Psal. 41. loquens: *Quemadmodùm desiderat cerua ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus meus.* In quibus verbis ardentem moriendi sitim, atque votum Christi Dauid expressit. Quod in nouo testamento clariùs elocutus est S. Lucas, Christum ita loquentem introducens: *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor vsq; dum perficiatur.* S. Irenæus legit: *Et valdè propero ad illud.* Super quæ verba scribens Theophylactus, dicit: *Baptismum mortem vocat, hanc autem valdè desiderans, ait: & quomodò constringor, hoc est, quàm solicitus, anxius sum, ac premor, donec perficiatur? sitio enim mortem pro omnium salute.* Hinc ad Petrum in sui defensionem educentem gladium, & seruum Pontificis, qui audacius irruerat, potenter repellentem, ipse Dominus dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis bibam illum.* Ioan. 18. Quasi diceret: ita tibi ô Petre, ignota est mea moriendi fitis, vt iucundissimam potionem, quam ad eam extinguendam charissimus Pater mihi liberaliter porrigit, tu inconsiderato impetu è manibus velis extorquere. Sitiebat igitur Christus pro nobis pati, quia optimè nouerat, vitam immortalem non aliter in nos diffundendam, nisi ex sua morte. Rem ita se habere ex eo conijcite. Quando robustissimus Samson leonem sibi in itinere obuium dilacerauit, inuenitque in ore eius examen apum, & delibauit mellis fauum, statim in conuiuio Sodalium problema proposuit, Iudic. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Idem quoq; in medio

Pſal. 41.

Mors Christi cur dicatur baptismus.

Theophyl.

Ioan. 18.

Iudic. 14.

In medio Sapientum Ecclesiæ syposio ænigma propositum, omnium excitauit ingenia, verùm S. Augustini acumen solutionem opportunam inuenit, serm. 107. vbi sic loquitur: *De edente vtiquè, id est, de morte, quæ cuncta deuorat, atq; consumit, exiuit cibus ille, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. De mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui accubans dormiuit vt leo, apum, id est Christianorum processit examen.* De morte ergo omnia deuorante, egressus est cibus vitæ, & panis ipse Christus, qui semel gustauit mortem, dum per eam vitæ immortalitas suo corpori donata est, in tantum eam charam habet, ac diligit, & coli a fidelibus optat, vt conuiuium cælestis panis, & diuini poculi sit monumentum mortis, vt fideles memoriam mortis Christi præ oculis habentes, hoc saturentur epulo, vt ad contemplationem pretiosæ mortis in vitam immortalitatis transferantur. De morte igitur leonis nostri fidelium multitudo orta est, dumq; leo mortuus Christus congregationem fidelium protulit, Christianæ vitæ forma ex morte effecta est.

S. August.

Vnde licet in Christo res omnes mirabiles fuerint, mors tamen ipsa summa admiratione digna? & ideò S. Ioannes describens modum, quo Christus in cruce occubuit, ita loquitur: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Res noua, & prorsùs inaudita, quippe in alijs moribundis prius est efflare animam, & postea deficientibus viribus caput inflectere, ac inclinare; Christus autem è contrà, prius inclinauit caput, & postea vitam profudit. Arcanum hoc profundè inuestigat S. Athanasius, quæst. 40. cuius titulus est. *Quid est illud, & inclinato capite tradidit spiritum? nam omnes moribundi moriuntur primùm & tunc demùm inclinant capita.* Statimq; nodum difficultatis in hunc modum dissoluit, de morte subiungens: *Atq; hæc quidem sibi metuens, appropinquare non audebat, ideò Christus inclinato capite vocauit ipsam, nam antequam caput inclinasset, verebatur propiùs accedere.* O stupor! ô prodigium! spectans mors pendentem in cruce Redemptorem nostrũ, metu correpta fugam meditabatur, dum cerneret soli lumen eripi, terram pauore concuti, saxa discindi, siderum fulgoribus velum tenebrosum obduci, noctẽ, & tenebrarum caliginem per totum terrarum orbem diffundi. Ancipiti itaque cura, & dubitationibus, fluctibus æstuabat, velut prospiciens hominem cruci affixum, manifesta edere deitatis insignia; vtq; honori consuleret, fugæ viam quærebat, ita secum discurrens. Si ad eum appropinquauero, notam incurram ignominiæ sempiternæ; si communi luce priuare audebo, dignitatis, & gloriæ me orbam relinquam: si vitam ademero, sceptrum dominationis, & imperium, ac mortuorum omnium spolia perdam. Inter has proinde curas, & anxietates fugitiua mors auolabat, verùm à morientе Domino nutu capitis reuocata est, detenta: accita ergo mors ad Saluatorem appropinquauit, ad cuius conspectum auctor vitæ, lucis huius vsuram amisit. Obstupescite: IESVS imaginem vitæ ad intuitum mortis, moriens figurauit. Humani generis maximum redemptionis opus præsente morte operatus est, miraculis & magnalibus suis imposuit metam, adiecitq; complementum, & fastigium ad mortis intuitum, vt homines vltimo halitu viuificaret, plenè consummauit. En quomodò vita nostra de morte Christi processit: nisi enim Christus pro nobis vitam posuisset, mortui in perpetuis tenebris iacuissemus.

Christus inclinato capite cur in cruce mortuus est.

Mors fugiens à Christo moribũdo reuocata est.

Atq; hæc est causa, quòd de latere Christi iam mortui, sanguis & aqua profluxerit, per quod baptismus nouæ legis significabatur, quo de morte peccati homo in vitam salutis regenerari debuit. Hinc prima hominis creatio fuit de terra; vbi verò regenerandus erat homo, non ad terram, sed ad aquam itum est, vt præstantior alia origo ostenderetur, quâ fieret homo magis Deo dilectus, & familiaris. Sic censet D. Chrysostomus homil. 34 in Ioannem: *Primùm ait ab aqua oriturus, quæ tenuior est, quàm terra. Quemadmodùm enim in principio elementum terra subiecta est, totum autem opificium Dei fuit; ita hoc in loco elementum aqua subijcitur; verum tamen totum spirituale est gratiæ. Tunc ad Dei imaginem fecit hominem, nunc Deo familiarem reddidit. Tunc pisces & feras homini subiectas fecit; nunc supra cælum nostrum propagauit imperium.* Ponderate illud: *nunc Deo familiarem reddidit.* Nam vbi homo ex aquis renascitur, protinùs Deo dilectus euasit, propinquus, & familiaris. Quod ingeniosè edisserуit D. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 3. dicens: *Sparget supra vos aquam mundam, & mundabimini ab omni peccato vestro. Saltabunt circa vos Angeli, & dicent: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, confirmata supra patruelem suum? Quæ enim antea fuerat serua, nunc patruelem ipsum Dominum sibi adscripsit, qui non simulato proposito acclamat: Ecce pulchra es amica mea, propinqua mea. dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Quibus verbis alloquitur

S. Chrysost.

S. Cyrillus.

Sanguis & aqua delatere Christi profluens, figura baptismi.

quitur Ecclesiam Sanctam, in qua homi- A num animæ post baptismi aquam mundantur, quæ post felicem istam lotionem: Dei amicæ, & propinquæ, ac cognatæ acclamantur: quia nos Deo maximè charos, salutiferæ baptismi aquæ reddunt, & familiares tanquàm genus diuinum, de aqua & sanguine ex Christi latere profluentibus ortum.

Tertullian. Vnde non immeritò exclamat Tertullianus lib. de Baptismo: *Felix Sacramentum aquæ nostræ.* Quotquot enim felicitates nascentis hominis quæruntur ex cælestibus signis, efficaciùs ex aquis sacri

Inbaptismo præsagium omnis fælicitatis. baptismatis haberi possunt. Nam si quis B sacrum hunc fontem diligentiùs perscrutari vellet, omnem felicitatem homini inde renato, certò præsagire posset, cùm ibi tota felicis ortus genesis includatur. Sic olim S. Zeno lib. 3. serm. 32. Neophitis præsagiebat, post susceptum baptisma: *Fortassis* ait requiratis à nobis, quâ geniturâ, quouè signo tàm diuersos, tam plures, tam dispares, vna vno partu vestra vos peperit mater fons baptismi. Sicut paruulis mortm geram, sacraq; horoscopi pandam tota breuitate secreta. Igitur fratres, talis est vestra genesis. Primus vos, qui in se credentem reprobat nullum. *Non aries, sed agnus excepit, qui* C *vestram nuditatem velleris sui niueo candore vestiuit. Idem non tumidus ceruice, non minax cornu taurus, sed optimus, dulcu, blandus vos admonet vitulus, vt nulla vllo in opere captantes auguria, eius fine malitia succedentes iugo, terramus vestræ carnis domando, lætam diuinorum seminum messem cælestibus horreis inferatu. Et admonet prosequentibus geminis, id est, duobus testamentis, vt principaliter idololatriam, impudicitiam, auaritiamquè fugiatu, quæ est incurabilis cancer. Leo autem noster. sicut Genesis protestatur, leonis est catulus, cuius ista pia Sacramenta celebramus, qui ad hoc recubans obdormiuit, vt vinceret mortem, ad hoc euigilauit, vt beatæ resurrectionis suæ in nos munus immortalitatis conferret. Quem sequitur Virgo* D *prænuntians libram, vt nosceremus Dei per Filium, qui processit ex Virgine, æquitatem, iustitiamquè terris illatam, quam qui constanter tenuerit, non dicam scorpionem, sed omnes omnino serpentes illæsâ plantâ calcabit; sed neq; ipsum diabolum, qui verus est sagittarius formidabit vnquàm. Is enim infelicibus nonnunquàm immittit capricornum vultu deformem, qui alios amentes, alios furiosos, alios homicidas, alios adulteros, alios auaritiâ efficit cæcos. Sed has omnes noxas salutari profluens amne, noster Aquarius delere consueuit. Quem necessariò, vnà duo sequuntur pisces in signo, id est, duo ex Iudæis, & gentibus populi, baptismatis aquâ viuentes, in vnũ populum Christi vno signo signati.*

In baptismo signa Zodiaci recensentur.

En quàm felicior hominum genesis habetur de sacris baptismi aquis, quæ ab hominibus de stellis, cælestibusq; signis, non rarò frustra quæritur.

Videte, quantum beneficium est baptismus, quàm magnum, per quem non corpus, sed anima nostra abluitur? Attendite, quales Deo gratias, & laudes pro hoc salutifero lauacro referre debeamus? Respondet Nazianzenus oratione in sanctum baptisma: *Omnium Dei beneficiorum baptisma præclarissimum est, & præstantissimum: vt enim quædam Sancta Sanctorum vocant, & cantica canticorum, quòd scilicet latiùs pateant, ac plura complectantur, præcipuamq; diuinitatem habeant; eodem modo baptisma quoq; illuminatio dicitur, quòd omnes alias illuminationes præcedat.* Quid ampliùs in laudem sacri baptismatis afferri potuit? cuius summam præstantiam ex duobus potissimùm capitibus facilè colligere possumus. In primis ex modo institutionis: hinc certè admirabilis magnitudo baptismi. Quippe immensus Dei Filius, non alia de causa baptizari voluit, nisi vt primùm se in aquis immergens, Sacramentum hoc institueret. Recolite cætera Sacramenta, & facilè aduertetis verbo tantùm instituta; at verò sacrum baptisma, non solùm verbo, sed exemplo, sed opere, sed actione, volens ipse baptizari, & mundissimus ob nostrum exemplum mundari. Et quæ necessitas erat, vt Christus, ab omni macula peccati immunis, totus in aquis abluereturr? Equidem ex parte Christi nulla, sed ex parte nostri maxima: quia per peccatum non solùm anima nostra depressa, æternæ damnationis rea facta est; sed etiam corpus maledictionem corruptionis incurrit, vt habetur Genes. 3. *Pulus es, & in puluerem reuerteris.* Hæc maledictio per peccatum homini inflicta, totum abiectum fecit, & cineres eius abiectissimos reddidit. Christus igitur nostri amore homo factus, ita nostros cineres sublimauit, vt prorsùs diuini apparerent, fierentque vitæ non mortis, gratiæ non iræ effectus. Atque ideò toto corpore ablui voluit, dum baptizaretur, vt nostri cineres in eo, qui priùs erant peccati, & mortis effectus, fierent gratiæ, & vitæ aquas sanctificantes, & quodammodò viuificantes, vt sic totus homo in honorem resurgeret.

Baptismus maximum Dei beneficium.

Christus baptizari voluit.

Genes. 3.

In veteri testamento comburebatur vacca ex præcepto diuino, cuius cineres sanctificabant aquam in eam superfusam, ita vt cùm antea immunda esset, munda redderetur. Quod si quispiam illâ

illâ aquâ non expiatus, sanctuarium Do- A mini temerario ausu ingressus fuisset, mortis pœnâ plectebatur, Deo sic præ-

Genes. 19. cipiente Numer. 19. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ, quia sanctuarium Domini polluit, & non est aquâ lustrationis aspersus.* Mysterium hoc Catholici mei significabat Christum, qui nostros cineres assumpsit, qui pro nobis in patenti loco crucifixus est, vt docet A-

Ad Hebr. 13. postolus ad Hebr. 13. *Propter quod & IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Baptizatus igitur est pro nobis Dominus IESVS, & aquis immersus, vt eas sanctificaret, ita vt qui- B cunque illis lustratus non est, de medio Ecclesiæ pereat. Quemadmodùm resol-

S. Ambros. uit D. Ambrosius lib. 2. in Lucam c. 2. *Baptizatus est ergo Dominus, ait, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per cineres Christi baptismatu ius haberent.* Vnde sicut in veteri testamento, aquæ nullum ius habebant ad expiandum, sed illud ex vaccæ crematæ cineribus hauriebant, ex quorum contactu sanctificabantur; ita planè & in lege gratiæ, aquæ ex se nullum ius habent, sed tota illarum vis ad sanctificandum ex Christi cineribus, ex illa sanctissima humanitate, quæ in illis immersa erat, prodijt.

Christ⁹ magis sanctificauit aquas baptismi, quàm veterũ Virginis. Hinc inter Doctores disceptatio oritur, quoniam Christus suo sacratissimo corpore contigit non solùm aquas, dum in illis baptizaretur, verùm etiam vterum virginis, in quo nouem mensibus delituit, quidnam ex his duobus suo sacratissimo contactu magis sanctificauit, aquasne, an vterum? Pro vtero Virginis satis valida ratio militat: quia de purissimo eius sanguine carnem sumpsit. Nihilominùs existimo aquas in tantam altitudinem per Christi baptismum eleuatas esse, vt maiorem illis Deus tribuerit sanctitatem; quàm sanctissimæ suæ Genitrici. Ita censere videtur S. Thomas D

S. Thomas. 3. p. q. 39. ar. 1. vbi dicit: *Baptizari voluit Christus, vt sanctificatas aquas relinqueret post modum baptizandu.* Quod clariùs exponit

S. August. D. Augustinus serm. 36. de tempore, vbi effectum, quem Christi baptisma aquis contulit exprimens, sic ait: *Filium genuit mater, & casta est, Christum vnda lauit, & sancta est: nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio; ita post baptismum aquæ purificatio est comprobata, nisi quòd pœnè maiori munere, quàm Maria, vnda dicata est: illa enim sibi tantùm meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem; illa meruit, ne peccaret, ista vt peccata purgaret; illi est collata virginitas, isti dona-*

ta fœcunditas. Ergo ex contactu mundissimæ Christi carnis, ita sanctificatæ sunt aquæ baptismales, vt sub Deo, nulla maior, nulla sanctior creatura existat. Ex contactu carnis Christi Mariæ virginitas collata fuit; aquis autem fœcunditas gignens non filios mortis, sed vitæ, non odij, sed amoris. Eleganter admodùm id elucidat S. Hieronymus in epitaphio S. Hierom. Pauli, ita scribens de aquis sacri fontis. *Vnde pollutas diluuio, & totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus mundauit baptismate, ita vt quæ priùs erant maledictæ, postea beneficio Christi benedictæ, neq; solùm ipsæ sanctæ, sed etiam sanctitatem impertientes esse.*

Et profectò decebat, vt Christus ex contactu sacratissimi sui corporis, adeò sublimem sanctitatẽ aquis baptismi impertiretur, quoniam baptismus nihil aliud est, nisi pactum quoddam inter Deum, & hominem ampliùs non peccandi, vt docet Nazianzenus oratione in sanctum baptisma: *Nam vt compendio dicam ait,* S. Nazianz. *nil aliud esse vim, & facultatem baptismi existimare debemus, quàm secundæ vitæ, puriorisq; & præstantioris instituti pactum cum Deo initum, ac proinde vel maximè in metu omnes esse debemus, atq; animas nostras accuratissima custodia seruare, ne falsam confessionem edidisse comperiamur; nam* C *cùm ad mutua hominum pacta obfirmanda, Deus medius adhiberi soleat, quantò periculosius est, magisq; extimescendum, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur, ac præter alia peccata, ipsius quoq; mendacij apud veritatis tribunal rei peragamur.* Ideò proinde nos Deus signauit, vt lauacro regeniti non ampliùs peccemus: quia summè indignum est, hominem semel à Deo hoc sancto signatum signo ampliùs peccare. Pulchrè S. Nazianzenus supra citatus id edisserit: *Idcircò* ait, *Dominus minimè auxilij expertem creaturam suam sibi relinquendam, atquè contemnendam putauit, eò discriminis adductam, vt periculum esset, ne ab eo distraheretur; quin potiùs* D *quemadmodùm nos creauit, ita creatos instaurauit, & refinxit, & quidem figmento diuiniori, quod vt vitæ cursum in euntibus est signaculum; ita ijs, qui adultiori ætate sunt, gratia etiam est, collapsæq; imaginis erectio.* Nimirum per actualia peccata, quæ in adultis simul cum originali tolluntur. En quanta Dei propensio in genus humanum, ægrè ferebat Deus, hominem suam imaginem per peccatum collapsam, ideò ne totaliter periret, & ab inimicis conculcaretur, hoc signaculo eam signauit, per gratiam baptismi eam renouans, fouens, roborans, ne ampliùs peccaret. *Atq; hæc baptismi gratia,*

Baptismus est pactum ampliùs nõ peccandi.

tia, ait Nazianzenus, *& facultas est, non or-bem terrarum, vt olim aqua obruens, sed vniuscuiusq; hominis peccata purgans, easq; obstructiones, vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens.*

Angeli baptismũ velut primariam solemnitatem celebrant.

Quod cùm ita sit, quis tantæ malitiæ, aut verius dicam, dementiæ erit, vt semel baptismi signaculo, velut, inuiolabili pacto, Deo reconciliatus, peccare audeat, & sanctissimã eius prouidentiã defraudare. Angeli baptismũ ex Christi cõtactu sanctificatũ, Angeli cælestes adeò venerantur, vt velut primariam solemnitatem celebrent, teste S. Gregogio Nazianzeno otatione de Baptismo: *Hunc* inquit, *Angeli celebrant.* (id est baptismum) *propter cognationis splendorem.* Quasi natura Angelica aliquam habeat cum gratia baptismi affinitatem: quid enim tàm purum, & Angelis propinquius, quàm gratiæ splendor, qui recens baptizatis affulget? cui Angelicus splendor affinis est. Atque eam ob causam nos Angelorum candidati vocamur à Tertulliano lib de oratione cap. 3. Si Angeli in tanta veneratione habẽt sanctum baptisma, quomodò homines post illud susceptum, peccare non extimescunt? cùm eorum peccatum sit multò

Peccatum Christianorum grauius est, quàm gentilium.

grauiùs; quàm Turcarum ac gentilium Deum verum ignorantium: si enim Deus tantopere doluit imaginem suam, cùm nondum signata esset, quantùs dolor eius putandus est post signatam, post Filij sui sanguinis imaginem in anima impressam, quando videt illam à dæmonibus conculcari, & quod maximum est, æternaliter non rarò sine vlla redemptionis spe condemnari, Hinc D. Cyrillus epistola 206. ad Augustinum de laudibus Hieronymi, pœnas infidelium in inferno cum Christianorum pœnis comparatas, quasi pro nihilo reputat. Vnd D. Au-

Christiani damnati grauiùs in inferno puniuntur, quam infideles.

gustino interroganti, quidam à mortuis resuscitatus respondit: *Inter Christianorum, qui ibi torquentur pœnas, & paganorum cruciamenta respectu eorum, quæ falsi Christiani, & peccatores sustinent, sint quasi nulla, quanquam instabilia sunt, nec à viuentibus cogitabilia, vt dignum.* Cuius rationem hanc affert S. Augustinus epist. 105. quia infideles noluerunt intelligere, vt benè agerent; Christiani quod grauius est, intellexerunt, & non bene egerunt.

En quanta est Christianorum malitia, quantum delictum, dum id minimè considerantes, ita impiè viuunt, ita enormiter peccant, vt ob propriam eorum culpam, signum illud, id est, character baptismi, quod ad illorum gloriam institutum erat, in ipsorum deueniat maius tormentum, dum exigentibus peccatis infernum detruduntur. Imò, quod magis dolendum, vt signum illud diuinum, Christi sanguinem repræsentans, ab ipsis supremis adoratum potestatibus, & ita ipsis tremendum, ac venerandum sublimitatibus, vt non audeant in quo est, attingere, verùm cum omni reuerentia obseruant, à dæmonibus illis derideatur, & contemnatur, imò & conculcetur, opprobrium Christi sanguinis, suam miseram facientibus consolationem. Quis hæc audiens non exhorrescat? quis malorum Christianorum insaniam non obstupeat? à quibus malè viuentibus ita prostituitur Christus, vt diabolus in inferno sub suam potestatem Christi signatos detrudat, imaginemq; Christi sanguinis, militiæ Christi addictos, eos conculcans, eorumque sacrosanctum deridens signaculum.

Peccatũ originale est pernicioſa defectio à diuina bonitate.

Voluit proinde nos Christus ex aqua & Spiritu Sancto regenerari, vt ampliùs peccatum in nobis non regnaret, cùm per baptismum peccatum originale, per quod seruituti diaboli addicimur, in nobis emundasset, tanquàm pestem summè contagiosam. Quid enim aliud est peccatum originale, nisi pernicioſa quædam à diuina bonitate defectio? Dei iugum vitale excutiens, & in mortale diaboli incidens? Quemadmodùm Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiast. Hierarchia cap. 3. p. 3. diuino prorsùs conceptu edixit. *Humanam* inquit, *naturam initio stolide à diuinis beneficijs prolapsam, obnoxiam passionibus varijs vitam suscepit, & mortis corruptibilis finis. Quippè pernicioſa illa à vera bonitate defectio, & sacræ in paradiso legis præuaricatio, eam quæ sponte sua blandè mulcentibus, atq; infectu aduersarijs fraudibus cedens, vitale excusserat iugum. hu quæ sunt diuinis bonis contraria tradidit.* S. Dionysius.

Quid est peccatum originale, nonne antiqua impietas, ad aquam extirpandam Dominus è cælis venit, baptisinumq; instituit, vt docet S. Ignatius Martyr epist. ad Trallianum ita scribens: *Vos ergo succincti mansuetudine, imitatores estote passionum Christi, & dilectionis eius, quã dilexit nos, dans semet ipsum pro nobis, vt nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate.* Quod considerans S. Iustinus martyr Dialogo cum Tryphone affirmat, in rèmissionem quidem omnium peccatorum venisse Dei Filium in hunc mundum; primariò tamen & principaliter ad tollendum originale peccatum, tanquàm primum, & maximum, quod Dei inimicos nos constituens, æternaliter

S. Ignatius.

S. Iustinus.

ternaliter in perpetuam damnaret mortem. *Ad omnem* inquit *eum, non ideò venisse pro comperto habemus, quod vel baptismi lauatione, vel spiritu in specie columbæ aduentus opus ei fuerit, sicut nec nasci, & crucifigi propter functionis huiusmodi indigentiam sustinuit, sed humani generis causã quod per Adamum in mortem, & fraudem, seductionemq; serpentis conciderat, vt interim propriam pro se malignè agentis cuiusq; culpam taceam.*

Peccatũ originale variis nominibus appellatur.

Et profectò si amplius vultis nosse, quanta sit contagio peccati originalis, vel ex ipsis nominibus, quibus appellatur, hoc ipsum conijcite, S. enim Irenæus lib. 5. aduersus hæreses, peccatum originale vocat *chirographum*, quod Adam diabolo inscripsit. S. Cyprianus lib. 3. epist. 8. vocat *contagium mortis antiquæ.* S. Chrysostomus homil. 40. in 1. epist. ad Corint. vocat *radicale peccatum.* Alij appellant originale: quia in prima nostra origine, seu conceptione illud contrahimus. Ab alijs demum vocatur *peccatum naturæ*, quia non committitur propria voluntate, sed per originem, seu naturalem generationem nobis communicatur, seu à primo parente in nos traducitur, iuxta

Ad Rom. 5.

illud ad Rom. 5. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hæc veri-

Concilium Tridentin.

tas definita est in Conc. Trident. Sess. 5. in decreto de peccato originali Can. 2. vbi dicitur: *Si quis Adæ præuaricationem, sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, aut iniquitatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus suum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.* Hoc igitur peccatum ita erat irremediabile, vt non nisi solius incarnati Verbi aduentu curari potuerit, vt docet Scriptura Sacra Iob. 14. *Quis*

Iob. 14.

potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? Vnde S. Augu-

S. August.

stinus contra Cælestinum lib. 2. de peccato originali, cap. 23. & 29. ita concludit: *Quapropter quisquis humanam contendit in qualibet ætate naturam, non indigere medico secundo Adam, non in aliqua quæstione, in qua dubitari, vel errari salua fide potest, sed in ipsa regula fidei, quã Christiani sumus, gratiæ Dei conuincitur inimicus.*

Christus cur dicitur omnium redemptor.

Venit igitur Redemptor noster in hunc mundum, primariò in remedium peccati originalis, & ideò vocatur Redemptor omnium, non tantùm, quia gratiam omnibus meruit, sed potissimùm, quia omnes liberauit ab hoc peccato. Verùm, si modum, id est facilitatem, lenitatem, ac dulcedinem, vt ita loquar, quâ Christus in extirpando hoc radicali malo vsus est considerare voluerimus, penitùs admiratione obruitur animus. Delet enim tàm grande malum, tàm horrendum contagium aqua lotione blanda, ac suaui, nihil omninò molestiæ inferente, nihil doloris. Et quoniam homo animâ, atq; corpore constat, hunc mirabilem modum inuenit, vt corpus mundans aquâ, animum sanctificaret per spiritum. Quod ingeniosè ponderat D. Cyrillus, Cathechesi 3. de Baptismo. *Cùm* inquit, *duplex sit homo, ex anima & corpore compositus, duplex quoq; purificatio, incorporea quidem incorporeo; corporea vero corpori; & aqua sanè mundat corpus; spiritus autem signat animam, vt abluti in corpore aquâ mundâ, repurgati in corde accedamus ad Deum.* Quid dicam de donis, & gratijs, quæ per baptismum conferuntur? Quid de habitibus infusis, fide, spe, charitate, Quid de virtutibus, & donis Spiritus Sancti? Quia enim per baptismum incorporamur capiti viuo Iesv Christo, ideò debuit per eundem descendere in nos vitæ inchoata plenitudo. Neq; certè aliam ob causam sanctum baptisma varijs nominibus intitulatur: vocamus enim illud donum, gratiam, vnctionem, illuminationem, immortalitatis indumentum, regenerationis lauacrũ, sigillum, nisi quòd nobis multiplices conferat gratias, vt eruditè resoluit S. Gregorius Nazianzenus. *Donum* inquit, *dicitur, quia ijs, qui nihil priùs contulerunt, datur: gratia, quia etiam pœnæ obnoxijs: baptismus, quia peccatum aquâ obrutum sepelitur: vnctio, quia sacrosanctus, & regius: illuminatio, quia splendor, & claritas: indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est: lauacrum, quia abluit: sigillum, quia conseruatio est, ac Domini significatio.* Quid præstantius? sigillum appellatur sacrum baptisma, quatenùs characterem imprimit, id est, quatenùs per illud ita deputatur homo ad cultum Dei, illiq; consecratur, vt fiat membrum Ecclesiæ Christi, distinguaturque ab illis, qui nullo modo Christo coniuncti sunt.

Baptismi multiplex denominatio.

S. Cyrillus.

S. Gregor. Nazianzen.

Differentia Sacramentorum nouæ legis à Sacramentis veteris legis.

Vnde controuersia est inter Authores, per quidnam Sacramenta nouæ legis, à Sacramentis veteris legis distinguantur. Quidam censent per hoc, quia Sacramenta veteris legis non causabant gratiam, propter quod à D. Paulo ad Galat. 4. appellantur infirma & egena elementa: *Quomodò* ait, *conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis.* Cuius rationem reddit S. Thomas 2. 2dæ quæst. 103. ar. 2. quia illa Sacramenta non proficiebant ad salutem, &

non habebant virtutẽ ſanctificandi. Hinc A ad Hebr. 9, dicuntur *iuſtitia carnis, quæ non poteſt emundare conſcientias.* Et ibidem tota lex antiqua vocatur vmbra, quæ non potuit facere perfectos accedentes. Fateor bonam eſſe hanc differentiam, inter noſtra, & legis veteris Sacramenta, quam etiam tangit Concilium Florent. in inſtructione Armenorum, ac Concilium Trident. Seſſ. 2. cap. 2. docens noſtra Sacramenta per hoc differre ab Antiquis, quia hæc non cauſabant gratiam, ſed ſolùm eam per paſſionem Chriſti dandam figurabant. Nihilominùs verius mihi videtur noſtra ſacramenta à Sacramentis B veteris legis, per hoc potiſſimùm differre, quia in Sacramentis veteris legis, nõ fuit character aliquis ſpiritualis impreſſus, quemadmodùm eſt in noſtris, vt docet S. Thomas 3. p. quæſt. 63. ar. 1. ad 3. Quod ex eo probat, quia illa Sacramenta nullam habebant virtutem, ad ſpiritualem aliquem effectum conſtituendũ, ideòq; ſufficiebat carnalis circumciſio, per quam Iudæi ab infidelibus diſtinguerentur. *Ad tertium* inquit ſanctus Doctor, *dicendum, quia ſicut ſupra dictum eſt, Sacramenta veteris legu non habebant in ſe ſpiritualem virtutem, ad aliquem ſpiritualem effectum operantem, & ideò in illis Sacramentis non requirebatur aliquis ſpiritualis character, ſed ſufficiebat ibi corporalis circumciſio, quam Apoſtolus ſignaculum nominat.* Atq; hanc ob cauſam S. Chryſoſthomus homil. 2. ad Epheſ. Iſraëlitas tanquàm pecudes obſignatos vocat: *Obſignati ſunt* ait, *Iſraëlitæ, ſed circumciſione, quemadmodùm pecudes.*

In Sacramentis veteris legis nõ fuit character ſpiritualis.

S. Thomas.

S. Chryſoſt.

Sola igitur Sacramenta nouæ legis, vt Baptiſmus, Ordo, & Confirmatio, imprimunt characterem, propter quod baptiſmus vocatur ſigillum, ſignaculum à D. Baſilio lib. de Spiritu Sancto cap. 12. & à D. Auguſtino epiſt. 11. poſt medium, vbi dicit: *Gratia Chriſti Domini noſtri per baptiſmum in anima ſupernaturaliter infundi ſignũ, ſeu qualitatem quandam, quâ homo Dei obſequio addictus, membrum ſit Chriſti, eiuſq; Eccleſiæ, ac æterno eius mancipatus auxilio, ita vt ab omnibus Angelis, etiam ſupremis Poteſtatibus, pro tali agnitus, & honoratus in eorum tutela maneat.* En quanta hæc gratia, quantum beneficium? Quando Deus primogenitos Ægyptiorum filios morte repentina puniebat, Iſraëlitas ita illæſos ſeruauit, vt ne abiectiſſimum iumentũ apud illos interierit, Exodi 11. *Media nocte ingrediar Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, eritq; clamor magnus in vniuerſa terra Ægypti; apud omnes autem filios Iſraël non mutiet canis, ab homine vſq; ad pecus, vt ſciatis, quantò miraculo diuidat Deus Ægyptios, & Iſraël.* Et quod obſecro fuit illud miraculum, quo Deus Ægyptios ab Iſraëlitis ita diuiſit, vt illis præ nimio dolore vociferantibus, hi in ſummà ſecuritate, & quiete permanerent? Equidem non aliud, niſi character ſanguinis poſtibus infixus: ita enim ſtatim reſoluit ſacra pagina Exodi 12. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum, in ædibus, in quibus erit, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Quam præſtantior eſt nunc character baptiſmi in Eccleſia Chriſti, quem etiam Angeli in vindictam non rarò ſubmiſſi à Deo reuerentur, nec audent hominem eo inſignitum perimere. Audite S Baſilium homil. 13. *Niſi* inquit *Characterem in te cognoſcat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit, quomodò inquam dices, Dei ſum? an ignoras, quemadmodùm ſignatas domos in Ægypto exterminator præteriit? Theſaurus non obſignatus furibus facilè patebit, ouis item abſq; nota inſidijs protinùs eſt obnoxia.* Quid verius: transferuntur plerumq; regna de gente in gentem, conſumuntur crebrò peſte, & bello populi; non paucos tamen exterminator Angelus præterit, quia characterem, id eſt, Chriſti ſanguinem, in animabus noſtris ſignatum reuereretur.

Sanguis in poſtibus Iudæorum in Ægypto præſeruabat à morte.

S. Auguſt.

Exodi 11.

S. Baſilius.

Ecce igitur habemus regenerationem ex aqua, & Spiritu Sancto, quam ideo Chriſtus in nobis requirit, tum vt vitam immortalem poſſimus conſequi quæ ex eius morte in nos dimanat: ideò enim paſſus, ideò crucifixus, ideò mortuus eſt, vt nos cum illo æternùm viuamus. Tum, vt hoc ſigno, velut pacto quodam ſolemni DEO reconciliati, in eius charitate, & amicitia permaneamus. Quocirca memores baptiſmum eſſe pactum ampliùs non peccandi, hoc ſacro charactere inſigniti, iuſtè & ſanctè in hoc ſæculo viuamus, & ſic gladius diuini furoris nuſquàm nobis aciem intentabit, ſed ſub Dei protectione, & ſanctorum Angelorum tutelâ, facilè & mundi fallacis vanitates, & Draconis infernalis aſtutias ſuperabimus: quoniam in ſigno crucis victoria nobis promiſſa eſt.

DIE

DIE SANCTI STANISLAI.

Et animam meam pono pro ouibus meis.

S. Stanislaus veritatis libera annuntiatione, libenter ſuſcepta morte, & dilectione, nimium Eccleſiam ſanctam exornauit.

TAnti præpotens Deus martyres ſuos æſtimat, vt nulla re magis gloriari, & ſuam Eccleſiam ornari velit, quàm eorum ſanguine. Hinc Martyrum mortem pro vno inæſtimabili theſauro apud Deum valere proclamat Regius Vates Pſal. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Pretioſa equidem mors Sanctorũ, potiſſimùm Martyrum, quorum vinci, victoria eſt; quorum mors accipit coronam de conſummatione virtutis, quæ ſuæ mortis, pretio meliorem emit immortalitatem. *Ratio eſt*, quia ſicut Chriſtus ſua morte B mortem debellauit; ita Martyrum mors de mundi tyrannide victoriam refert, & Eccleſiam ſanctam ſuo ſanguine propagat, quam Chriſtus de ſuo ſanguine fundauit. Vnde non immeritò quærunt interpretes, quare Deus in pœnam tranſgreſſionis primæuæ, mortem fuerit Adamo comminatus, Genes. 2. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.* An certè diuinæ iuſtitiæ innumera alia deerant ſuppliciorum genera, quibus hominem poſſet condignè punire? Quid mortì inerat ad congruum ſupplicium, vt eam potiùs maluerit? An quia mortem pœnaliſſimam homini cenſuit? Minimè: C nam & Angelus Deo ſimilis fieri appetẽs, grauiter peccauit; & tamen non eſt punitus morte, ſed eadem die, & eodem puncto, quo peccauit, æternis fuit fine remiſſione cruciatibus mancipatus. Et cur peccatum in Angelo tantum excidium ſine remiſſione cauſauit; in homine autem remiſſibile fecit damnum? Ne miremini: Angelus author fuit, & inſtigator peccati, ideòq; grauiores longè pœnas luere debuit. Sic cenſet D. Paulinus epiſt. 4. *Non ſicut Angelus* ait, *in æternum ſupplicium damnati ſumus: quia ille author peccati fuit, ſimulq; pro ſe, & pro homine punietur, qui eodem periit ſcelere, quo perdidit, Homo* D *autem non in ſine meruit exterminari paradiſo, & terrâ, quia diuina iuſtitia leuiùs iudicauit, aliena mente peccaſſe; quàm propriâ. Criminoſius eſt decipere, quàm decipi, & peccatum excogitare, quàm facere. Et ideò temporaliter, & ad emendatio-*

Pſal. 115.

Cur Deus Adamo obtranſgreſſionem, mortem cõminatus ſit.

S. Paulinus.

Moyſes Barcepha.

nem punitus eſt fraudis adſenſor; in æternum autem ſupplicium deſtinatus mortis inuentor. Quia ſemper maior pœna debetur authori, & inſtigatori facinoris; quàm aſſeclis eius. Verùm eſt alia, & verior cauſa, cur Deus peccantem hominem morte puniuit: quia ſibi iucundam fore exiſtimauit. Quod ingeniosè deducit Moyſes Barcepha Syrus. 3 parte comment. de paradiſo cap. 1. vbi hoc dubium multimodè verſans, tandem ita concludit. *Dentq; cùm olim ex iſtius poſteritate futuri eſſent Martyres, lata eſt aduerſus illum mortis ſententia, vt hi per mortem pro ſua pietate, ac reuerentia obitam, coronas adipiſci poſſent iuſtitiæ.* Profunde ſatis, nimirum in tam ſeuera ſupplicij acerbitate, quæ tot vindictæ ſtrages minabatur, & quâ homo præmaturæ mortis pœna terrenæ damnatus noſcitur; homo inquam, paradiſea felicitate nuper immortalis; illud ad damnandum hominem ineluctabili morti Deum alliciebat, quod omniſcientiæ diuinæ oculis præuidit, ex Adami poſteritate futuros eſſe Martyres, qui mortis pretio meliorem emant immortalitatẽ? quam primæuo peccato amiſerant. Moriatur immortalis Adam, ſi præuaricari malit, & cùm tota poſteritate mortem ſubeat; at tot mortalium ſtrages, tam lugubrem humani generis tragædiam, & funeſtum omnium excidium, anticipata futurorum martyrum notitia conſolatur. Caſum enim hunc infeliciter tragicum, non tàm funeſtat hominum iactura, quàm proſperè felicitat martyrum cruenta vſque ad mortem tortura. Fiat Adam in violati præcepti pœnam, cum tota poſteritate ex immortali mortalis, quoniam ex eius poſteris exurgent ſtrenui Martyres, qui cruentæ mortis pretio meliorem vitam reſtaurent, & immortalitatem redimant. Et profectò rem ita ſe habere, ex ipſa ſacra pagina facilè quiſq; conijcere poteſt. Recens creatum hominem, immortalitatis priuilegio in- D exterminabilem Deus in paradiſo collocauerat, præceptum ei ponens, vt ab vna arbuſcula temperaret ſibi, cuius edulem ac ſapidum fructum, mortiferum nouerat: *In quocunq; die comederis ex eo, mor-* Geneſ. 2.

te morieris. Symmachus legit, *mortalis eris.* Nihilominùs postquàm refractarius Adam violasset diuinum præceptum, sat diu mortalis vixit: Abel enim iustus primus omnium mortuus est. *Consurrexit adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Hinc opportunè quærit Theodoretus, quare cùm Adam peccasset, iustus Abel primus mortuus sit? Respondetque: *Si Adam prior obijsset firmiori fundamento mors niteretur, primum mortuum excipiens peccatorem. Quia verò primum recepit eum, qui iniustè occisus erat, dubium fundamentum habet.* Pugnabat igitur vitij nequitia cum probitate virtutis, vtra prior poneret pulchræ mortis fundamentum, illiq; cruentè felix iustorum mors adscriberetur. Vitium pro se allegabat sententiam in præuaricatorem fulminatam: *In quocunq; die comederis ex eo morte morieris,* cum tota posteritate. Virtus autem considerans quàm sit apud Deum pretiosa mors sanctorum eius, pro virili contendebat hanc prærogatiuam vitio eripere, & pia æmulatione satagebat, vt pretiosa mors iniustè occisorum à tyrannis, iustitiæ adscriberetur. Ideò non præuaricator Adam, sed iustus Abel parricidali occubuit gladio, vt mors saltem dubium fundamentum haberet, vt hinc facilè homines agnoscant, quàm sit pretiosa mors cruenta Sanctorum, & quàm sumptuosè virtus æstimet martyrum calamitates, cruciatus, mortes, quibus Ecclesia Christi mirificè exornatur. Quod in hodierno Martyre D. Stanislao considerabimus.

Quare Abel innocēs prius mortuꝰ, quàm Adā peccator.

Conflictus vitijs cum virtute de morte.

Primum, & præcipuum fundamentum Ecclesiæ, veritas est; cùm enim Christus sit ipsamet essentialis veritas, falli, & fallere nescia, in sola veritate Ecclesiam suam fundare voluit: *Ego sum* inquit, *via veritas, & vita, qui crediderit in me, non morietur in æternum.* Hoc Deus pulchrè figurauit, dum supremum populi sui præsulem, mirum, summum Sacerdotem, primamque tunc Reipublicæ Iudæorum sedem, vestibus ornari præcepit, Exodi 28. Vbi post tunicam, & superhumerale, adhiberi iussit circa pectus vestem palmarem, *Rationale* dictam, in qua duodecim pretiosi lapides tribus distincti lineis relucebant. Insuper in eodem *rationali*, expressæ erant voces, *Doctrina*, & *veritas*. Tandem de illa ita locutus est Deus: *Facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos, quos pones in vtraq; rationalis summitate, catenasq; aureas iunges angulis; qui sunt in marginibus eius, & ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroq; latere superhumeralis.* Ita rationale doctrinæ, & veritatis, catenis copulabatur sacerdotis vesti; ne inde posset euelli, sed firmiùs adhæreret. Rationem reddit Origenes hom. 6. in Leuitic. quia sicut summus Sacerdos; ita & Ecclesia sancta, sine doctrina, ac veritate, minimè subsistere potest. *Postquàm* ait, *nuditas tecta est, & indumentu turpitudo velatur; postquàm munitus operibus, & cingulo vtroq; firmatus est, legium ei, id est rationale, nunc traditur. Logium sapienciæ indicium est, quia sapientia in ratione consistit.* Quia ergo rationale in Synagoga Iudæorum doctrinam, & veritatem denotabat, ideò primæ in spiritualibus sedi, id est, summo sacerdoti debuit etiam catenis alligari, vt firmiter, & inseparabiliter is illi adhæresceret. Non enim aliunde clarius noscitur diuina sedes, eiusq; Ecclesia sancta, quàm ex firmiter sibi affixa, & adhærescente doctrina, atq; veritate.

Origenes.

Exodi 28.

Vultis vlterius documentum, recurrite ad primæuam mundi istius constructionem, Genes. 2. hac breui clausula sacer Historicus Moyses claudit mundi opificium. *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Ad vnicum Dei verbum, terra nullis fulcimentis infernè peruenientibus ad summas partes, inconcussa stabat, omni amænitate florum, & animantium varietate conspicua, abyssus natalibus exundabat, & aer varijs volatilium generibus replebatur: totumq; hoc vniuersum iam consummatum, miro ordine dispositum, ac nimia rerum pulchritudine adornatum, gloriabatur inclamans: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti.* Et tamen postquàm Deus, tanquàm summus opifex ita perfectè mundum absoluit, fertur apud Philonem, quempiam è suis Prophetis interrogasse, num aliquid nondum creatum desideraretur, siue in terra, & aqua, siue in aëre, aut æthere, siue in extremo cæli ambitu? Atq; sic interrogatum Phrophetam respondisse, perfecta quidem, & plena omnia vbiq; esse; vnum tamen adhuc desiderari, nimirum, laudatorem horum sermonem, qui in omnibus rebus, & quod minimum, & quod maximum est, non tam laudaret; quàm enarraret. Quoniam veritas non minus auctario, quàm detractione lædituꝛ: qui enim mendacio seruit, interfector & adulter veritatis est: *nam omne falsum, adulterium est,* inquit Tertullianus. Placuit hoc responsum summo rerum opifici,

Genes. 2.

Mundo à Deo creato sola veritas defuit.

Ornàtus summi Sacerdotis veteris legis.

Tertullianꝰ

fici, ideòq; statim ad enarrandæ veritatis munus Mnemosynen destinauit, *ex vna diuinarum potentiarum virginem memoriam,* Philo, Concludit Philo lib. de plant. Noë, siquidem ad sinceram rei narrationem? *memoria virgo* requiritur. Duo autem sunt Virginis memoriæ riuales, qui illam constuprant, & sinceram veritatem perimunt, nimirum ingenium, & affectus. O quoties ab intellectu multa sagaciter ingeniante in narrationibus, & ab affectu aut in malum detorto, aut in bonum nimis propenso, *memoria Virgo* incestatur? omnium est æstimare, quanta ambitione sermonis, ingenium, etiam cùm veri aliquid affert, non sine mendacij vitio enarret. Plerumq; enim non nihil adijcit, sæpiùs aliquid detrahit, nec semel immutat: dum suspiciones suas aut alienas, de subtili ingenio profectas, in partem narrationis diffundit. Corruit sanè veritas ab ingenio multoties, corruit ab affectu, dum cum his amasijs, *Virgo memoria* scortatur.

Philo,

Sed eheu dolendum, non solùm in primæua mundi pulcherrima constructione, defuit veritatis præco, defuit operum Dei laudator; verùm etiam his temporibus, licet Christus in vniuersum mundum veritatis prædicatores miserit, non est, qui illam auida aute excipiat. Quod deplorat Redemptor noster: *Veniet* inquit *tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coàcernabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Iam æq; Principes, atq; subditi; diuites atq; pauperes, potentes atq; infirmi, auerso animo veritatem susciuiunt. Imò nec iam est, qui Regibus, & populis, Principibus & potentibus huius sæculi veritatem loqui velit. Sed iuxta desideria eorum, placentia quisque loquitur. Sic quondam aulicus nuntius monebat Michæam, quòd similis esset Baal Prophetis, qui vno ore prædicabant bona Regi: *Ecce* inquit *sermones Prophetarum ore vno bona Regi prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* 3. Regum 22. Non dixit, quòd prædicarent Regi vera, sed bona: nam aulici hoc solùm curant, vt Regibus prospera, & desiderata dicantur; non æstimant autem quod illis dicantur vera. Et quod magis dolendum: si aulici hoc solùm facerent, vtcunq; tolerabile esset; verùm etiam illi, quos Deus ad regale sacerdotium euexit, cùm ex officio vera loqui teneantur, sola placentia loquuntur. Non tale præceptum dedit Christus discipulis suis Matth. 5. *Vos estis sal terræ?* quia in sale intelligebat veritatis mordacitatem, quæ Reges in bono continet, ne eant in corruptionem. Hinc D. Synesius lib. de regno ad Arcadium sic eum alloquebatur; *Te igitur ego, vel si idipsum molestè sis laturus, ex eorum, qui seruantur, numero esse volo. Nam carnes quidem acris, atq; adstrictoria satis qualitas diffluere non patitur; Adolescentis verò Regis animus, quocunq; impetus ferat, pro potestatu licentia progressurus, verborum veritate cohibetur.* Sicut ergo sal carnes contrahit, ne diffluant, ne abeant in corruptionem; ita veritas Regibus dicta, eos solet in bono continere, ne exorbitent.

Veritatem omnes auerso animo audiut.

3. Reg. 22.

Sacerdotes aulicos imitari non debent.

S. Synesius.

Veritas Regibus multum profi. cua.

Dicebat D. Stanislaus veritatem Regi, in vitam hominum durè sæuienti, vt eum Deo lucraretur, optimè sciens, quòd licet Reges veritatem non libenter audiant; ab ea tamen vel inuiti aliquando rapiantur, ne exorbitent, aut ne in graviora scelera ruant. Sic quondam Michæas Propheta monebat impium Regem Achabum, vt suum peccatum agnosceret, & quamuis Rex à quadringentis Baal falsis Prophetis clusus odio Michæam prosequeretur; instante tamen periculoso bello, cum Rege Syriæ, de futuro belli euentu ab illo certior fieri voluit. 3 Regum 22. *Dixit autem Iosaphat: non est hic Propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eum? Et* ait *Rex Israël ad Iosaphat: Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Deum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum; Michæas filius Ierula. Cui Iosaphat ait; ne loquaris ita Rex.* Sapiens & iustus erat Rex Iosaphat ideò non potuit ferre, quòd malè audiret Propheta Domini ex eo, quia mala prophetaret. Non enim ex arbitrio Prophetæ pendet, mala, aut bona prophetare; sed ex Dei constitutione, veraq; futuri cognitione oritur, quòd illa dicantur futura. Proinde, quando id, quod verè futurum est, dicitur; non odio, sed honore apud sapientes dignum esse censetur. Præsertim cùm in Ecclesia sancta nolit Christus annuntiari, nisi solam veritatem, vt ipsemet testatur Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas.* Ecce, vix IESVS de veritate mentionem fecit, & statim Pilatum traxit, vt scire cuperet, quidnam veritas esset, ait Theophylactus: *Paucis illis verbis Pilatum rapuit, atq; ita, vt de veritate interrogárit, quid sit.* Semper igitur veritas in Regum animis aliquid operatur, illosq; aliquando in bono detinet. Negauerant Iudæi IESVM Regem, exclamantes: *Re-*

3. Reg. 22.

Ioan. 18.

Theophyl.

gem non habemus nisi Cæsarem. Quia tamen IESVS dixerat: *Regnum meum non est de hoc mundo*: ideò post verbera, post illusiones, sedens iterum pro tribunali Pilatus, vt IESVM morti adiudicaret, dixit ad eos: *Ecce Rex vester.* Necdum satis, verùm etiam supra crucem inscriptionem poni

Pilatꝰ quare Christũ titulo Regis honorauit.

mandauit: *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Ioan. 19. Et vnde obsecro Pilato tanta diligentia, in diuulgando regno IESV? Quem negatum à proprijs subditis, quem seruiliter tractatum, & verberibus ac vulneribus cruentatum, quem deniq; inter latrones crucifixum spectabat? vt adhuc eum Regis titulo honoraret? Equidem, quia veritas, quam ex ore Iesu audierat,

Beda.

non poterat in animo eius non inhærere. Ita resoluit Venerabilis Beda: *Auelli* ait, *ex eius corde non potuit, Iesum esse Regem Iudæorum, tanquàm hoc sibi, sicut in titulo ipsa veritas fuerit, de qua, quid esset, interrogauit.* Ita proinde veritas tenebat animum etiam impij Præsidis, vt ab eo nulla ratione posset auelli.

Non aberrauit à Redemptore nostro D. Staniſlaus, qui vt ostenderet, se ad munus pastorale vocatum esse, testimonium veritati perhibuit, scelera im-

Boleslaus Audax Achabũ Regem secutus est.

pijssimi Regis arguens, increpans, & obsecrans in omni patientia, vt tandem Audax Rex, verius magis audax peccator, finem vitijs, & tyrannidi imponeret. Verùm malus agerboni seminis capax non erat; & ideò noluit imitari pœnitentem Dauidem, nec Theodosium Imperatorem, publicam pœnitentiam sibi impositam humiliter agentem, sed reprobum Achabum, qui mendacia amabat: veritatem autem hostiliter insectabatur. Cùm enim Michæas Propheta Domini veritatem illi aperiret, ne à falsis Prophetis, & aulicis assentatoribus se decipi pateretur. *Nunc ergo ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hîc sunt. Et Dominus locutus est contra te malum.* Id est, permisit Dominus spiritum mendacij in ore omnium vatum circumstantium te. Ea est enim efficax Dei sapientia in exuendis Principibus â dignitate, in eisq; confundendis, vt eorum, quibus maiorem fidem Reges habent, im-

Iob. 12.

mutet Deus labia, ne vera, sed mendacia loquantur. Quod pulchrè expressit Iob cap. 12. de DEO loquens: *Apud ipsum est fortitudo, & Sapientia: ipse nouit & decipientem. & eum, qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Baltheum Regum dissoluit, commutans labia veracium, & doctrinam senum auferens, effundit deiectionem su-*

per Principes. Quod certissimùm extremæ ruinæ, ac dedecoris, & ineuitabilis mali indicium est. Sic non placuit veritas Michææ Prophetæ Achabo, dum plùs falsis Prophetis, & assentatoribus placentia sola, ac mendacia loquentibus; quàm Michææ futurum in bello interitum ei prædicenti crederet, propter quod col-

3. Reg. 22.

laphisari iussus est. 3. Reg. 22. *Accessit autem Sedecias filius chanaana, & percussit Michæam in maxilla.* Imò ob veritatem etiam incarcerari iussus: *Hæc dixit Rex: mittite virum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aquâ angustiæ.* Et ecce hinc certissima ruina: subdit enim sacer textus: *Commissum est ergo prælium in die illa: & Rex Israël stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus.* Non placuit & Boleslao audaci veritas à D. Staniſlao toties per salutiferas admonitiones proposita, ita vt totus in rabiem versus, in mortem innocentis martyris conspiraret, quem diuina mysteria peragentem gladio suo interfecit. Debebatur sanè Ecclesiæ Christi hoc ornamentum, vt sacro martyris sanguine pro veritate effuso adornaretur: quia pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Status antiquorũ gentilium felicior modernis Regibꝰ.

Audite hæc moderni Reges, Principes, Imperatores, quibus sola mendacia arrident; veritas autem exosa manet, qui vera annuntiantes pane lachrymarum maceratis, nec priùs persequi desistitis, donec eorum carnibus saturemini. Felicior equidem erat gentilium status; quàm præsens Catholicorum Principum conditio. illi siquidem vera, licet molesta libenter audiebant; hi licet eis lux veritatis affulsit, à veritate auditum auertunt. Explicuerat olim Daniel Balthasari Regi molestissimam scripturam, quòd eadem nocte regnum, & vitam amissurus esset. Quid tunc? conciliauitne illa prædictio veritatis odiũ Danieli apud Regem? minimè: imò addit sacer textus: *Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpurâ, circumdata est torques aurea collo eius.* Da-

Daniel. 5.

niel. 5. Nemo vnquàm mihi credite molestius quidpiam annuntiauit etiam priuato homini, quàm Daniel Balthasari Regi potentissimo, dum ei prædiceret regni pariter, & vitæ imminentem perditionem, Et tamen Rex nõ illum odio prosecutus est, sed summo honore, propterea quòd verè annuntiauerit, quod futurum erat. Audite hac de re Iosephum lib. 10. c. 12. ita loquentem: *Hac interpretatione accepta, Rex non poterat non vehementer*

Balthasar Rex audiẽdæ veritatis amans.

hementer tristari; at tamen Danieli suam munificentiam non subtraxit, tanquam malorum præuntio; sed dona, quæ pollicitus est, exhibuit, sic cogitans, quòd non bona audierit, sui fati culpam esse, non Prophetæ; imò illum boni viri officio functum esse, qui sic interpretatus sit, vt erat euenturum: tametsi parum lætus euentus sequeretur. Ponderate diligentiùs illa verba: *Quòd non bona audierit, sui fati culpam esse.* Nimirum sciebat benè prudens Rex, mala sibi à Propheta denuntiata, non à Propheta, sed à Deo venire: propterea non odio habebat, sed maximè honorabat Prophetam Domini, quòd verè scripturam interpretatus esset, & quæ ventura erant, verè prædixisset.

Ionæ 1.

Quid de Rege Niniuitarum loquar? Ingressus Ionas ciuitatem illam magnam itinere vnius diei, cœperat clamare in plateis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Vbi verbum hoc peruenit ad Regem Niniue, dicit sacer textus: *Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco.* Audiuit Prophetam valido clamore prædicentem futuram ciuitatis subuersionem, & statim deseruit thronum suum, luctui se dedit, & in cinere sedens aspero cilicio coopertus, arctam pœnitentiam egit. Et cur non potiùs clamanti Prophetæ, & tàm infausta prædicenti, sese opposuit? Cur impolitum hominem, tanquam publicæ quietis turbatorem, non eiecit, aut saltem clamare non prohibuit? Respondet S. Ephrem sermone in Ionam, quia prudentissimus ille Rex optimè nouerat, mala imminentia non venire à Propheta, sed à peccatis; ideoque credidit instans periculum denuntianti, sola peccata persequendo, omnem pompam regiam abijciendo, &

S. Ephrem.

cum vniuerso populo ad placandam Numinis iram festinando. *Non peccauit Propheta* inquit S. Ephrem, *sed peccata nos morte mulctant. Neq; verò Hebræus nostram subuertit ciuitatem, sed eam nostra delet malitia. Alium quippè inuisibilem habemus inimicum, cui fortiter resistere par est: surgens itaq; Rex festinanter, vestem suam abiecit purpuream, ac sacco se vestiuit, ieiunauit, fleuit, pœnituit.* At nunc quem mihi è Catholicis Regibus, ac monarchis ostendes, qui in malis sibi denuntiatis, qui contra propria peccata, à quibus Regum, & regnorum extremæ ruinæ nascuntur, & non potiùs contra denuntiatores veritatis odia exerceat? Equidem Phœnice rariorem inuenies, idq; non in hominum, sed in diuorum numero collocandum. Quia corruit hisce temporibus veritas in plateis, & aulas Regum, & Prin-

Assentationes & mendatia magis placent, quàm veritas.

cipum solæ assentationes ac mendacia implent, vt non nisi, qui desiderabilia, & placentia loquuntur, cordi sint; qui autem vera suadent, & ab illicitis retrahunt, pro inimicis, & crimine perduellionis, ac maiestatis læsæ notatis habeantur.

Quando Nabuchodonosori exposuit Daniel, eius de regno eiectionem, ac cum bestijs futuram conuersationem, quòd velut bos prata, ac syluas oberraturus, & fœno victurus esset, non auerso animo id accepit Rex: quin imò dicit sacer textus. *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit.* Richardus de sancto Victore lib. 1. de eruditi. inter homin. p. 1. cap. 1. sic exponit: *Audito imminenti periculo, ad prophetantis se pedes humiliter proſtrauit.* At Boleslaus Rex paternam, & sanctam D. Staniſlai admonitionem, non solùm ferre non potuit, sed illa salutari veritate, quasi in amentiam actus, vsq; in necem Diui exarsit. Quem nunc moderni Principes, velut heredi-

Riehar dus

Assentatores, Regum & regnorũ sunt pestes.

tario morbo infecti passim sequuntur. Non sic ô Reges, non sic ô Principes vobis procedendum est, sed assentatores, blanda & prospera loquentes, pestem throni, & regni vestri, recta autem & vera consulentes, fulcrum ac firmamentum esse credite. Vt enim ruina à mendaci adulatione; ita conseruatio Regũ; & regnorum à veritate prouenit. Sic pro-

Psal. 90.

testatur Rex & Propheta Dauid Psal. 90. *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius.* Palam ostendens, felicem esse, qui ita amans est veritatis, vt vndiq; verum audiat, verum videat. Nam & DEI potentia non aliunde elucet, nisi, quòd illi vndique veritas affulgeat, iuxta illud Psal. 88. *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Vnde Theodorethus in hunc lo-

Theodor.

Deum scribens, Deum sic alloquitur: *Potentiam voluntati respondentem habes, omnia vera apud te sunt.* O verè potentes mundi Reges, quibus vndique veritates arridentes: hinc certè præstantes, hinc maximè felices agnoscuntur. Verùm miseros, & nunquàm satis deplorandos, apud quos tales in pretio consultores, qui eo ambitioso spiritu afflati sunt, vt ne Regum fauores perdant, omninò à veritate abstinent dicenda. Misera certè Respublica, in qua ciues, & consiliarij, nesciunt sentire, aut dicere aliud, quàm id, quod Principi placeat. De talibus enim dicit

Osea 7.

Oseas cap. 7. *In malitia, lætificauerunt Regem, in men-*

in mendacijs ſuis Principes omnes adulterantes. Oſtendens, hoc vnicum ſpectari in aulicis aſſentatoribus, curialibuſq; vt lætitiam faciant Principi, nihil non lætum illi proponendum, etiamſi procaciter mentiendum ſit. Hæc eſt grauiſſima peſtis aularum, & principatuum: rapiunt enim plerumq; aulicæ profanitates etiam optimos viros, vt peſſundata veritate, mendacijs ſubſcribant, quæ placidiora ſunt Principi, ſicq; Reges, & Respublicas, ac ſeipſos non rarò perdant.

Proprium eſt martyrũ, libẽter pro Chriſto pati.

Alterum Eccleſiæ ſanctæ fundamentum eſt, libenter & cum quædam iucunditate pro Chriſto pati. Hoc proprium Martyrum eſt, quorum quò maior erat tribulatio, eò maior lætitia. Hinc illud Apoſtolorum gaudium: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Contumelia fuit illis flagellatio, & exflagellatione magnum in tribulatione

S. Chriſoſt.

incluſum gaudium experti ſunt. Eleganter id expreſſit D. Chryſoſthomus, qui conſiderans verba illa D. Pauli ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino ſemper*, ſic ait: *Et quomodò gaudere licet, vbi ſunt vincula, vbi tormenta, vbi iudicia.* Et reſpondet: *Hic maximè gaudere licet; quomodò verò licet, vbi non hæc?* Statimq; ſubiungit rationem: *Qui namq; ſibi nullius rei magnæ conſcius eſt, quomodò delectabitur; itaq; quantò maiorem dixerit tribulationem, tantò maiorem diuis voluptatem.* Quid præclarius dici potuit? de magnis lætamur factis, qui magna non geſſit, quomodò delectabitur? hinc qui ſuſtinent patienter, quia magna gerunt, adeò vehementer delectantur, vt etiam ex ſolo tribulationis, nomine audito extra ſe fiant præ nimia dulcedine. Talis erat Venerabilis Pater Ioannes à cruce, qui poſt longum carcerem, poſt diras flagellationes, poſt extremam inediam, poſt maximas ignominias, vt fermè ad inſtar Chriſti ſaturatus fuerit opprobrijs, tali ergà labores, tribulationes, iniurias, anguſtias affectu, animo, æſtimatione prodijt, vt ex ſolo nomine earum in extaſim raperetur, ac totus extra ſe fieret, dulcedinis memoriâ, quam in laboribus expertus fuerat, & ærumnis. Vnde audita quadam die mentione facta Chriſti tribulationum, atque dolorum, mox in extaſim raptus, & poſt horam ad ſe reuerſus, ſic circumſtantes allocutus fertur: *Nolite mirari, vt laborum tantummodò nomine extra me abducar, dum ea exſtitit diuina lux in carcere ingentium bonorum, quæ ipſi in ſe includunt, quando pro nomine IESV ſuſtinentur, vt non ſolùm rapior, ſed vehementer crucior, quia parum perpeſſus, & parum patior.* Auctore Patre Ioſepho à Iesv Maria Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum. Eſt qualis erat huius viri erga Chriſtum amor, vt dum atrociſſimè cruciaretur, ſe minimè pati aſſeretur.

Ioannes à cruce paſſionum pro Chriſto tolerandarum auidiſſimus.

Sed non mirum: Martyrum enim animus, patiente corpore, ſummis affluebat delicijs, in primis ex eo, quia pati pro Chriſto glorioſum ſibi exiſtimabant; & ideò libentius ad carceres, ad flagella, ad mortem ipſam, quàm ad epulas properabant. Propterea, quia ſpes futuri præmij, mirum in modum eos ſolabatur; vnde ad Martyrij coronam exoptandam maximè excitabantur. Hinc Ignatius martyr ſcribens ad Romanos ita dicit: *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ, quas, & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ſupplicia, ne ſicut & aliorum martyrum non audeant corpus meum attingere: quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoſcite mihi filioli mei, quid mihi proſit, ego ſcio: nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus.* Tandem, quia diuinitus immiſſo ſolamine recreabantur, reficiebantur, demulcebantur. Nolo rem multis illuſtrare exemplis, vnum & alterum ſtabunt pro centum. Theodoretus teſte D. Auguſtino lib. 18. de ciuitate Dei cap. 5. dum equuleo torqueretur, quæſitus ab Euſebio, grauiterne tormenti acerbitatem ſentiret, reſpondit, tanto ſe affici iubilo, vt ab illo ſtatu non ſine moleſtia ſe eripi pateretur, ſubiungens, quòd iuuenis eleganti forma ſibi adeſſet, qui mundiſſima aqua, plagarum loca lauabat, & lota linteo tergebat, ac leniebat. Idem Theodoretus lib. 3. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 11. narrat. Adoleſcentem quendam Antiochenum, dum Iuliani Imperatoris ſæuiſſimi iuſſu, ob ludibrio habita idola flagris crudeliſſimè peteretur, nullum exhibuiſſe ſignum doloris. Cùm autem circumſtantes obſtupefacti poſtularent, cur nullum dediſſet doloris indicium, reſpondit, ſe ſtatim vt flagris impeti cæpit, vidiſſe iuuenem multæ formæ, omnem ſibi dolorem auferentem. Porrò huiuſmodi ſuperabundans ſolamen, quod potiſſimùm erat in parte rationali martyrum, ita copioſè ad partem ſenſitiuam defluebat, vt dolor, qui in ea parte cauſabatur, aut ex continui diſciſſione, aut diſſolutione temperamenti, aut ex vtroque capite mirum in modum minueretur, imò omninò aliquando ſopitus videretur.

Ignatij martyris cupiditas patiendi pro Chriſto.

Theodoreto inter tormenta lenimentũ præſtitum.

Quid de Diuo Staniſlao loquar? mille perſecutionibus impetebatur ab impio

D. Staniſlaũ ſuſcitatione mortui obiectã ſibi

calumniam confutat.

Rege: iam ruris iuſto pretio empti, iniqua poſſeſſio viro ſancto obijciebatur, & licet miraculo ſuſcitati à triennio mortui, olim heredis legitimi, & venditoris, tantam calumniam vir ſanctus publicè confutaſſet; Rex tamen ab incepto furore minimè deſtitit, miris modis innocentem perſequens, nihilque intentatum relinquens, donec eum è viuis tolleret. Omnia hæc vir ſanctus ferebat patienter: imò quemadmodum olim Elias pro enormiſſimis peccatis Achabi Regis, verticem montis carmeli deprecaturus Deum aſcenderat. 3. Reg. 18. *Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua.* Ita pariter D. Staniſlaus, vt pro impio Rege Deum deprecaretur, montem Rupellæ aſcenderat, ibique tremendum ſacrificium peragens, ab eodem iniquo Rege occiſus eſt. Bone Deus, quando ochozias Rex Samariæ miſerat ad Eliam in vertice montis diuinis colloquijs vacantem, quinquagenarium Principem, cum quinquaginta militum numero, vt eum ad ſe adduceret; non eſt paſſus Elias, vt ad verticem montis perueniret, ſed ignem de cælo euocauit, qui omnes conſumeret. *Reſpondenſq; Elias dixit quinquagenario: ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo,* 4. Reg. 1. *& deuoret te, & quinquaginta tuos.* 4. Reg. 1. At verò D. Antiſtes Staniſlaus, ſciens iam milites in necem eſſe ſubmiſſos, iam furibundum Regem in ſacellum cum euaginato gladio irruere, non ignem è cælo tanti ſceleris vltorem euocabat, ſed hoſtiam propitiationis pro Rege offerebat. Ne miremini debebatur hoc ſanctæ Eccleſiæ, vt ſanguine tanti martyris crudeliter effuſo purpurata firmiùs ſtabiliretur: quia pretioſa mors ſanctorum Martyrum, eſt veluti ſecundarium Eccleſiæ ſanctæ fundamentum.

Cauſa martyrij eſt qui liber actus Virtutis ex fide diuina deſcendes.

Diceret forſan quiſpiam D. Staniſlaum non debere haberi pro martyre, quoniam in eius morte defuit cauſa Martyrij, quæ debet eſſe fidei diuinæ confeſſio, vt conſtat ex illo Chriſti: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Ad hoc facilè reſpondetur, non ſolam fidei diuinæ confeſſionem formaliter ſumptam, eſſe cauſam ſufficientem ad martyrium; verùm & quemcunque actum virtutis deſcendentem ex fide diuina: nam quilibet actus ex fide diuina deſcendens, eſt eiuſdem fidei confeſſio virtualis, iuxta illud Iacobi 1. *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Hinc S. Ioannes Baptiſta, verus fuit martyr, qui tamen ea ſolùm de cauſa occubuit, quòd inceſtas prohibuit nuptias. Et D. Thomas Canthuarienſis habetur in Eccleſia pro martyre, licet nonniſi pro iurium Eccleſiæ defenſione occiſus ſit. Vnde ex parte inferentis martyrium non requiritur, vt inferat mortem ex formali odio contra motiuum martyrij, ſed ſatis eſt, ſi tale motiuum ſit cauſa, & occaſio mortis. Nam tyrannus, qui S. Thomam Canthuarienſem interimi iuſſit, non eſt motus formali Eccleſiaſticæ libertatis odio, ſed vtilitate, quam ex poſſeſſione facultatum Eccleſiæ optabat. Et Herodes non ideò interfecit Ioannem Baptiſtam, quòd in eo odiſſet libertatem, & zelum, ſed ne contriſtaret ſimul diſcumbentes. Similiter Herodias ad mortem eius poſtulandam mota eſt, ne Regis coniugio priuaretur. Tandem quinq; fratres Poloni, quorum memoria celebratur 12. Nouembris, non niſi ex eo motiuo torti, & trucidati ſunt, vt pecuniam à Rege donatam proderent. Licet ergo D. etiam Staniſlaus ob ſcandaloſam Regis libidinem improbatam occiſus ſit; verus tamen martyr: quia hæc improbatio ad fidem diuinã pertinebat, quæ ſine bonis operibus mortua eſt. Sic docet S. Auguſt. In Pſ. 140. *Pro lege* inquit *veritatis, pro æqualitate, pro iuſtitia certauit; ideò ſanctus, ideò martyr.*

S. Staniſlaus quia pro veritate occiſus ideò martyr.

S. Auguſt.

Tertium Eccleſiæ ſanctæ fundamentum eſt, charitas & dilectio inimicorum. Hoc palam docuit Saluator noſter ſuo exemplo, dum Iudaici ſenatus, & conſulti Romanorum ræſidis ſententiâ, ad pœnaliſſimam mortem damnatus eſſet. Vix enim clauis manus pedeſq; terebrantibus contumelioſo ſtipiti dirè affixus erat, ac inter duos latrones ſublimatus apparuerat, cùm ſtatim ſuæ magnanimæ virtutis acerrimus vindex, & generoſus aſſertor. Patrem æternum alloqueretur: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Et cur hanc difficillimam, & ſublimiſſimã omnium virtutum protinùs exeruit, cùm in damnationis ſupplicio à cunctis proſpectaretur. Hactenus enim tanquàm mutus ad tot accuſationes, dehoneſtamenta, & inenarrabiles cruciatus ſiluit. At verò poſtquàm cruci appenſus eſt, nimiæ dilectionis manifeſta indicia edidit. pro ſuis perſecutoribus Patrem æternum orans: *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Super quæ verba Emiſſenus hom. 8. in Paſcha ita diſcurrit: *Benedixit victus, qui liberat paſſus: interuenit reus, abſoluit damnatus: quia & vt aduerſarij reſipiſcant, redemptionem tribuit interemptus.* Hoc certè erat ſummum

Chriſtꝰ eũ in cruce pro ſuis perſecutoribus orauit.

Emiſſenus.

virtutis prodigium, Christianæ perfectionis meta, & solidum veræ religionis fundamentum, vt Christus ab æmulis victus, illis copiosè benediceret; vt reus pro accusatoribus, cum valido clamore interueniret; vt passus, passionum artifices liberaret; vt damnatus, damnationis ministros absolueret. Præluisse mihi iam tunc videtur in cruce sancta Redemptor noster futuris suis Martyribus, quos tanta charitate feruentes habere voluit, vt suis persecutoribus non imprecentur mala, sed pro illis orent. Et ideò ad illud præceptum: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum*, apposuit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Quod primus post Christum in lege gratiæ Protomartyr Stephanus adimpleuit.

Cùm enim capitalissimus animarum nostrarum hostis, qui nunquàm hominum ruinis satiari potest, phalanges suas, nimirum Iudæos rabie succensos, atrociter in Beatum Stephanum armasset, raptatus est ad Concilium, vbi infernalis furor, & (quod fortè grauiùs est) pharisaicus, cum summa malitiæ potestate præsidebat. In illo malignantium concilio, apud impios Iudices, pius Leuita, velut impietatis reus accusatus est, & falsis criminationibus dolosè subordinatis diu tentatus, tandem morti adiudicatus est. *Et eijciemes eum extra ciuitatem lapidabant.* Actor. 7. Actor. 7. Quid inuicta animi constantia, & vera fidei magnitudo? quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum. Iniustè lapidum ictus suscipiens sanctus Martyr, odium malis debitum, generosi cordis benignitate calcauit, non iram improbis debitam pro tot iniurijs, quibus eius patientiam atrociter tentauerant, seueriùs rependendo; sed potiùs humiliter Deum pro illis exorando: *Positu autem genibus, clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illu hoc peccatum.* Quæ verba Eusebius hom. de S. Stephano in hunc modum exponit *Qui pro inimicis sub ipso tempore consummatæ persecutionis orauit, beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit. Nec mirum, si eu nescit trasci, per quos sibi videt aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternu sæculis intelligit consecrari.* O stupendam circa sanguinem innocentem sitientes hostes charitatem! Insanam Protomartyr Stephanus synagogam supplicatione excusabat, passione verò confirmabat, & exornabat Ecclesiam: memor fratrum, immemor persecutorum. Non attendebat ad impostura blasphemiæ, nec ad sæuos lapidum impressorum vibices: quia per hæc persecutorum tormenta atrocissima, videbat sibi aulam regni cælestis aperiri, & se æternis sæculis intelligebat consecrari.

Eusebius.

Hæc est propria, & heroica martyrum in Ecclesia Christi virtus, persecutoribus non imprecari mala, sed pro illis Deum exorare. Talis fuit sanctus Antistes Stanislaus: toties magnis lacessitus iniurijs, toties iniquis exacerbatus persecutionibus; suo tamen persecutori non imprecabatur malum, sed tremenda sæpiùs peragendo sacrificia, Deum pro illo exorabat, vt sic tanquàm verus martyr, & veritatis annuntiatione, & morte libenter suscepta, ac tandem dilectione inimicorum Ecclesiam sanctam firmaret, & adornaret. Totum hoc negotium concludendo, illud mihi occurrit Angeli dictum ad Agar Ægyptiam de Ismaële, Genes. 16. *Paries* inquit *filium, vocabisq; nomen eius Ismàël. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Genes. 16. Pulchra satis eruditio, in qua generosam martyrum virtutem adumbratam video: manus enim Martyris contra omnes, & manus omnium contra eum. hoc est, ipse indigebit omnibus, quos tanquàm inimicos sustinet. Indigebit ad magnanimæ virtutis exercitium: quoniam miserrima fortuna est, quæ inimico caret Indigebit, vt de persecutionis emolumento æternis sæculis se intelligat consecrari. Indigebit, nedesint, quos virtute vincat, qui victoriæ militent, quibus ignoscendo triumphet. Ecce manus D. Stanislai contra omnes, nimirum hostes patriæ nostræ, vt illos propulset, & plenam tribuat victoriam. Manus eius contra omnes dissensiones, vt illas in vnitatem conuertat: manus eius contra omnes peruersè agentes, & mendacia loquentes, vt eos ad virtutum, & veritatis amorem reuocet. Sint etiam manus omnium nostrum contra eum, vt illum tanquam præcipuum patronum ad opitulandum nobis, Deumq; pro nostris peccatis placandum, attrahamus.

DIE SANCTÆ MARGARITÆ.

CONCIO PRIMA.

Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta vna pretiosa margârita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. *Matth. 13.*

Ostenditur duplex pretiosa Margarita, quam toto conatu quærere debemus.

DVo quasi secum pugnãtia in hodierno Euangelio legimus: *vnum*, quia regnum cælorum homini negotiatori cõparatur. cùm tamen negotiationis vocabulum malè in scriptura sacra audiat. Nam infelix ille Tyri Princeps signatè negotiationis arguitur, & grauissimis hisce verbis reprehenditur, Ezechielis 28. *In multitudine negotiationu tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei.* Ezech. 28. Similiter apud eundem vatem cap. 27. *Vrbs Tyrus* vt negotiationis florentissima, ita felicitate & ruinâ insignis perhibetur in hunc modum: *Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos in multitudine diuitiarum, & populorum tuorum ditasti Reges terræ. Nunc contrita es à mari, in profundo aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui ceciderunt.* Non dissimili modo grauissima ciuitatis Niniue flagitia, durissimaq; illis imminentia supplicia à Nahum Propheta describuntur, cap. 13. *Væ ciuitas sanguinum, vniuersa mendacij dilaceratione plena, non recedit à te rapina. Vox flagelli, & impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ, nec est finis cadauerum.* Nahum 3. Vbi statim causa tot criminum, ac supplicio-

Negotiatio bona cælicolis & tericolis & communis.

rum redditur hæc: *Plures fecisti negotiationes tuas, quam stellæ sint cæli.* Si igitur negotiatio ita Deo exosa est, quo facto lucroso negotiatori regnum cælorum simile esse dicitur? An cælum istiusmodi negotiationem exercet? num forsan cælites hæc lucra ambiunt? aut certè opes media negotiatione partas inuident? Equidem ita est: & mortalibus, & cælicolis, pia negotiandi auaritia communis est, mortalibus ad meritorum lucrum; cælicolis verò ad humani meriti, & diuini obsequij complacentiam. Quod ingeniosè Clemens Alexandrinus tetigit, Clemens Alexandr. in Adhort. ad Gent. ita scribens. *Erat autem quædam antiqua hominibus ingenita cum cælo societas.* Nostris enim bonis operibus cælicolæ gaudent, ac si illorum consortes essent: adeò illa æstimant, ac si illis piè inuiderent, eiusdemq; meriti societatem ambirent: dum homo negotiando vigilijs, orationibus, & bonis operibus laborat, vt in æternum felicissima illa visione beatifica ditetur. Culpat igitur Deus negotiationem, sed iniquam, auaritiæ atq; fraudibus obnoxiam; verùm non eam, quæ fit per virtutum incrementa. Eò enim eunt omnia Christi monita ad piam negotiationem impellentia, vt vnum duntaxat salutis negotium suscipiamus, non nisi de regno Dei coëmendo, & acquirendo cogitemus, atq; huic negotiationi, res omnes creatas, non secùs ac fini vltimo, media ad beatitudinem instrumenta substernamus, atq; subijciamus. Quapropter regnum cælorum vni margaritæ, cui comparandæ omnia inseruiunt, accurata locutione comparatur, vt ad hunc modum non modò omnes nostras curas, atque consilia, sed quidquid nobis siue opum, siue virium, siue honoris, & dignitatis, sanguinis atq; salutis, seu deniq; vitalis spiritus fuerit, referre, ac dirigere studeamus, vna hac intentione, ac spe contenti. Alterum non minus quasi doctrinæ Salomonicæ dissonum, in hodierno videmus Euangelio, nimirum quod iste homo negotiator, margaritæ cum pretio nulla facta comparatione, statim vendiderit vniuersa, vt eam emeret. Cùm tamen Salomon de egregia illa, & forti muliere, Prouerb. 31. v. 16. dicat: *Consideravit agrum, & emit eum.* Prou. 31 Vbi videmus hanc prudentem emptricem, non nisi præuia vtriusque rei consideratione, & comparatione, inter pretium erogandum, ac agrum coëmendum prius factâ, eum fuisse mercatã; iste verò negotiator cùm primùm inuenit margaritam, nec

per instans temporis immoratus est, sed statim magna cum alacritate, cuncta, quæ habebat, pro illa profudit. Respondent aliqui interpretes, Salomonem loqui de emptione rerum temporalium; hodiernum verò Euangelium de spiritualium bonorum negotiatione agere. Quemadmodum ergo in rebus temporalibus prudentiæ est, inter id, quod emitur, & pretium, quod exhibetur, aliquam collationem, & comparationem fieri; ita in cælestium bonorum negotiatione, eorum dignitate, ac maiestate cognita incunctanter, & sine vlla hæsitatione terrenis omnibus præferenda sunt. Verùm, crediderim ego, de cælestis thesauri negotiatione vtrobiq; sermonem esse: hoc solo discrimine, quòd Salomon loquatur de sapiente mercatore, qui cunctationem lentius instituere solet, eiq; tantisper hærere; Euangelium autem loquitur de negotiatore sapientiore, qui ad normam D. Pauli statim, & absque vlla hæsitatione, omnium detrimentum facit. Quis hoc ad oculum nõ videt in forti illa muliere Susanna, & in fortissimo Ioseph, dum vterq; ad adulterium pelliceretur, illa à pessimis senibus; hic ab improba hera. Verùm dum ambo ea in re sapiens consilium caperent, considerate discrimen animi virilis à fœmineo: hæcenim non sine aliqua licet perleui hæsitatione ita rem vndiq; ponderauit: *Angustiæ mihi sunt vndiquè, & quid eligam ignoro: si enim hoc egero, mors mihi est.* Tandem post modicam deliberationem concluſit: *Melius est mihi incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei mei.* Daniel. 13. Prudenter equidem; sed rerum momentis vtrinq; expensis. At verò Iosephus, dum ad adulterium vrgeretur, statim nulla interposita hæsitationis, aut ancipitis consilij morâ, illud repudiasse narratur, Genes. 29. *Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Quomodò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Ecce magis prudens factum, dum præ animæ salute, voluptatem carnis despiciendo, despexit, iniuriam non leuem virtuti irrogari existimans; si fœdam voluptatem cum ea certare permitteret. Considerabimus igitur, quomodò iste Euangelicus negotiator, multas quærens Margaritas, vnicâ solùm inuentâ, contentus manserit.

Susannæ & Iosephi in eunt ãdo adulterio prudentia.

Genes. 39.

Margarita Euangelica charitatem significat.

Iurè meritò quispiam ambigeret, quomodò ille, qui plures margaritas summo studio, & conatu inquirebat, vnicâ solummodò contentus esse potuit? Verùm, si profundè rem expendere voluerimus, facilè omnis admiratio cessabit. Margarita hæc ex mente sanctorum Patrum duo significat, in primis charitatem, quæ cùm sit virtutum omnium maxima, complementum perfectionis, ac scopus legis, creatum appetitum omnimodè exsatiat. Ita resoluit D. Augustinus tract. 5. in epist. Ioan. *Hæc est* inquit *charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunq; habueris, quam si solùm habeas, sufficit tibi.* Profundè satis: solam charitatem sufficere dicit sanctus Doctor, quia ipsa alijs legis, & virtutis operibus perfectionem, atque complementum, & vt sic loquar, vltimam manum addit. Simul quoque ostendit, quasuis egregias actiones, atq; virtutes à charitate diuulsas, non secus atq; dissolutas, ad nihilum aptas censeri, iuxta monitum D. Pauli ad Coloss. 3. *Induite vos sicut dilecti Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supra omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Palam ostendere volens, quòd quemadmodùm si ijs, quæ sunt vinculo copulata, vinculum demas, passim sparguntur, decidunt, & nihil fiunt; ita planè sola charitate deficiente, omnia hominis opera imperfecta, inchoata, & velut immatura, acerba, imò nulla fiunt. Quod expressit Origenes homil. 3. in Leuit. ita scribens: *Neq; enim accepta esse possunt Deo opera tua, nisi in pace peragantur.* Hinc meritò concludit Baronius tom. 3. Annal. ad annum Christi 260. *frustra quoq; magna conari hominem Christianum, nisi fraternæ charitatis compage fuerit solidatus.* Pergebant ad nuptias virginitati suæ nimiùm confidentes quinq; virgines fatuæ, sed ianuâ illis occlusâ, à sponso audierunt responsum: *Nescio vos*, Matth. 25. Quid causæ? vtiq; iuxta D. Ioannem in Apocalypsi, *Virgines sequuntur agnum quocunq; ierit.* Sanè, quòd licet alijs virtutibus destitutæ non essent; charitatis tamen oleum, quod verum charitatis oleum patefacit, & portas occupat, non habuerunt, vt docet S Bernardus epist. 42. ad Henric. Sanonens. Archiepiscopum. *Venustate* inquit *sui castitas eminere apparebat, sine charitate tamen, nec pretium habet, nec meritum. Castitas sine charitate lampas est sine oleo. Subtrahe oleum lampas non lucet, castitas non placet.* Imò neque tremendum sacrificium Deo acceptum esse potest sine charitate.

S. Augustin.

Origenes.

Baronius.

S. Bernard.

Reuocate vobis in memoriam, quid locutus sit Christus, Matth. 5. hac de re. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinquè ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Vbi optimo iure munus ante reconciliationem cum fratre, ab altari arcetur: quoniam sine mutua charitate imperfectum, acerbum, mancum, & DEI conspectu indignum est. Vt ingeniosè concludit Diuus Cyprianus, supra illud D. Pauli 1. ad Corint. 13. *Si tradidero corpus meum, vt ardeam; charitatem autem non habeam nihil, proficio. Ad regnum* inquit *cælorum, non potest peruenire discordia, nec ad præmium Christi, qui dixit, hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem.* Nihil proinde valet apud Deum sacrificium, sine charitate, & fraterna dilectione oblatum. Hinc illa grauissima comminatio DEI, ad populum infidelem, Isaiæ 1. *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Vbi non alia de causa sacrificia, atq; orationes, quæ alias DEO acceptabiles esse solent, omninò repudiandæ dicuntur; quàm quòd orantium manus sanguine, id est, aliorum iniurijs, mutuis dissidijs, (nam hoc sanguis in scriptura significat) infectæ essent. Ergo quando charitas non abundat in cordibus hominum, sed odia, dissensiones, inuidiæ, frustra Deum sacrificijs inquietant, frustra eum orationibus inuocant: quoniam hæc sine charitate diuino conspectu indigna fiunt. S. Cypriano de orat. Domin. id proclamante: *Sacrificium* inquit *Deo maius est pax nostra, & fraterna concordia, & de vnitate Patris ac Filij & Spiritus sancti plebs adunata: nec enim in sacrificijs, quæ Cain & Abel primùm obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placeret in corde. Abel pacificus & iustus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordiæ, pace.* Atque hinc facilè conijcite, Deum nihil ampliùs à nobis exigere, præter mutuam charitatem. adeò, vt volens olim in homines alioquin indignos, & iniquos misericordiam suam effundere, sic eos alloqueretur. *Congregamini gens non amabilis, priusquàm pariat visio transeuntem diem,* LXX. legunt *colligamini.* Demùm S. Hieronymus vertit: *Eflote vobis iuxta Apostolum, charitatu vinculo copulati.* Quibus verbis hoc indicare voluit: ideò potissimùm estis mihi gens non amabilis, quòd ad inuicem dissideatis, colligamini iam, & mutua vos dilectione copulate, vt vel hac ratione regiam clementiæ virgam extendam, debitasq; vobis pœnas, ac supplicia remittam.

1. ad Corint. 13.

S. Cyprian.

Isaiæ 1.

Sanguis in scriptura proximorũ iniurias, & discordias significat.

Deus maximè à nobis requirit mutuam charitatem.

Necdum satis: sed vt cognoscamus, mutuam dilectionem rei Christianæ cõplementum, ac perfectionem esse, vnigenitus Dei Filius tanti illam æstimauit, vt pro ea hominibus persuadenda, etiam homo fieri, & mortem crucis obire non dubitauerit. An non ideo relictis 99. ouibus, vnam, quæ perierat, solicitè quæsiuit? Matthæi 18. id est, relictis nouem choris Angelorum, contemptisq; ijs, qui à debita animorum vnitate dissidebant, eos, qui animorum coniunctione copulati sunt, quæsiuit, vltrò se in amicitiam eorum ingerens. Hinc dum insolens quidam frater à fratre suo diuulsus. Christo turbas docenti suggereret: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem.* Luc. 22. non sine graui indignatione respondit? *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos.* Miratur vehementer Chrysologus hanc Christi Domini responsionem, ita cum alloquens: *Et vbi est illud, quod tu dixisti Domine, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Vbi est illud Domine: cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit supra sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis.* Matthæi 25. *Si ergo tibi debetur iudicium hominu, & per te est totius sæculi celebranda diuisio, quomodò dicis, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? ne miremini: est quidem penes Christum, & fuit, eritq; semper omne iudicium; sed tunc non iudicaturus venerat, verùm iudicandus, nec addicturus reos, sed à reis innocens addicendus. In homine agebat Deum, in seruo Dominum, vt esset vernula temporis, qui erat & factor, & cognitor sæculorum.* Meritò proinde respondit: *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos.* Quandoquidem ad vniendum, & congregandum venerat; quomodò enim diuisionis inter fratres faciendæ, iudex esse potuit, qui fraternitatis testis signatissimus erat. Hac de causa à Pilato ad Herodem ire, & iterum ab Herode ad Pilatum reuerti non abnuit, quamuis indefensi rei personam ageret, & tot se ignominijs, & opprobrijs exponeret, vt scilicet eos inueteratis odijs inter se diuisos, vinculo charitatis coniungeret. Vnde dicit Euangelista: *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipso: nam antea inimici erant ad inuicem.* Et vnde tam repentina læsæ amicitiæ redintegratio? Equidem ex sola Christi præsentia. Vnde Oseæ 10. prophetico spiritu de illo dictum: *Siquidem & ipse in Assur delatus est munus regi vlto* 1. LXX. de mili-

Dei Filius homo fieri voluit, vt mutuã charitatẽ persuaderet.

Lucæ 12.

Chrysolog.

Christus à Pilato ad Herodem, & iterũ ab Herode ad Pilatum reuersus fuit, vt eos in cõcordiam reduceret.

de militibus Christum ducentibus legunt: *Et ligantes afferebant regi munera.* Munus pretiosum erat à Pilato missum Herodi, Christus innocens; ideò statim redintegrata est amicitia: *Facti sunt mutuò amici Pilatus & Herodes eadem die.* Causam reddit Cyrillus Hierosolymitanus: *Quia erat ipse Dominus componens corda Principum terræ.* moxque subdit: *Decebat enim eum, qui mundum erat pacificaturus, vt priùs etiam ipsos iudices suos pacificaret.* S. Cyrillus Hierosol.

Quanta ergo stultitia fuit, illius insolentis fratris, Christum Dominum ad diuisionem hereditatis cum fratre faciendam inuitare: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem.* Sed hæc est mundanæ hereditatis proprietas, quæ anteposteris confert iurgia, quàm conferat sensum: antequàm diuidat facultates, scindit heredes: antequàm debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat, & mittit in partes. Proinde non est hereditas ista, sed pugna, & hæc nouerca filiorum est, non facultas. Ille solus verè ditat filios, qui relinquit filijs pleniſſimam charitatem, ad quam Christus in animis hominum stabiliendam venit. Quippè ea potissimùm de causa mortem crucis obijt, vt mutua dilectione fideles coniungeret. Hoc fatetur ipsemet Ioan. 17. Patrem alloquens: *Charitatem, quam dedisti mihi, dedi eu, vt sint vnum.* vbi nomine *charitatis*, mortem suam eum significasse, deducit in citatum locum Maldonatus, ex Christi persona subdens: *Ideò pro illa morior, vt vnum sint: da igitur illa eam vnitatem spiritus, quam illa merui.* Hinc D. Chrysosth. homil. 33. in epistol. 1. ad Corint. dicit: *Sic Dominus noster mortuus est, vt nos essemus coniunctiores.* Sed quomodò obsecro, ex Christi morte hæc coadunacio oriri potuit? quomodò sanguis diffusus ad vniendum profuit? profectò non aliter, quàm coagulum in lac iectum, ad id, quod fluidum & dispersum erat, constringendum, & condensandum. Hic est discursus Nazianzeni Orat. 43. vbi post egregia crucis prodigia relata, subiungit: *Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est: in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurârunt, atq; idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes, & constringentes.* En quomodò Redemptor noster, charitatem à Patre acceptam, id est, vitam, sanguinem, & ipsam quodammodò diuinitatem hominibus dedit, imò in ipsos diffudit, vt essent vnum, cognoscerentq; quàm pretiosa sit dilectio, quæ non nisi Christi sanguine comparatur. Ioan. 17. Nazianzen.

Hæc est pretiosa Margarita, quam cælestis ille negotiator Deus immensus inter nos quærit, nimirum charitas, & pro ea ipsam etiam diuinitatem suam permutare cupit: quoniam perfectum reddit hominem, vt docet Gregor. Magnus homil. 35. in Euangelia: *Omne* inquit *mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* Nam quantumuis perfecta, & super terram eleuata videatur vita nostra decurrere, nisi interiùs adsit mutua dilectio, manca, & imperfecta censebitur: quoniam sine charitate nec fides, nec vita laudabiliter transacta, nec virtutes integrè conseruatæ, nec misericordiæ opera, imò nec ipsa martyria quidquam homini ad salutem prodesse possunt, teste Apostolo, qui dicit: *Etsi habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Quod luculentius S. Cyprianus de orat. Dominica exponit: *Discordans* inquit, *& dissidens, & pacem cum fratribus non habens, nec si pro nomine Christi occisus fuerit; crimen dissensionis fraternæ, poterit euadere. Quale crimen, quod martyrio non potest expiari?* Statimq; rationem reddit: *Quia ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est,* (id est charitatem) *derelinquit, Pacem nobis Christus dedit, concordes atq; vnanimes esse præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atquè inuiolata seruari mandauit, exhibere se non potest Martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem.* Ac, tandem vltimatè de hominibus, mutuam dilectionem non seruantibus concludit: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus, occidi talis potest, coronari non potest.* Gregorius Magnus. S. Cyprian.

O quam verè S. Cyprianus pronunciauit, hominem fraternæ charitatis, violatorem, etiamsi nescio, quæ pro Christi nomine patiatur, non virtutis exitum gloriosum, sed desperationis interitū habiturum. Nam sicut mutua charitas est certissimum ad beatitudinem suffragium; ita discordia indubitatum reprobationis signum. Quod mihi prophetico spiritu edixisse videtur Sapiens. Cant. 5. *Venter* inquit *eius eburneus distinctus Sapphiris.* vbi ventrem Christi nominat filios Christi, quos in cruce parturiuit, Sapphirosq; appellat ob mutuam dilectionem. Quemadmodùm exponit Philo Carpatius: in citatum locum inquiens: *Quod verò lapide Sapphiro ornatum vas illud dicit, ad Sanctorum communionem, charitatem, ac gloriam referri potest: vt enim Sapphirus lapis, quæcunq; proximè* Discordiæ reprobationis signum. Philo Carpatius.

ximè attingerit, similia sibi reddit, ac trahit; sic & beatorum chori mutua charitate sibi inuicem adhærentes. Sicut ergo Christo amabiles sunt homines concordes, tanquàm filij, quos dum in cruce penderet, peperit, ita eidem molesti sunt, qui ipsius in vtero concluſi inter se rixantur, & colliduntur. Profectò de his audire mihi videor ipsum dicentem, quod de Iacob & Esau in matris vtero contendentibus clamabat Rebecca, Genes. 25. *Si sic futurum mihi erat, quid necesse erat mihi concipere?* Quæ verba Guerricus Abbas serm. 3. de Annunt. ad finem, Ecclesiæ matri sic accommodat. *Sed cùm sese colliderent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ priùs orauerat, vt conciperet, dolensquè ventrem suum à tribulatione malorum, & dolore, penè pœnitebat, quod concepisset. Si sic inquit mihi futurum erat, quid necesse erat concipere? si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne meliùs fuisset, si conceptus non fuisset homo ille.* Nec immeritò: quid enim meliùs fecerit is, qui pacem dirimit, mutuamq; dilectionem dissoluit, quàm cæleste illud coagulum, Christi videlicet sanguinem dissipare, profundere, atq; euacuare? Ingeniosè hoc ponderat D. Ambrosius orat. de excessu Satiri, vbi de sacerdotibus, qui pacem Ecclesiæ conturbabant, ita scribit: *Nam, etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur, velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusq; distrahitur.* Ergo Christus mutuam dilectionē, velut, pretiosam margaritā æstimat, illaq; tāquam inæstimabili thesauro delectatur. Guerricus Abbas. S. Ambros.

Deinde, Margarita significat hominem iustum, pro quo sibi æternùm vniendo, Deus immensæ maiestatis seipsum exinaniuit, pro quo cælestia bona profundere non dubitauit, ad omnia opprobria, ignominiam, dolores, & mortem atrocissimam sese demittens. Ita S. Leo serm. 3. de Passione cap. 4. *Venerat enim* ait, *in hunc mundum dies, atq; misericors negotiator cæli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, & sua tribuens; pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam.* Margarita igitur pretiosa significat hominem iustum. Patauinus, serm. in Dominica 17. post Trinitatem: *Margarita* inquit, *in qua est mens iusti, quæ in aqua voluntatis mollis efficitur, sed exempta humo, id est austeritate durescit. Per austeritatem enim vultus, corrigitur animus delinquentis, iuxta illud Ecclesiastici 7. Filiæ comissæ sunt tibi, conserua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* In conchis marinis nascuntur margaritæ, quæ certò anni tempore sitiunt rorem, velut maritum, huius desiderio hiant, & cùm maximè descendit lunaris imber, oscitatione quadam hauriunt desideratum humorem. Atq; ita concipiunt, & grauidæ fiunt, & si purum fuerit, quòd acceperint, candidi fiunt orbiculi: si turbidum, aut pallore languent, aut rufo innubilantur colore: & sic magis de cælo, quàm de mari partus habent. Deinde quoties excipiunt matutini aëris semen, aut imbrem, aut rorem, fit clarior margarita; quoties vesperè, fit obscurior: quantò magis hauriunt, tantò magis proficit lapidis magnitudo. Si repentè micauerit coruscatio, intempestiuo motu comprimuntur. Conchis ipsis inest sensus, partus suos timent maculari, cumq; fragrantioribus radijs excanduerit dies, ne fuscentur lapides solis calore, subsidunt in profundum, & se gurgitentibus abscondunt ab æstu. Margarita in aqua mollis est, durescit humo; nunquàm duæ simul reperiuntur, propter quod vnio dicitur. Piscantium insidias timent, vnde fit, vt inter scopulos delitescant: gregatim natant, & earum agminis dux certus est. Margaritæ quomodò generātur. Cōchæ marinæ sentiunt & insidias fugiunt. S. Leo. Margarita pretiosa significat hominem iustum. S. Anton.

Progredimini paulisper ad sensum moralem, quidnam concharum nomine intelligatur? Equidem conchæ à concauitate dictæ, repræsentant homines secundùm cor, & voluntatem Dei viuentes, pœnitentes, pauperes, humiles spiritu, qui in concauitate, hoc est, in cordis humilitate consistunt. Hi sitiunt rorem illum cælestem, rorem de quo olim in limbis detenti Patriarchæ, & Prophetæ supplicabant ad Patrem æternum clamantes: *Rumpe cælos, mitte rorem, solare miseros.* Rorem inquam sitiunt, velut maritum, id est, Deum omnipotentem, qui Dillos sua præsentia fœcundet, ideòque clamant ad Deum, & dicunt: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Deus quippè optimus Maximus ex infinita sua bonitate infundit illis gratiam sanctificantem, cuius cælesti rore, velut marito imprægnatur anima proposito boni operis vt fructum æternæ vitæ parturiat. Huius itaq; roris desiderio hiant animæ iustorum, id est, aperiunt se, vt in illos copiosa gratia Dei diffluat, iuxta illud Iob 29. *Radix mea aperta est secus aquas & ros morabitur in messione mea.* Vbi Iob comparat statum suum priorem arbori fructiferæ, quæ habens radices in humido, multiplicat Iob. 29.

fructum

fructum suum : ita Iob ex honore gratiæ, in quo cor eius erat fixum, faciebat fructum multiplicem bonorum operum. Proinde radicis nomine occulta cogitatio designatur : iuxta aquas igitur radix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluenta, latenter cogitatio mentis aperitur. Et ideò de conchis in naturalibus dicitur : & cùm maximè descendit lunaris imber, ostitatione quadam hauriunt humorem cupitum, in quo tria designantur, nimirum prosperitas, aduersitas, & gratiæ infusio. Nam in splendore lunæ prosperitas, in nocte aduersitas, in imbre verò, gratiæ infusio significatur, quam iusti ardenter cupiunt, & aperto cordis ore hauriunt in splendore prosperitatis, & in nocte aduersitatis : ne scilicet prosperitas eleuet, & aduersitas illidat.

Hinc Isaias clamabat ad Dominum : *Anima mea desiderauit te in nocte ; sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te, cùm feceris iudicia tua in terra.* Textus græcus legit : *De nocte vigilauit ad te Deus spiritus meus, propterea lumen mandata tua sunt super terram.* Ne igitur nimia aduersitas nocte tenebrosa iustum obruat, ideò Deus splendore prosperitatis moderatæ eum subleuat. Pulchrè hoc Deus figurauit, quando daturus legem Moysi in monte Sinai, totum priùs densa caligine inuoluit. Exodi 19. Exodi 19. *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace.* Nihilominùs inter densam illam nebulam, nigramq; caliginem, & horrenda tonitrua, quæ mentem occupauerant, simul quoq; lucidissima micabant fulgura, dicit ibidem sacer textus : *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Quid causæ ? si enim affectabatur obscuritas, & caligo, ac tenebrarum horror ; ad quid permissa est corruscatio fulgurum ? sanè : quia quidquid nubila operiunt, & obscurant, ea fulgurum coruscatio manifestat, atque pandit. In tanta caliginum repræsentatione, permissa igitur fuit ibi claritas fulguris : quia omnia hæc diuinis mandatis ibi dandis notificandisq; seruiebant : quorum neglectus vt homines obscurat, ac in tenebras ducit ; ita eorum obseruantia mentes humanas illustrat. Et ideò non veretur iustus noctis, id est, aduersitatis tenebras, quia nimirum Dei mandata lumen ei sunt, vt docet Theodoretus, in præfatum scripturæ locum inquiens : *A Dei mandatis piorum mentes illustrari patet : sicut enim in omni Dei verbo alitur anima, sic in omni mandato illustratur, illuminatur.* Quò enim attentiùs mandata Dei obseruantur, eò certiùs lumina inde coruscant, quæ illustrent, & illuminent animam. Hoc voluit insinuare propheta Psal. 118. Psal. 118. loquens : *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lux semitis meis.* Quasi diceret, quot præceptorum verba ad me veniunt, si obseruantur, tot lumina exurgunt, quibus homo illustratur. Ex quo loco S. Ambrosius ibidem serm. 14 talem discursum eruit : *Lucernarum modo luceat nostrarum lux clara virtutum. Istæ sunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra sunt Christi, luceant virtutes tuæ, quas nulla extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit.* Solus quippè homo potest in animo suo lumina extinguere, si aliquid contra præceptum diuinum effinxerit ; quod si omnia integra maneant, si opera plena virtutum stent, candidissimis luminibus illustratur. S. Ambros.

Dum itaq; ros iste desideratus, nimirum cælestis gratia in animam iusti hominis, velut in pretiosam conchan illabitur duo stupenda eius infusio operatur : quia & clarificat, & conturbat. Clarificat mentem ad contemplandum, & tunc in corde hominis candidæ generantur margaritæ, puta mentis affectiones siue cogitationes. Vnde Oseæ 14. Oseæ 14. ipse Dominus dicit : *Ero quasi ros, & Israël quasi lilium germinabit, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt libani. Conuertentur sedentes in vmbra eius : viuent tritico, & germinabunt quasi vinea.* Ecce quot bona ab vno rore de cælo cadente parturiuntur ? nimirum & flores, & fructus, & odores, & protectiones, & messes, & vindemia. Et quis est obsecro iste ros adeo fœcundus ? Christum, & gratiam sanctam, quam nobis promeruit, intelligit Ruffinus ibidem. Ruffinus. *Incarnationis siquidem Sacramento ros gratiæ in Ecclesiarum arua descendit, vt passim diuersis virtutibus fructuosa vitia, liliaq; prodirent, & fieret multiplicationis fidelium tanta felicitas, quanta esset agri pleni frugibus, fructibus, floribus gloriantis. Sicq; conuertentur sedentes in vmbra eius, id est, diuersæ nationes sub protectione Ecclesiæ requiescere concupiscent, vt & corporalis, & spiritualis vigoris alimoniam in vino, & tritico consequantur.* Nihil proinde floris, nihil fructus, nihil solidæ alimoniæ inueniri potest, quod non per Christum, & eius gratiam fidelibus adueniat.

Verùm infusio gratiæ cælestis, non solùm clarificat mentem ad contemplandum, sed etiam conturbat ad dolendum pro peccatis, & tunc color pallidus, aut rufus efficitur in Margaritis ; pallidus in mentis afflictione, rufus in cordis contritione. Hinc illa piæ animæ vox, Cantic. 5. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.* Vbi diuino amore succensa, & validissima charitate in Deum inflammata, requirebat filiarum Hierusalem officium, vt eius amor dilecto suo insinuaretur. Sed quid opus erat tali adiuratione ? An certè charitas nostra potest Deum latere ? aut Deus talis est, qui possit non scire dilectores suos ? oculatissimus mihi credite Deus est ad noscendos amatores ; & charitas vocalissima est, vt se prodat in auribus diuinis. Quòd probè sciens Petrus, cùm à Christo requireretur, num eum diligeret, respondit : *Domine, tu omnia* Ioan. 21. *nosti, tu scis, quia amo te.* Ioan. 21. Cur etiam pœnitens anima more simili non est allocuta cælestem sponsum : *Dilecte mi nullum tibi est absconditum cor, nullus occultus amor, tu scis, quia amore langueo.* Ne miremini : perfecta enim humilitas de meritis semper alienis præsumit, ideòq; aliorum officia, quibus iuuetur, requirit. Volebat ergo pia anima hac sua adiuratione, excitare in fidelibus amorem Dei, & patriæ cælestis, vt ingeniosè obseruat Rupertus Abbas lib. 1. comment. in Cantica, vbi sic loquitur : *Quorsùm ergo tendit, vel quid effi.it hæc adiuratio ? eò nimirum, vt percussa percutiat, vulnerata vulneret, mater filios, salubriumq; vulnerum suorum aliquid, etsi non statim omnibus ; at saltem aliquibus eorum experimentum efficiat, vt audientes filiæ, vel sentientes in matre tantum vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium, in mente præsentiant ipsa, talem illum esse dilectum, vt vitam propter eum sufficiat quiuis, vel quæuis, hoc præsens sæculum, iamq; inter moras præsentis vitæ magis, ac magis cupiat eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate.* Rupertus.

De conchis marinis in naturalibus dicitur ; quoties excipiunt matutini aëris semen, fit clarior margarita, quoties vespere, sit obscurior ; ita planè homini fideli, & verè pœnitenti contingit, vt manè instar Margaritæ clarescat, vespere obscuretur. Quod prophetico spiritu Psal. 29. prædixit Regius Vates Psal. 29. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Equidem triplicem vesperam, & triplex matutinum ex sacris literis non operosè possumus inuestigare, in quorum quolibet fletus cum lætitia miscetur. Prima enim vespera fuit Adæ culpa, in qua fletus principiũ sumpsit, quando Adam de paradiso eiectus audire meruit, Gen. 3 *In sudore vultus tui vescêris pane.* Primùm quoque matutinum fuit natiuitas Domini nostri IESV Christi, in qua lætitia toti mundo oborta est, Lucæ 1. *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodiè Saluator, qui est Christus Dominus.* Altera vespera fuit mors Christi, in qua fuit fletus filiorum Hierusalem, Lucæ 23. Lucæ 23. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur, eum.* Alterum quoq; matutinum fuit, ipsius resurrectio, in qua magna lætitia succ essit, Ioan. 22. *Gauisi sunt discipuli viso Domino.* Ioan. 22. Tertia vespera est in morte cuiuslibet hominis, in qua solet fieri fletus, vt habetur Gen. 23. *Mortua est Sara in* Genes. 23. *ciuitate Arbee, venitq; Abraham, vt plangeret, & fleret eam.* Tertium quoq; matutinum illucescet sanctis in illa vniuersali resurrectione, in qua, vt loquitur Isaias cap. 35. *Erit lætitia sempiterna super capita eorum.* De vespertino itaq; rore concepta hæc margarita, scilicet homo pœnitens obscuratur, quia præ nimio dolore vehementer tristatur, quòd aliquando Deum offenderit ; sed postquàm matutini aëris semen susceperit, id est, gratiam sanctificantem, fit candida Margarita, & Deo summè accepta.

Vespera triplex, matutinũ triplex.

Infusio gratiæ iamdictæ duo stupenda operatur.

Ecce igitur habetis duplicem margaritam pretiosam, *primam* Christum Dominum, inappretiabilem æterni Patris, vnionem, quem eo fine nobis donauit, vt omnis nostra cogitatio in ipso fixa sit. *Alteram*, hominem iustum, quo Deus supra modum delectatur : idcircò mutuo cum Christo certate amore, vt quemadmodùm ille vestram salutem negotiatus est ; ita & vos eundem possitis negotiari, eiusq; beatifica visione in æternum frui.

EODEM DIE
CONCIO II.

Simile est regnum cælorũ homini negotiatori quærenti bonas Margaritas, inuentâ autem vnâ pretiosâ, dedit omnia sua, & comparauit eam.

Margarita pretiosa significat æternam beatitudinem, bona Dei spiritualia, & tempus opportunum.

VNam atq; eandem rem in Scriptura Sacra, semel laudari, iterùm reprobari,

bari ac reprehendi; nunc præmijs, postea pœnis affici, nemo est, qui ignoret. Nil vnquàm acriùs reprehendit Deus, quàm auaram opum cõgregationem, honorum ac dignitatum appetentiam, propterea, quòd homo defectuum suorum benè sibi conscius, ad officia, & magistratus, non debeat se intrudere, nisi ab ipsomet Deo assumatur. Sic Moyses vocatus à Deo ad populi regimen, Exodi 3. *Veni, mittam te ad Pharaonem*, suam tenuitatem recognoscens, ac insufficientiam, defectus proprios allegabat: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Quid verò Deus, protinus respondit: *Ego ero tecum.* Ita suo consortio Moysen eleuans, vt eum faceret Deum Pharaonis. Necdum tamen contentus Moyses, iterùm defectum diuinæ cognitionis in se recognoscens, ignorantiam nominis diuini opposuit. *Si dixerint mihi, quod est nomen eius: quid dicam eis?* Illicò respondit Deus: *Ego sum, qui sum. Sic dices filijs Israël: qui est, misit me ad vos.* Nihilominùs Moyses profundius adhuc seipsum considerans, paruitatem suam inter populum, nullius; prorsus authoritatis se apud illos fore allegauit. *Non credent mihi, neq; audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Exodi 4. Mox Deus vt Moysen animaret, signa & portenta adhibuit, quibus Moyses coram Pharaone, in comprobationem suæ à Deo veræ missionis, stupenda miracula patraturus erat, adhibuit. *Dixit ergo ad eum, quid est, quòd tenes in manu tua*: sed & hoc parum est: adhuc enim Moyses se ineruditum considerans, tarditatem linguæ accusauit: *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri, & nudius tertius.* Tandem Deus ad illum: *Ego ero in ore tuo, docebo q; te, quid loquaris.* Quasi diceret, vt exponit disertissimus Philo: *Meo nutu articulatè omnia edisseres, facundiâ mutatâ in melius, nec aliter cogitationes promentur; quàm manant fontes limpidissimi.* En quanta Moyses obtinuit, quia electus à Deo se recognouit, defectus q; suos palam aperuit, non occultauit, humiliter se excusans, audacter non consentiens. Vnde dicit Rupertus lib. 1. in Exodum, cap. 13. *Bonum quidem, & imitatione dignum humilitatis exemplum est, Deo vocanti ad tantum, tamq; glorioſum ministerium dicere, quis ego sum?* Ad regimen itaque insufficiens Moyses extabat, sed Deus eius insufficientiam suppleuit, propterea, quòd non ex se, sed ab illo vocatus, & electus esset. Nunquid suffecisset, si Deus eum non vocasset, si non elegisset? minimè: sine Deo quippe omne regimen infelicissimum, & perpetuis casibus ac infortunijs obnoxium. Attendant quæso illi, qui se regimini inserunt, & non à Deo, sed humana solùm negotiatione eliguntur, quantùm periculum, quantùm pondus sibi imponant, dum Deo supplente carent, quoniam non ipse vocauit, sed ipsi se intruserunt. Nihil in super seuerius vnquàm culpauit Deus; quàm negotiationem: hanc quia solicitè nimis exercebat magna illa vrbs Niniue, grauissimis supplicijs punita est à Deo, nimirum igne, & gladio hostili, vt habetur Nahum 3. v. 15. *Comedet te ignis, peribitq; gladio, deuorabit te vt bruchus.* Vbi tantorum suppliciorum vna affertur causa. negotiatio: *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cæli.* Et tamen Christus discipulos suos, ad nihil aliud impensiùs, quàm ad negotiationem vrgebat, Matthæi 25. inquiens: *Negotiamini dum venio.* Hac de causa negligenti seruo, qui à negotiando supersederat, cum stomacho obiecit: *Serue male & piger, oportuit te committere pecuniam meam numularijs.* Hac de causa regnum cælorum in hodierno Euangelio cum homine negotiatore composuit: *Simile* inquit, *est regnum cælorum, homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta vna pretiosa, dedit omnia sua, & emit eam.* Considerabimus igitur, quid sit ista pretiosa Margarita, circa quam studiosè, & omni conatu nobis esse negotiandum, Redemptor noster suadet.

Moyses ad regimẽ vocatus, illud totò conatu effure voluit.

Margarita pretiosa nostræ negotiationi in hodierno Euangelio expositæ, est inprimis salus nostra, beatitudo illa æterna, ad quam omnes indefesso conatu currere debemus, iuxta illud Apostoli: *Sic currite, vt comprehendatis.* 1. ad Corint. 9. Eò enim omnia Christi monita, nos ad negotiationem impellentia eunt, vt vnum duntaxat salutis negotium suscipiamus, tantummodò de regno Dei coëmendo, & acquirendo cogitemus, atq; huic vni negotiationi, res omnes creatas, non secus, ac fini vltimo media, & ad beatitudinẽ instrumenta substernamus, & subijciamus. Hæc est causa, cur Christus vni Margaritæ pretiosæ, cui comparandæ omnia inseruiunt, accurata locutione comparauit, vt nimirum ad hunc scopum, non modò omnes nostras curas, atq; consilia, sed etiam, quidquid nobis siue opum, siue virium, siue honoris, dignitatis, sanguinis, salutis, ac insuper vitalis spiritus fuerit, totum id referre debeamus, ac dirigere vna hac intentione, atq;

Exodi 3.

Exodi 4.

Philo.

Rupertus.

1. ad Corint. 9.

atq; spe contenti. Hinc Redemptor noster suis discipulis duas tunicas interdixit apud Matthæum cap. 10. v. 10. loquens: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; duas tunicas.* Quasi de vna tantùm Christi tunica, seu de eo habendo, & clarâ visione in patria possidendo, vnica solùm cura nobis habenda sit, vt exponit S. Hilarius in citatum scripturæ locum: *Sufficiet enim* inquit *nobis Christus semel indutus.* Quod clariùs adhuc elucidat S. Augustinus, in cap. Lucæ 10, inquiens: *Vnum est necessarium, vnum opus est, vnitate, quæ in Domino est, ille solus nobis necessarius est, ille satis est, cætera quæ multa sunt, necessaria non sunt.*

Christo eur discipulis duas tunicas interdixit.

S. Augustin.

De fortunas dictum Plinij.

De fortuna protulit Plinius lib. 2. c. 7. Solam in tota ratione mortalium vtramqué paginam facere: quoniam hæc nunc blanditur, nunc fallit; nunc vltrò in sinum hominis nihil cogitantis illabitur, nunc post tergum fugitiua auolat. Verùm & de homine non rarò id verificari videmus, dum à Deo rectus & simplex factus, soliq; beatitudini destinatus; ita à seipso in varias cogitationes, & curas partitur, vt postposito fine vltimo, Deo nimirùm clarè videndo, solis terrenis occupetur, maximisq; peccatis, ac supplicijs obnoxius reddatur. Propter quod Niniue, & aliæ inclytæ vrbes negotiationis arguuntur; imò quod magis mirandum. etiam piger, ac nequam seruus, quòd nõ fuerit negotiatus, capitis damnatur, eò quòd talentum in terra defoderit, id est, cæleſti negotiatione neglecta, & oculis in terram defixis, terrena solùm lucra, & carnales concupiscentias sectatus fuerit. Nam auctore Gregorio Magno homil. 9. in Euangelia, *talentum in terra fodere, est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare.* Per quod manifestè confunditur insciti hominum, qui à rectitudne & simplicitate deflectentes, multas negotiationes, ac terrenarum rerum curas amplectuntur: qui à scopo toto cælo aberrantes, cùm vni æternæ salutis negotio intendere debuerint, varia terrena atq; inania suscipere maluerunt.

Gregorius Magnus.

Hinc acris ille Christi Domini in Pharisæos stimulus Lucæ 11. *Væ vobis Pharisæi, qui diligitis primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro*: eò quòd vni Deo diligendo nati, vniq; animæ negotio destinati, dilectionem inter Deum, & mundum partirentur, honoribusq; & dignitatibus expiscandis inordinatè incumberent. Cùm tamen ordine charitatis, appretiatiuè diligere Deum; quàm vllam creaturam, vt constat ex illo Matth. 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Primum intelligendo non tantum dignitate, & excellentia; sed exercitio primi actus humani, vt humani in esse morali, eò, quòd Deus per se, & propter se sit amandus. *Primò*, vt pote primum & per essentiam summum bonum, tàm in se; quàm in nobis. Vnde Venerabilis Beda stimulum illum Christi: *Væ vobis Pharisæi, & ad nos etiam transfert in hunc modum*: *væ nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt, qui breue, & incertum vitæ nostræ curriculum, quo peccata humiliter plangere debeamus, pro prioratu inuicem superbiæ certando, peccatis amplius onerare non metuimus.* Quid loquar de hominibus in otio torpentibus, pigris, & à salute animæ deflectentibus? & hi certè non minori vituperio; quàm Pharisæi superbi digni sunt. Quoniam vt docet S. Bernardus lib. de vita solitaria: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium sentina, otium est: summa etenim inertia malitia est, otium iners.* Quod dum attentiùs considero, ad communemque viuendi modum, in quem tàm rude; quàm eruditum vulgus cursu propero vadit, aciem mentis conuerto, placet non tam libenter; quàm potiùs dolenter auditorem admonere, illâ Senecæ erudita sententiâ, epistola 1. *Si voluerit attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Profectò enim, dum nos indita à natura, virtutum semina, & lumen fidei signatum in cordibus nostris, ad imitandum diuinam simplicitatem, æternæq; salutis negotium incitant; nos tamen externa, & terrena quærimus, ac infinitis propemodùm quæstionibus nos immiscemus, cogitationes vanas & inutiles prosequimur; variamq; negotiationem operari studemus, certè aliud, quàm à Deo nobis præfixũ esse agimus. Vnum siquidem solummodò necessarium est nobis, Deo videlicet tota mente immergi; cætera autem omnia vana sunt, nihil sunt, ipso etiam Ethnico Philosopho id agnoscente. *Quid est ergo* ait, *in quo erratur? cùm omnes beatam vitam optent, nisi quòd instrumenta eius pro ipsa habent, & illam, dum petunt, fugiunt.* Seneca epist. 44. Argutè satis: nam quidquid è rebus creatis homini concessum est, certè non vt eo fruatur, sed vt vtatur: datum illi est, non vt pro vltimo fine, in quo cor fixerit; sed pro instrumentis tantùm, ad animæ negotiũ peragendum, æternamq; salutem comparandam vtatur. Hue

Matth. 22.

Bedæ.

Seneca.

Idem.

Lucæ 11.

Huc collimat vetus illa paroemia, *multa nouit vulpes, echinus siue erinacius vnum*, quâ ad prudentiam politicam instruimur, nimirùm magis bono publico conducere, vnico in rebus arduis consilio niti, quod verum, & efficax est; quàm multis friuolis, seu dolosis. Ad eum prorsùs modum, quo erinacius vnica solùm arte, id est, suis spinis sese in speciem pilæ inuoluens, vt nulla ex parte prendi possit, ideoque ab insequentium canum morsibus tutus est. Insuper hoc exiguum animal, quando futurâ prospiciendo cibos sibi congregat, super iacentia poma volutatur, vt sic spinis a[illegible]xa, secum auferat; ore nihilominùs vnum duntaxat portare solet, quò vnica illa arte sua meliùs vtatur. At verò vulpes licet varijs dolis instructa sit, & peram fraudibus refertam habere se iactet; venatoribus tamen sæpiùs in prædam cedit. Per quod ad cælestis prudentiæ leges opportunè instruimur, totam sapientiæ nostræ rationem in eò cardine versari, vt vni solùm animæ negotio incumbamus, atq; pro hac vna pretiosa Margarita, omnia nostra libenter profundamus, cùm multò præstantius sit, vnum magnum, ac infinitum bonum esse, æternæq; beatitudinis gemmam possidere; quàm plures leuissimas, nulliusq; fermè momenti res, seu pueriles nænias adipisci, vel ipsius erinacij ingenium imitando. Ad quod nos adhortatur Gregorius Nazianzenus in Apologetico ita loquens: *Nihil mihi fortunatius eo homine videbatur, qui clausis, compressisq; corporis sensibus, atq; extra carnem, mundumq; constitutus, in seq; collectus, secum, & in se cum Deo colloquens, superiorem rebus in aspectu cadentibus vitam ageret.* Si enim quempiam hominem, cunctis sæculi bonis destitutum, vni duntaxat animæ negotio seriam operam nauantem, videmus, meritò poterimus exclamare: *multa nouit vulpes, echinus vnum.* Quoniam sæculi homines, Principes deaurati, Dynastæ, Reges, Imperatores, alijque summi Magistratus, terrenis solùm bonis adhærent, in illisq; ac pro illis laborant, contendunt, insudant. Qui verò animæ propriæ salutem diligentiùs curet, Phœnice rarior habetur.

Audite mellifluum Bernardum, quàm seuerè reprehendat Eugenium Pontificem Maximum, totius orbis terrarum negotia, licet alias summa, & sacra pertractantem, simulq; expedientem occupationes, quæ illum ab vnico animæ negotio tantillum auocabant, increpet his verbis lib. 1. de consideratione ad Euge-

Erinacij ars in eludendis canibus.

Gregorius Nazianz.

S. Bernard.

Eu quò te trahere debent hæ occupationes malèdictæ, si tu pergu, vt cæpisti, ita te totum dare illu, nihil tui tibi relinquens, Perdis tempus. Et si licet me tibi alterum exhibere tetro, tu quoq; in ijs stulto labore consumeris, quæ non sunt, nisi affectio spiritus, euiscerationis mentis euacuatio gratiæ. Nam fructus horum quid est, nisi aranearum telæ. Quæso te, quale est istud, de mane vsq; ad vesperam litigare? aut litigantes audire. Atq; hac de causa Christus nobis monitum reliquit Matthæi 6. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Statimq; subiecit: *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quasi diceret: hæc impensiùs curare, aut quærere, ad vos non spectat, sed meæ potiùs curæ erit, ea vobis non tàm dare; quàm adijcere, vt potè quæ in bonis numerari digna non sint, sed accidentium loco haberi debeant. Vt ingeniosè exponit Glossa: *Primùm ait, quærite regnum Dei, id est, præponite omnibus rebus creatis, vt autem hoc quæratis, non debet subesse solicitudo, ne illa desint: Scit Pater vester, vt dixi, quia his indigetis: & ideò non subdit, deinde ista quærite; sed ait; apponentur, id est, consequentur sine vllo vestro impedimento.*

Matth. 6.

Præterea, Margarita hæc pretiosa, nihil aliud denotat, nisi spiritualia Dei bona, quæ non sunt temerè DEI inimicis communicanda, iuxta illud Christi præceptum, Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Licet enim diuino præcepto obligemur diligere inimicos nostros, etiam Hæreticos, & infideles specificatiuè sumptos, vt docet Scriptura Sacra Matthæi 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Quod non solùm perfectis, sed etiam omnibus dictum fuisse, colligitur ex verbis sequentibus ibidem, v. 24. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Quia hoc omnibus ad salutem necessarium esse constat, cùm nemo saluus fiat, nisi sit filius Dei per gratiam, & charitatem. Præterea, quia præceptum dilectionis inimicorum, est legis naturæ, quemadmodùm deducunt Theologi, asserentes in noua lege præter præcepta fidei, & sacramentorum, omnia alia naturalia esse. Tum ex illo communi principio: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; nemo autem vult odio haberi, aut sibi fieri iniuriam, aut reddi sibi malum pro bono. Proinde hoc præceptum omnes obligat, cùm lex naturalis omnibus communis sit. Nihilominùs præceptum

Matth. 7.

Non tenemur diligere inimicos vt sunt inimici.

ptum hoc non obligat nos ad diligendos inimicos, vt sunt inimici: hoc enim esset diligere illos, tanquàm iniquos, contra Scripturam Sacram Psal. 118. *Iniquos odio habui*: essetq; velle malitiam eorum, quod est peruersum, & charitati repugnans; sed solùm quoad naturam, seu quatenùs homines sunt.

Obligamur itaque diuino præcepto, ad exhibenda inimicis aliqua signa dilectionis, idq; in vniuersali, ita vt à generali dilectione proximi non excludamus inimicos. Obligamur ad benefaciendum illis de nostris temporalibus bonis Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Quem locum Auctor Imperfectus intelligit, de bonis nostris propijs; non autem de bonis Dei spiritualibus: hæc enim cum magna prudentia, & discretione administrari debent, ait citatus Auctor: *Iusserat superiùs Dominus diligere inimicos, & benefacere his, qui peccant in nos: ne ergo cogitarent sacerdotes etiam, quæ Dei sunt, eis communicare, talem cogitationem compescuit, dicens: nolite sanctum dare canibus, ac si diceret. Mandauit vobis diligere inimicos, & benefacere eis, de vestris corporalibus bonis; non tamen de meis spiritualibus passim, quoniam in natura nobiscum communes sunt, non in fide, & Deus carnalia beneficia dignis, & indignis similiter præstat; non autem gratias spirituales.* Quam doctrinam si ad mores applicare voluerimus, facilè conijciemus crassum errorem, & indiscretum eorum zelum, qui indifferenter quotidianam accedentibus dant communionem, sacrumque ac sanctissimum Christi corpus quibuslibet parasitis, nebulonibus, meretricibus, dummodò confiteantur, condignam iudicantes dispositionem, ad quotidiè communicandum, peccati mortalis solummodò carentiam, absq; vlla alia virtute. Ex quo fit, vt per experientiam compertum habemus, vix post sumptum sacratissimum Sacramentum, eiusmodi homines redire ad vomitum, vt canes, sanctaq; speciosissima conculcare, ob indecentiam, velut porcos. O quantus Christi in Sacramento contemptus, dum spurcissimum os, quod paulò ante cum amasio, vel amasia se coniunxit, permittitur sacratissimum Dei hominis corpus tangere, & in suis fædis visceribus recondere, ac paulò post lasciua brutaq; ab altero accipere oscula. Nonne hoc est, dare sanctum canibus, & Margaritas proijcere ante porcos? Vt eruditè discurrit S. Anselmus in hunc locum aiens: *Non enim de corpore, & sanguine Domini agendum est cum hæreticis dilacerantibus, nec porcis, vel meretricibus, & ebriosis, & quibuslibet laicis contemnentibus, vel etiam clericis vilipendentibus exponendum est.* Vilipendunt certè, dum eadem die, imò quid dico? eadem prorsùs hora peccant fœdissimè, immediatè confitentur, (quomodò? Deus scit) ad Synaxim accedunt, & eadem hora ad vomitum redeunt. Et quid hoc aliud est, nisi Christum vilipendere, ac sanctum canibus proijcere?

Matth. 5.

Auctor imperfectus.

Ad quotidianam communionem non omnes admittendi.

S. Anselm.

Canis maximè impurus, & obscænus, ac lasciuiæ palam inseruiens esse perhibetur: ergo dum impurus peccator, obscœnus, ac lasciuiæ deditus, sæpiùs præmissa quali quali confessione, ad sumptionem tremendi sacrificij accedit, nonne Deum ipsum sub speciebus Eucharisticis latentem, dente canino proscindit, & conculcat. Propter quod Deus in veteri testamento legem tulit, ne merces meretricis aut pretium canis sibi in templò offerretur. Deutor. 13. v. 18. *Non offeres mercedem prostibule, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.* Quæ verba ponderans D. Hieronymus ad caput 66. Isaiæ dicit: *Pulchrè canis, & meretrix copulantur, quia vtrumq; animal pronum est ad libidinem.* Paschasius autem lib. 4. in Matthæum, per *canes* intelligit veritatis impugnatores, verba illa: *Nolite sanctum dare canibus*, in hunc modum exponens. *Per canes intelliguntur ij, qui contra veritatem oblatrando, eam impugnant.* Alij intelligunt homines maledicentes, vt Tertullianus alludens ad Diogenem Cinicũ, ob maledicentiam canem appellatum, cui ea de causa ludens Alexander, sportulam ossium plenam dono misit, quam ille minimè reiecit, sed ita simul accepit, atq; momordit. Vnde dicit citatus Tertullianus, *Caninus quidem cibus, sed donum nequaquàm regium.* Prudentius autem Hamartigenia, & Appius apud Sallustium, per *canes* intelligit causidicos. Et S. Isidorus lib. 3. senten. cap. 56. ob caninam eorum facundiam, quâ aliorum innocentiam proscindunt, vt falsitatem in locum veritatis subuehant. *Quando* inquit, *causidici in certaminibus causarum, omissis, quæ agunt, veluti canes alterum sese lacerant, iurgiaq; causarum ad iniurias suas conuertunt.* Atq; hanc ob causam Tertullianus, licet vndequaq; eruditissimus, vt ostenderet se causarum patrocinium suscipere nolle, lib. de Pallio cap. 5. dicebat: *causas non elatro*: Ergo non solùm impudentes, recidiui, Bacho & veneri mancipati, quorum Deus venter est; verùm etiam impugnatores veritatis,

Deut. 23.

S. Hieron.

Per canes in Scriptura Sacra intelliguntur causidici.

veritatis, maledici, causas turpis lucri gratia promouentes, ac suâ caninâ facundiâ, fraudibus, & captiosis fallacijs totum fermè mundum turbantes, vt nemini propter eos, quietum liceat esse; nemini; quod suum est, possidere, à frequenti communione omnino arcendi sunt, cùm post eius sumptionem, iterum ad vomitum redeant.

Ad extremum, Euangelica margarita pretiosa, nihil aliud nobis præ oculis sistit, nisi vt ad omnes nostras actiones, tempus opportunum quæramus, maximè verò ad correctionem fraternam. Etenim nihil difficilius est, quàm fratrem ita corrigere, vt ex correctione proficiat. Equidem taliter corrigentem, oportet & Logicum esse, vt sciat arguere; & iudicem, vt pœnas iustas statuat; & Oratorem, vt efficaciter persuadeat: ac insuper statuam immobilem, vt patienter sustineat. Hoc totum D. Paulus ad Timoth. 4. v. 2. argutè illis verbis comprehendit: *argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Argue*, en officium Logici: *Obsecra*, en finis Oratoris: *increpa*, en munus iudicis: *in omni patientia, & doctrina*, en statua. Idcircò D. Augustinus lib. 1. de ciuit Dei, cap. 9. tom. 5. arduam nimis correctionem fraternam considerans, ausus est affirmare, dissimulationem correctionis esse consilium charitatis. Postquàm enim dixisset, causam flagellationis bonorum, simul cum flagellatione malorum, esse dissimulationem correptionis, quam boni adhibent, ne à peccatoribus, & malis aliquid mali patiantur, statim, quibus in casibus correptio dissimulari possit, aduertens, ita concludit: *Nam si propterea obiurgandus, & corripiendus, malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos, impediant infirmos alios, & premant, atq; auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.*

Fraterna correctio difficilis.

Ad Timoth. 4.

S. Augustin.

Hinc Ruben, videns, quod fratres eius Ioseph natu minimum occidere vellent, licet fuerit primogenitus, ad quem spectabat iuniores fratres delinquentes corrigere; non nisi post multum tempus, dum fames in terra grassaretur, eos corripuit, Genes. 42. *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me, en sanguis eius exquiritur.* Et cur quæso non ante, correctionē atq; obiurgationem adhibuit, sed tanto tempore expectauit? Profectò, quia defuit opportunitas: nunquàm enim antea illos ita molles vidit, atque suum peccatum recognoscentes; quàm dum inter se mutuò loquerentur: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*: Tunc primum tempus opportunum recognoscens, correctionem adhibuit, sciens, quòd sicut priùs illum hortantem, ex duritia audire noluerint, ita tunc libenter increpantem, & corrigentem auscultaturi essent. Hæc est mens Lyppomani in citatum scripturæ locum: *Erat* inquit, *natu maior, quem cùm audire noluissent dehortantem, nunc ferre coguntur improperantem flagitia.* Quid de ipsamet incarnata sapientia loquar? hæc orabat Patrem æternum in horto, & reuertens ad discipulos suos, cùm inuenisset eos dormientes, non statim seuerè in eos animaduertit, sed clementer corripuit. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* At verò iterum post orationem factam veniens, cùm similiter eos dormientes inuenisset, nihil dicens abijt: *Et relictis illa iterum abyt, & orauit tertiò.* Quid causæ? nunquid ex indignatione hoc fecit? aut certè ex negligentia correptionis? nihil horum: imò ex indulgentia, ob quod Euangelista notanter apposuit: *erant enim oculi eorum grauati*, proinde inepti ad correptionem: ne ergo illos magis affligeret, & velut impotentiæ emendationis argueret, misertus, & fragilitati humanæ condescendens, distulit correctionem, tempus opportunum emendationis expectans. Sic Origenes ingeniosè exponit cap. 35. supra Matthæum: *Puto enim* ait, *quòd non tantùm corporum oculi, quantum animarum grauati erant: nondum enim erat eis spiritus datus, vnde non eos reprehendit.*

Lyppomanus

Origenes.

Recurrite vlteriùs ad ipsam Christi passionem, an non opportuno tempore eam Christus sustinuit? Audite D. Paulum ad Roman. 5. sic loquentem: *Vt quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est?* Quibus verbis Apostolus, Christum pro nobis indebitè mortuum esse, cùm adhuc peccatorum, & scelerum languoribus premeremur, vt tantò magis suam erga nos charitatem ostenderet, vt sic ex contemplatione eius beneficiorum cognoscamus, quantùm obligati simus ad eum diligendum. Illud tamen difficultatem mouet, quomodò dicitur, *Secundùm tempus* mortuus esse: quod plerique sic intelligunt, vel quia eo tempore mortuus est, quo iam defecerat iustitia inter homines: vel quia vltimo tempore passus est, quo iam mundus vergebat ad occasum: vel certè, quia secundùm tempus tridui mortuus est. Fateor veram esse expositionem; sed illa mihi magis arridet, quam affert Theodulus, qui verba illa, *secundùm tempus*, legit: *opportuno & conuenienti tempore.* En igitur opportunam Dei dilectionem, en maturo, & suo flore conspicua beneficia; en crucem, ac mortem conuenienti, & opportuno tempore pro hominibus susceptam.

Ad Hebr. 5.

Christ⁹ opportuno tẽpore pro nobis passus est.

Vultis igitur scire, quando Christus pro nobis passus est? *cùm adhuc infirmi essemus*, id est, cùm omnium flagitiorum, ac scelerum morbis laugueremus, cùm impij maximè, atq; inimici Deo essemus. Pulchrè D. Hieronymus, epist. 151. ad Algasiam, q. 2. & 7. id elucidat. *Cùm* ait, *omnia plena essent infidelitate, & peccato, & maximè egerent redemptione, & medico.* Quasi diceret: si bonos dilexisset, & obsequentissimis filijs magna beneficia distribuisset, si mortem pro ijs obire non recusasset, nemo miraretur: quoniam miserabilior est causa innocentiæ. Sic parentes non rarò optant, pro bonis infantibus mori, & vxores interdum pro maritis, sed quia pro impijs, & scelerati ssimis inimicis, à quibus multis & magnis iniurijs lacessitus erat, atrocissimum crucis supplicium oppetijt, hoc egregium bonitatis eius specimen, hoc opportunissimæ dilectionis, atq; optimæ, & beneficentissimæ naturæ signum. Firmatq; vlterius D. Paulus suam sententiam, subijciens: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem Deus charitatem suam in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Profundè satis: inauditum quippè est, vt pro iusto quispiam moriatur, cùm iustus non habeat causam moriendi. Proinde beneficium Christi nobis commendat, & demonstrat Apostolus, nouum, inusitatum, & prorsùs diuinum, quòd pro nobis non iustis, sed pro peccatoribus: non pro bonis, sed pro nocentibus Christus mortuus sit, cùm inauditum sit, vt pro impijs, & sceleratis hostibus quispiam moriatur, imò potiùs eos data facultate, ac opportunitate occidere soleat.

S. Hieron.

Ponderat ingeniosè Origenes verba illa Apostoli, *cùm adhuc peccatores essemus*, & accuratè adnotat, hoc in loco, *peccatores*; superiori autem *infirmos*, atq; *impios*, à D. Paulo eos appellari, pro quibus Dei Filius mortem obijt, vt omnium flagitiorum sordibus inquinatos, atq; opertos esse commonstraret. *Per hæc namq; nomina ait, omne peccati colligitur genus. Aut enim non ingressus Deum quis, & volens seruare mandatum, vincitur fragilitate carnis, & illecebris præsentis vitæ decipitur, & infirmus appellatur; aut sciens, volensq; contemnit mandatum, & odit disciplinam Dei, ac proijcit sermones eius post se, & peccator nominatur. Quod si interdum etiam ij, qui sub lege sunt, & Deum colere videntur, impij in scripturis diuinis nominātur, idcircò, quòd relinquentes Deum patrum suorum, Deos gentium colunt.* Et tamen vnigenitus Dei Filius, tantis peccatis, & contumelijs ab hominibus iniuriatus, non ad vindictam prosilit, sed ad clementiam, ad misericordiam, ad redemptionem, ad gratiam se inclinauit, vt vbi abundauit delictum, ibi superabundaret & gratia.

Origenes.

Ag Rom. 5.

Considerans hanc Dei naturam, stupendum ingenium, & benignam cum suis hostibus consuetudinem, meritò exclamat Ioël Propheta, cap. 3, *Mittite falces, quoniam maturauit messis, venite, & descendite, quia plenum est torculare, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* LXX. legunt, *repleta sunt mala eorum.* Perpendite mundi torcular, felleis peccatorum sacis plenum, atq; redundans; & ad vindictæ amaritudinem bonum Deum incitans, quia multiplicata, seu repleta est malitia eius. Prospicite verò ex altera parte Deum, velut bouem rugientem, & ad vltionem debitasq; de peccatis pœnas sumendas accendentem. Et ecce subdit Ioël; *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli, & terra.* Hebræa apud Pagninum habent: *Et contremiscent cæli, & terra.* Sed quæ ex hoc tonitru erumpunt flumina? quàm auidus humani sanguinis istius leonis appareat furor? Audite, quid addat Propheta: *Et Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israël. Et scietis, quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo, & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius. Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iudææ ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Pendite ergo, qualia de peccatis, & iniurijs sibi illatis supplicia Deus sumpserit: felleis peccatorem torcularibus, non lactea solùm torcularia, quæ iusta magnæ misericordiæ mensura erat, sed quod sine vlla mensuræ ratione, seu proportione est, montes stillantes dulcedinem, & colles fluentes lacte, riuosq; ac fontes prædulcium aquarum, immensa scilicet beneficia, donaq; & miserationes, humanum captum excedentes opponens, vt vbi abundauit delictum, ibi superabundaret & gra-

Ioël. 3.

& gratia. Quis obsecro sibi à stupore poterit temperare, quando Deus immensus, cum iniurijs acceptis beneficia permiscet, & grauissima peccata hominum, suâ gratiâ aufert. Quod admiratus S. Valerianus Episcopus homil. 12. de bono conseruandæ pacis ita loquitur: *Infinita autem virtus est, odia vicisse beneficijs. Nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui advicem veneni pocula dulci melle componit.* Prout fecit Redemptor noster torcularibus colles lactis, ac dulcedinis riuos opponens. S. Valeria.

Necdum satis, ampliùs adhuc hanc Dei erga nos benignitatem exaggerat Isaias, cap. 40. *In persona Dei blande populum alloquens: Consolamini, consolamini popule meus dicit Deus vester; loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius.* Quæ verba cùm sic appingantur, vt nullum inter vtramque orationem punctum, vel aliud distinctionis signum mediet; verùm sub bimembri oratione vna sit sententia, sensum genuinum hunc faciunt, quòd cùm peccata hominum in immensum iam cumulum excreuissent, Deus illis omnia liberaliter remittere, & condonare statuerit, copiosa ad eos redemptione missa, nollens vllam peccatoribus iniuriam inferre, imò potiùs eandem in se recipere ad mutandam iram. Ad quod plurimum faciunt verba eiusdem Prophetæ, DEI ore cum hominibus ita contendentis: *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israël, non obtulisti mihi aretem holocaustis tuis, & victimis tuis non glorificasti me.* Et paulò inferiùs: *Verùm tamen seruare me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Isaiæ 43. LXX autem legunt, *sed in peccatis tuis ante me stetisti*, id est, pugnantis habitu peccatorũ tela impiè, & procaciter in me vibrans. Iam verò huic impudentissimæ, insolentiæ quam vicem rependat Dominus, respondet statim citatus Isaias in persona Dei loquens: *Ego sum* inquit, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Opportunè satis, & magna emphasi etenim diuinæ illæ personæ, illaq; iterata designatio, *ego sum, ego sum*, nescio, quam cum diuina essentia, quæ ineffabili nomine *Iehoua*, seu *qui est*, exprimitur, affinitatem habere videtur, quasi iniurias remittere, & magna pro illis beneficia conferre, solius diuinæ naturæ, ac essentiæ proprium sit, atq; naturale. Vt palam constet, Deum sibimet hanc libertatem, & iniuriarum condonationem appropriare, & in hoc veluti cardine essentiam ac naturam suam verti. Isaiæ 40. LXX.

Produxi itaq; vobis margaritam pretiosam, ad triplicem nos negotiationem impellentem, in primis ad diligentem curam salutis, & beatitudinis æternæ, quam omnes totis viribus procurare debemus, ne instar pigri illius serui, qui pecuniam Domini sui ad negotiandum sibi concessam sub terra abscondit, à felicissima illa deitatis visione, repellamur in tenebrosam caliginem, & perpetuam confusionem. Deinde, ad negotiationem bonorum spiritualium, vt ea cum omni præparatione suscipere, & alijs prudenter subministrare studeamus, hoc est Sacramenta sancta, & doctrinam Euangelicam: omnia enim Dei sacramenta, omnia quæ in Sacra Scriptura, & Ecclesia sancta docentur, sancta sunt Margaritæ sunt secundùm diuersos respectus. Sancta sunt, quia non possunt corrumpi, licet corruptio intentetur, voluntas rea sceleris maneat, & homo prorsùs in suem, ac bestiam redactus; ipsa tamen incorruptibilia manent. Omnia quoque hæc simul margaritæ sunt, quia magni æstimanda, ideoq; vt sacra, non debent corrumpi, & vt margaritæ non debent contemni. Auctore D. Augustino de sermone Domini. Insuper impellit nos ad quærendam opportunitatem in omnibus nostris actionibus, exemplo ipsiusmet Saluatoris, qui neminem corripuit, nec pati pro nobis voluit, nisi opportuno & conuenienti tempore. Quare sit tota nostra intentio in cælis, sit puritas in mentibus, sit discretio in arguendis delinquentibus & dubio procul comparabimus nobis pretiosam illam margaritam, in quam desiderant Angeli prospicere. Amen.

DIE

DIE SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

CONCIO

Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. *Lucæ 7.*

Christus quia venit in remedium peccati, & quia perseuerante & importuna oratione delectatur, ideò cum peccatoribus benignè agit.

ADeò in domita est humana malitia, vt non tantùm alienæ fortunæ inuidere soleat: rumpitur quippè secundis proximi successibus, cùm sibi omnia deberi stultè arbitretur; sed quòd caput rei est, ipsi etiam Deo indignari audet, si cui propensum, & addictum viderit. Cuius rei certum nobis præbet documentum sacra pagina, Gen. 4. Duo primi fratres, sacrificium ad Numinis contestationem aris imposuerunt. Cain quidem de frugibus terræ; Abel verò de optimis pecoribus. *Factum est post multos dies, vt offerret Cain de frugibus terræ munera Domino; Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Quid igitur factum? Numen grauari Aram Caini muneribus, digno vultus fastigio ostendit; Abelis autem hostiam placidissimo oculorum aspectu honorauit. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Rumpitur inuidiâ Cain, fratris lenitate abusus eum in campum ducit oblectationis, animumq; leuandi specie, in rei autem veritate ardentissima effundendi innoxij sanguinis siti: *Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Ecce inuidiæ euentum, quæ aliter exstingui non potuit, nisi sanguine fratris innocenti. Verùm iustus scelerum vltor Deus, qui per ea, per quæ quis peccat, homines punire solet, sanguinem sanguine vindicauit: à Lamecho enim occisus est Cain, Gen. 4. *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum.* Vultis nosse, quo genere mortis, quo loco? Respondet Rabanus ex Hebræis apud Lippomanum Lamechum venationem exercuisse, vagaque sagittâ errantem agro occidisse Cainum. *Aiunt* inquit *Hebræi Lamech diu viuendo caliginem oculorum incurrisse, & adolescentem ducem, & rectorem itineris habuisse: exercens ergo venationem, sagittam direxit, quò adolescens indicauit, casuq; Cain inter fruteta latentem interfecit.* A caligante igitur Lamecho, in agro inter fruteta lethaliter vulneratus, & occisus est: quia sicut in agro interfecit fratrem malignè inuidus; in agro quoq; occumbere debuit improuidè vulneratus: quo terræ validissimus sopiretur clamor, & effusi indignè sanguinis, effuso violenter maculo abstergeretur cruor. Et ideò non est mirum, quòd licet Deus occisori Caini septuplã pœnam cominatus fuerit Genes. 4. *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Nullam tamen pœnam de Lamecho sumpsisse legatur: quia Lamech vt pote lumine oculorum priuatus, ex ignorantia inuincibili Cainum occidit, quæ à culpa, & pœna totaliter excusat hominem. Sic D. Paulus de seipso concludit, 1. ad Timoth. 1. *Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Non dissimilem maledicto Caino hodiernum Euangelium nobis inducit quendam Pharisæum, qui nescio an ad vanitatis pompam, an certè in misericordiæ gratiam Redemptorem nostrum inuitauit ad mensam, famâ miraculorum eius permotus. Admisit Christus obsequium, non vt carnalibus repleretur obsonijs; sed vt in carne cælestibus inseruiret mysterijs. Aspexit gratanter ante se humanitùs posita, sed lubentiùs probauit, quæ tergo gesta sunt. Pharisæus enim ad manducandum inuitauit Christum; mulier autem laudabili audacia cucurrit ad misericordiæ venam, quæ ad mortis inuolauerat officinam, procliuem ad miserendum peccatoribus supernam prudentissimè reputans maiestatem. Clausura igitur domus prorupit extranea, & conuiuij penetrauit ad secreta, onusta luctibus, plena lachrymis, ibiq; malè olentem vitæ famam vnguentorum reformauit fragrantiâ, & ad suauissimum odorem

Genes. 4.

Cain in agro occisus.

Rabanus.

Lamech quia ex ignorãtia inuincibili Cainum occidit punitus nõ est.

odorem concipit flebili pœnitentia. Tunc Phariſæus, quam de Chriſto æſtimationem habuerit, corde prodidit, hæc intra ſe cogitans: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtiquè, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Parum erat Phariſæo tumore turgido, & arroganter ſuperbo, iniquo cenſori mulierem dehoneſtare, niſi vno eodemq; ictu Dominum etiam ſimul feriret. Sed non mirum: quia ipſe præ muliere peccatrice defectibus multò latior erat; ideoq; quia defuit pietati, ſuccenſuit piæ pœnitenti. Ita reſoluit Chryſologus ſerm. 94. inquiens: *Phariſæus perfidiæ morbo ſaucius, ſuperbiæ flammâ febriens, per phreneſim ſe neſciebat inſanum: hinc eſt, quòd Chriſtus illuc primam curam vertit, vbi ignota ſæuiebat infirmitas.* Niſi enim Phariſæus fuiſſet infirmus, nunquàm adeò in mulierem furere auſus fuiſſet: plerumque enim quibus peccatis ſe aliquis grauatum ſentit, eadem alijs imputare ſolet, de omnibus temerariè iudicans, contra doctrinam Apoſtoli ad Rom. 14. *Deus enim illum aſſumpſit: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Vbi duas rationes fundamentales aſſignat, quæ nos à temerario iudicio, & contemptu alteri inferendo retrahere debent, *Prima eſt*: quia Deus illum aſſumpſit, hoc eſt, in ſocietatem, & amicitiam filij ſui: ergo illum nec contemnere, nec malè de eo iudicare debemus. Quoniam grandè ſcelus eſt, ſpernere, quem Deus nobilitat; aut damnare, quem abſoluit, cùm ſit amicus eius. *Altera eſt*: quia vnus homo in alterum nihil iuris habet, ſed eſt conſeruus eius: ergo illum contemnere, aut temerario iudicio damnare non debet. Conſiderabimus igitur, cur Chriſtus tam ſit benignus, & miſericors in peccatores, vt eos facilè abſoluat.

Duo potiſſimùm reperio, quæ Chriſtum Dominum ad benigne cum peccatoribus agendum incitant, in primis motium Sanctiſſimæ eius Incarnationis: quia in remedium peccati carnem humanam ſuſcepit: venit enim quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Vnde ipſemet dicit Matth. 9. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Quæ verba attonitum reddunt auditorem, vt acutè hærens dubitet, quomodò Chriſtus ad peccatores potiùs; quàm ad iuſtos vocandos, & illuminandos venerit? quaſi melioris impij, quàm iuſti conditionis ſint apud Deum? ſed ingeniosè reſpondet D. Ambroſius lib. 5. in Lucam, cap. de excuſatione diſcipulorum, non de Chriſtianæ Eccleſiæ, verùm de Phariſaici ſupercilij iuſtis, qui in lege, & in ſuis naturalibus actionibus nimiùm præſumunt, atq; gloriantur, hæc accipienda eſſe. Sic enim loquitur: *Nemo tibi poteſt Chriſtum auferre, niſi ipſe te auferat illi. Non ergo te auferat iactantia tua, non te auferat arrogantia, nec tibi de lege præſumas. Non enim vocare iuſtos venit, ſed peccatores. Quomodò ergo Dominus iuſtitiam dilexit, neque Dauid vidit iuſtum derelictum? Aut quæ iſta æquitas, ſi iuſtus relinquitur, peccator adſciſcitur, niſi intelligas, quòd eos iuſtos dixit, qui ex lege præſumant, & Euangelij gratiam non requirant? Nemo autem iuſtificatur ex lege, ſed redimitur ex gratia. Eſt igitur in lege iuſtitia, ſed non per legem iuſtitia.* Quod euidenter probat D. Paulus contra Iudæos ad Rom. 15. illis verbis: *Lex enim iram operatur: vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Oſtendens non poſſe iuſtificari hominem per legem apud Deum, tali argumento. Quod iram operatur, non confert iuſtitiam. Sed lex operatur iram: ad hoc enim data eſt, vt reos faceret, delinquentes; & ideò poſita eſt iniuſtis, vt ſtatim declarat S. Paulus illis verbis: *Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio*; ergo lex non confert iuſtitiam. Fruſtra proinde Iudæi ex vi legis, olim ſibi traditæ, iuſtitiam & hæreditatem vitæ æternæ, ſibi tribuunt: quia iam lex illa factorum euanuit, nimirum obſeruatio ſabbathorum, neomeniarum, circumciſionis, eſcarum diſcretio, animalis mortui, aut ſanguinis muſtulæ obſeruatio.

Diligit itaq; Chriſtus homines iuſtos, tanquàm amicos ſuos, cùm in illis per gratiam ſanctificantem inhabitet: amat innocentes cùm hæc ſit præſtantiſſima prærogatiua, in quâ Deus primum hominem creauit; verumtamen in peccatores etiam ſingulari affectu propendet, dum eos ad pœnitentiam pronos videt, vt velut ægros de infirmitate, & ſtatu peccati erigat. quod manifeſtè colligo ex Scriptura Sacra, Ezechielis 34. v. 14. & 15. vbi hanc legem pœnitentibus à Deo datam eſſe promulgat Ezechiel, nomine Dei loquens: *Si autem dixero impio: morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq; iudicium, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamq; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniuſtum: vitâ viuet, & non morietur.* Premite illa verba, *in mandatis vitæ ambulauerit*, quæ non ſolùm dolorem de peccatis, & pro illis debitam Deo, atq; hominibus ſatisfactionem factam, ſed ſtrenuum ſubinde obſequium, & diligentiam & viam virtutis ineundam apertè indicant. Reflectite deinde animos veſtros ad illud ſuperiùs apta ſcripturæ locum ita diſcurrente. *Tempus redimimus, quando ante actam vitam, quam laſciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Dum enim malè agimus, tempus in quo benè operari debemus, amittimus: ſed damnum temporis redimimus, ſi ita vitam commendamus, vt ea bona, quæ olim facere negleximus, & ea, quæ nunc facere debemus, faciamus.* Redimere igitur tempus, & pignus reſtituere, ſeu rapinam Deo reddere, nihil aliud eſt, niſi ea bona, quæ olim facere omiſimus, & ea, quæ nunc facere tenemur, ſimul perficere, atq; ad S. Pauli modum extendentis, ſeu diſtendentis ſeipſum, nouas vires ad duplicatos virtutum actus exercendos exerere.

Proſpicite opportunum ſatis perfectæ huius pœnitentiæ exemplar in hodierna peccatrice, quanto ſtudio deperditum tempus redimebat. *Attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes eius, lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Ponderate accuratiùs cum Diuo Chryſoſthomo homil. 6. in Matth. animum corpus, omniaq; illius membra, vnius Chriſti obſequio addicta. *Quia enim* inquit S. Chryſoſthomus, *perfectè incaluerat pœnitendo, bacchari (vt ita dixerim) cæpit deſiderio exagitata Chriſti, ſiquidem continuò & crines reſoluit, & ſanctos pedes veriùs diluens lachrymis, ac proprijs extergens capillis, pretioſo rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinſecus cuncta faciebat, ea verò, quæ in ſecreto mentis agitabat, multò erant ignitiora, multoq; maiora, quæ tantum modò Deus ipſe cernebat.* Videtis nullis lachrymis, officijs, charitati, reliquiſq; virtutibus modum impoſitum? *Conſideranit namq;, quod fecerat,* (ait Gregor. Magnus hom. 34 in Euangel.) *& noluit moderari, quod faceret.* Quaſi diceret: peccatorum memor, deperditum tempus redimere, & omiſſa benefacta reſtaurare voluit; ideò ſeipſam ad iuſtitiam extendens, egregias virtutum actiones, noluit moderari. Ampliùs addit S. Chryſoſthomus: *Illa in Euangelio meretrix, virgines quoq; ipſas honeſtè ſuperauit*: quia nimirum in virtutis ſtadio, egregia animi alacritate virgines ipſas anteiuit. Dignum profectò pœnitentiæ exemplar, quod omnes fideles imitentur: quicunq; enim à peccatorum fæcibus, & dura ſeruitute diaboli emergentes, ad bonum virtutis, & obſequij diuini frugem ſe recipiunt, toto conatu debent egregijs virtutum actionibus incumbere, vt hoc facto fidem faciant, ſe ex animo pœnitere, veroq; affectu Dei ſeruitutem amplecti. Hinc illa D. Pauli admonitio, Romanos olim idololatras,

Ad Rom. 6, & peccatis deditos ita alloquentis. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis seruire membra vestra immunditiæ ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire in sanctificationem.* ad Roman. 6. Origenes. v. 19. Quasi diceret: vt exponit Origenes ibidem: *Currebant priùs pedes vestri ad effundendum; nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus priùs, vt aliena diriperent; nunc protendantur, vt propria largiantur. Circumspiciebant priùs oculi alienum ad concupiscendum; nunc circumspiciant pauperes ad miserendum, & vniuscuiusq; membri ministerium, quod exhibuit vitijs, aptet virtutibus.* Sic beata Maria Magdalena, omnia corporis sui membra, vni diuino obsequio mancipauit: ait Gregorius Magnus. Gregorius Magnus. *Oculis terrena concupierat, sed hoc iam per pœnitentiam conterens flebat; capillos ad compositionem vultus adhibuerat, sed iam capillu lachrymas tergebat: ore superbo dixerat. Sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigio figebat.* Et mox concludens subijcit: *Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum.* Vt scilicet plenam Deo fidem faceret, toto se illi corde agglutinari. Quid ergo mirum, quòd Christus tantam in eius vita, & moribus mutationem cernens, peccata ei remiserit, qui nusquàm facienti, quod in se est, denegare solet gratiam.

Alterum est, quod Christum Dominum mouet, vt se peccatoribus benignũ exhibeat, humilis, perseuerans, & importuna oratio. Hoc docuit ipsemet Christus, illa similitudine amici ad amicum de nocte euntis, vt tres panes sibi commodaret, qui repulsam passus ab amico; non destitit tamen rogare, petere, pulsare: sic enim dicit Lucæ 11. Lucæ 11. *Quâ tandem importunitate victus dedit ei, quot voluit panes, & si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit; propter improbitatem tamen surget. & dabit illi, quotquot habet necessarios.* Ponderate attentiùs verba hæc, *& si non dabit ei, quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen surget.* Ergo ita DEO importunitas in oratione cordi est, vt hanc pluris faciat; quam amicitiam, & quod amicitiæ denegat, improbitati concedit. O magna perseuerantiæ vis ad obtinendum! considera, quàm pronus, quàm vehemens, quàm ardens, quàm immensus Deus sit in amicitia, & quantopere se ab illa vinci patiatur; & tamen interdum apud eum, plùs valet importunitas in oratione; quàm amicitia. Pulchrè S. Hieronymus in citatum scripturæ locum: *Magna res perseuerantia* ait, *quæ quamdiu importuna est, quanquàm molesta sit; Deo tamen plùs amicè est; quàm amicus: nam quod amico negatur, perseuerantia promeretur.* Hunc igitur modum Christus, æterna Patris sapientia, tanquàm infallibilem, ad obtinendam eius gratiam, proposuit nobis, loco citato subiungens: *Et ego vobis dico, petite, & dabitur.* Quasi diceret, petite cogitatione, id est, oratione mentali, petite affectu animi, petite totis animæ potentijs intellectu, ac voluntate. Et si hoc non proficit, ad mentalem orationem adijcite vocalem. adijcite preces, & supplicationes, adijcite Psalmos, & scripturæ verba: ac tandem pulsate operibus, adhibete bona opera, ieiunium, pœnitentiam, corporisq; afflictionem: hoc enim si feceritis, omnia vobis aperta erunt.

Importuna oratio multum valet apud Deũ. S. Hieron.

Acceßit sanctus Domini Propheta Daniel. quando tempus liberationis populi sui scire impensè cupiebat, mente orauit, verbis insuper & operibus, Daniel 9. v. 3. *Posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare, & deprecari in ieiunijs, sacco, & in cinere, & orauit Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi.* Petijt itaq; Daniel primò mentaliter, quando posuit faciem suam ad Dominum: rogauit verbis, dicens: *cõfessus sum, & dixi:* insuper pulsauit operibus, quia deprecatus est in ieiunijs, & sacco, & cinere Quid ergo mirum: si ita oranti & pulsanti ostium apertum est, vt quidquid voluerit, obtineret. Fac tu similiter homo peccator, & ostium tibi aperietur, obtinebis, quod desideras: pete, quære, pulsa instanter, perseueranter, & obtinebis sicut Daniel. Insta sine verecundia, sine pudore; quemadmodùm sponsam fecisse notat Diuus Bernardus serm. 23. in Cantic. vbi loquens de feruorosa sponsæ importunaq; oratione. & eam excusans ita loquitur: *Sed nec in sensu apparet verecundia, quam fortassè habet in moribus, amor intemperans facit hoc, nempe is est, qui omnem in se triumphans, captiuansq; pudoris sensum, totius modestiæ, & opportunitatis neglectum quendam, & quandam incuriam parit.* Quis hoc etiam in felici hodierna peccatrice, Magdalena pœnitente non videt? quæ totum, quod voluit, impetrauit: quia impudens acceßit, vt inquit S. Augustinus lib. 50. hom. 23. *Quæsiuit piâ impudentiâ sanitatem.* Et Psal. 140. applicans ei illud Hieremiæ 3. v. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere,* dicit: *Illa quondam frontosa ad fornicationem, frontosior facta est ad salutem, nescit amor pudorem.* Cùm ergo pœnitens Magdalena ita se humiliauerit ad pedes IESV, ita tota affectu ardenter

Oratio vt sit efficax a qualis esse debeat. S. Bernard. S. Augustin.

ter orauerit, quid mirum, quòd veniam peccatorum obtinuit.

Vultis scire, quàm rigidam pœnitentiam egit? licet iam à peccatis absoluta totaliter, & quoad culpam, & quoad pœnam; vt tamen ipsamet de se vindictam sumeret, & omnes anteactæ vitæ illecebras, ac delicias perpetuas condignè castigaret, triginta quatuor annis in

Maria Magdalena 34. annis pœnitentiã egit. præalta rupe corpus suum, assiduis ieiunijs, & mille mortificationibus exasperans permansit: vbi ad vltimam vsq; vitæ periodum, nullo rerum humanarum vsu, Angelicam vitam egit. Potus eius, & omne in vitam solatium fuit aqua, quæ discurrit: *Deus vocat ad se aquam maris, & effundit eam supra faciem terræ, de peccatoribus iustos faciens. Paulus Apostolus, quasi turbo violentus, & sæua tempestas, & tumentes maris gurgites, persequebatur, & opprimere nitebatur Ecclesiã Dei, qui vocatus à Domino, effusus est supra faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium.* Turbo igitur erat Paulus, tẽpestas, maris fluctus, dicã amplius, lupus rapax, contra Dei Ecclesiã contra Christi sanctos, deniq; contra ipsum Christum, supra omnes eum abhorrens suos coætaneos, ac persequẽs.

guttatim decidens lentè speluncam irrigabat: sedes non alia, quàm lapis in corporis typum protensus, in quem reclinata fœmina ingens, longo vsu impressit imaginem corporis recubantis. Ibi vera extasi, quasi per insomnium, septies in die rapiebatur Angelorum ministerio. O mulier vnde tibi tam austera vitæ, & pœnitentiæ ratio. Nondum enim audieras in primitiua Ecclesia, vulgaria peccata; nonnullaque in mortiferorum genere leuiora, pœnitentiâ, & segregatione ab Ecclesia vindicata, vt constat ex corpore canonum. Nondum videras pœnitentiam in vnum, interdum in duos annos furto inflictam, Can. 61. in quatuor, & non nunquam in septem simplici fornicationi. ibidem Can, 22. & 59. In annos vndecim periurio Ibidem Can. 64. in quindecim adulterio ibidem Can. 58. In idem tempus matrimonio, intra prohibitos cognationis gradus inito. ibidem Can. 68. in annos viginti homicidio, ibidem can. 56. Totam deniq; vitam expiandæ voti castitatis violationi, Monacho, aut sanctimoniali præstitutam ibidem can. 60. & tamen tam seueram egisti pœnitentiam.

Maria Magdalena septies in die in extasim rapiebatur.

In primitiua Ecclesia pœnitentia multorum annorum.

Ne miremini: amor diuinus hanc stupendam in ea mutationẽ operatus est, vt quæ antea solis mũdi delitijs assueta erat, postquam pedes IESV contigit, omnes amaritudines, velut quasdam dulcedines reputaret. Sic profectò fieri solet cum illis, qui verò & contrito corde ad Christum conuertuntur. Ponite vobis ante oculos Paulum, spirantem minarum, & cædis in Domini discipulos: illumq; præcipuè hostem Domini IESV: aduertite cum epistolis proficiscentem, vt damnaret, vt perderet, vt tandem nomen IESV Christi exterminaret. Sic de semetipso testatur Actor. 16. *Ego quidem existimaueram, me aduersùs nomen IESV Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hierosolymis, & multos sanctorum ego carceribus inclusi, à Principibus sacerdotum potestate accepta, & cùm occiderentur detuli sententiam, & per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare, & amplius insaniens in eos, persequebar vsq; in exteras ciuitates.* Considerate, quanta contra Christum fecerit Paulus, quæ accuratiùs expendens S. Hieronymus lib. 2. in c. 1. 9. Amos, meritò illum turbinem, tempestatem, tumentes maris gurgites, contra Ecclesiam appellat. Explanando enim S. Doctor illa Prophetæ verba. *Qui vocat aquas maris, & effudit eas supra faciem terræ,* ita

Actor. 16.

S. Hieron.

Considerate postea in illo diuinam reuelationem, ex qua illicò eum, quem persequebatur, vt suum Dominum agnouit, & redemptorem, nihil tunc in votis habens, quàm pro tali nomine pati. Totus tunc subitò amore Christi incaluerat Paulus, æstuabat pro illo, quia Spiritus Sanctus virtute sua induerat eum: ideoq; fortis statim à principio Paulus factus est, & imperterritus, licet nouitius, ita vt non solùm pericula, & bella non exhorresceret, sed desideraret, sed in illis exultaret, & veluti equus generosus, cùm procul odoraretur bellum, hilaresceret, & gauderet. Magno acumine D. Augustinus in Psal. 44. supra illa verba. *Sagittæ tuæ acutæ in hunc loquitur modum: De cœlo emissa est sagitta, corde percussus est Saulus, nondum Paulus, adhuc erectus, nondum prostratus, accepit sagittam, cecidit in corde, & dixit, Domine quid me vis facere? modò ibas ad Christianos alligandos, & modò dicis Christo, quid me vis facere? O sagittam acutam potentissimam, quæ accepta cecidit Saulus, vt esset Paulus.* Illicò enim extitit amans, & pro Christo deperiens, ac vnde priùs mare erat contra Ecclesiam turbidum, vt docet S. Hieronymus supra citatus, illicò factus est tranquillum, ait S. Chrysostomus homil. 55. in Acta. *Non peccauerit quis si cor Pauli, mare, aut cælum dixerit, cùm ob pluralitatem, tum ob profunditatem.* Hinc factum est, vt licet in seruitio Christi nouitius adhuc fuerit Paulus; quia tamen

Amor diuinus mirabilia in Paulo operat⁹ est. S. Augustin. S. Chrysost.

men à diuina iam potenter percussus extabat sagittâ, non dubitauerit Deus illi, quanta oportebat eum pro nomine suo pati, ostendere : quoniam indutus iam erat virtute ab alto, ideoq; & fortis ad bellum, & fortis ad pericula subeunda extabat.

Horribilis excitata erat contra Apostolos persecutio, quæ ita eos exterruerat, vt ab alto animum petentes, ad orandum impensè accederent. *Iudæorum namq;* (ait S. Chrysosthomus homil. 8. de laudibus Pauli) *tunc populi mouebantur, Pharisæorum quoq; latrabant gressus, indignabatur conspiratio sacerdotum, in quo bello Iudæi sociabantur, & Gentes.* Vbi congregato Concilio, Iudæi prohibuerunt Apostolis, ne amplius doctrinam Christi auderent prædicare, Actor. 4. v. 18. *Denuntiauerunt ne omninò loquerentur, neq; docerent in nomine IESV.* Quo audito discipuli, ita Dominum deprecati sunt Actor. 4. v. 29. *Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Ad quorum orationem dicit scriptura ibidem : *Motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Nullum tunc à Domino factum est verbum ad Apostolos sed repletio Spiritus Sancti eis data. Et cur verbis non respondit eis Dominus, notum faciens, exauditos esse, & certos reddens se auxilium daturum, à Principibus defensurum, persecutionem auersurum, vt sic cum maiori fiducia verbum ipsius loqui potuissent? nisi quòd Spiritu Sancto repleti essent, eiusq; induti virtute. Sanè quia optimè sciebat, solam Spiritus sancti repletionem illis abunde sufficere, vt imperterriti, impauidi, fortes, adamantini ad pericula, ad bella, iam facti, neminem timerent, omnia despicerent, imò ipsam etiam vitam libenter profunderent. Nam vt dicit S. Basilius lib. 6. de vera virginitate : *Diuino instigante amore, rotas carnificum, verbera, ignes, carceres, & bestias, non expauescit quis, contemnit pretiosas, & decoratas vestes, & vili indutus tunica, ac sacco, quantumcunq; perpendat in oculo hominum hæc deliramenta esse, vult stultus ab hominibus haberi, vt diuina (si ita dicere licet) insaniâ sapienter sit insanus.* En quàm mira Spiritus Sancti in anima vis elucet : quippè homines cordati, vltra omnia bona, vltra vitam ipsam æstimant honorem, ita vt licet sit homo ab omni ambitione longè remotus ; iucundus tamen ei debeat esse honor vltro delatus. Quod cùm sit, tantiq; a viris honor æstimetur cordatis, profectò miraculum fateri debemus, quando homo Dei spiritu indutus, ita animatur, vt ei placeat insanum videri, insanum existimari, imò insanum se dicere. Sic D. Paulus postquàm ad Christi scholam accessit, virtute Spiritus Sancti indutus, insanum se reputari voluit. Hinc illa vox Pauli ad Agrippam regem Actor 26. *Et amplius insaniens in eos, persequebar vsq; ad exteras ciuitates.* Ita enim iam Christo addictus erat Paulus, vt nulli alij, præterquàm ipsi soli sapiens apparere voluerit, pro nihilo æstimationē, honoremq; ducens, pro nihilo omnia mundi faciens.

Actor. 26.

Non absimilem Paulo cernite hodiernam pœnitentem, Magdalenam sanctam : quid enim fuit in causa, vt in conuiuium irrumperet laborans, licet fœmina, licet in alienam domum, licet in tot, & tantorum hospitum præsentiâ, dicam plus, licet Regis filia, vt vult S. Bonauentura, qui serm. 2. de eius festiuitate dicit : *Maria Magdalena ergo, quia multum Dominum amauit, cùm fuisset filia Regis, sicut historia Matthæ dicit* (nam Maria Magdalena castrum habuit ex sorte matris) *& omnes carnis delicias dereliquit, & quidquid scire potuit esse contrarium Christo.* Quid inquam hoc effecit, nisi quia amore æstuabat, & tali igne apprehensa, imò & comprehensa, solam se existimabat esse ; & quemadmodum illa neminem videbat, ita se à nemine videri putabat. Vt suggerit S. Ennodius lib. 7. epist. 27. *Eligens* inquit, *iacturam pudoris, ne subiret dedecus non amantu, sciens facilius posse sarciri frontis damna, quàm fidei.* Detriumphauit ergo amor peccatricem fœminam, ab eaq; eximia spolia detraxit, & ad pedes IESV detulit Quis non fatebitur, in hac felici peccatrice, verba illa Salomonis Cantic 8. v. 6. *Fortis est vt mors dilectio,* impleta esse. Quæ de Mariæ Magdalenæ amore vsurpans citatus Seraphicus Doctor dicit : *Sicut mors separat animam à corpore suo, sic qui verè diligit, recedit ab omni eo, quòd possit displicere dilecto.* Magnū certè violenti amoris imperium, & immensa potestas, qui sanctam peccatricem in eius redegit potestatem, omnibusque cupidinis ornamentis spoliauit. In hoc ergo mors, & amor, mirabilis nexus similitudine consentiunt : quia mors rerum humanarum spolium est, floridum colorem, perpetuum nitorem, oculorum pulchritudinem, aureum capillitium, stolas è laconica purpura, bracteolis auri, & argenti intextas adimit ; vix sordidos funiculos manibus expallentibus, pullata linteola operiendo corpori derelinquit.

Actor. 4.

S. Basilius.

S. Bonauent.

S. Ennodi.

Cantic. 8.

quit. Amor pariter sicut mors fortis est, A cùm amantem dignitate mundi, splendore, & delicijs nudat. Vix Magdalena dulcissimæ tyrannidis eius experta manum, & statim iaculi sauciata cuspide, omnis gloriæ, & decoris ornamenta abiecit, vitrea vascula candoris, & roboris, splendentes cyclades, resticulum aureum, cylindros, torques, fulgens diadema, bracteas, tremulas, gemmas, luxuriæ irritamenta respuit, vt stercora calcauit ; capillamenta auri splendore nitidiora, fibrasq; aureas, capillorum calamistro notatas, ad pedes Christi abiecit, regnum & omnem copiarum affluentiam B penitùs contempsit, & dereliquit. Has igitur exuuias diuinus amor, in signum triumphi perennaturi pro anathemate suspendit.

Quod si S. Paulus, post innumerabiles afflictiones pro nomine IESV, libenter & patienter susceptas, dicebat ad Agrippam Regem Actor. 26. *Opto omnes, qui audiunt, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Quæ verba S. Chrysosth. hom. 12. in Acta Apostolorum, coniungens cum illis 2. ad Timoth. 2. *Memor esto Dominum IESVM Christum resurrexisse à mortuis, secundùm Euangelium meum, in quo laboro vsq; ad vincula, quasi malè operans.* Eaq; intimius perscrutans, dicit, tantam gloriam æstimasse Paulum, pro Christo pati, vt ad vincula adiecerit. *Quasi malè operans.* Ac si parum illi videretur, pro Christo ligatum esse, ideoq; gloriatus est ampliùs, quia vt malefactor habebatur, tam auidus non solùm vinculorum pro Christo, sed etiam abiectionis erat, & infamiæ per ipsum. Cuius tantæ opprobriorum sitis, causam exprimens citatus Chrysosthomus, solitudinem assignat, in qua qui amore Christi semel captus fuerit, stare se existimat, licet in mundo sit. *Qui enim igne Christi captus fuerit,* inquit, *talis sit, qualis esset homo solus super terram habitans, adeò nihil curæ est ei gloria, & ignominia, sed sicut si solus habitaret, nihil curaret ; ita & talis quoq; non curat, tentationes autem sic contemnit, ac flagella, & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, quemadmodùm si adamantinum possideret corpus.* Amor proinde solùm constituit hominem, statim atq; amans est ; nil aliud videt, nil aliud æstimat, nil aliud cogitat, vnum tantum habet in corde, amato placere ; irrumpit contra difficultates, nescius impedimentorum, ignarus obstaculorum. Nonne simili modo pœnitens Magdalena nos omnes his verbis alloqui posset. *Opto omnes, qui audiunt meam pœnitentiam, fieri tales, qualis ego sum.* Deposuerat iam Magdalena, vitæ veteris, & criminosæ exuuias, nunquàm posthac resumendas ad pedes IESV, dum lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Lucæ 7. Iam lasciui cupidinis spolia, & retia, quibus quasi illecebris voluptatum, pretiosas animas ceperat, & illa quæ auerat, dulci amori suo IESV, gemebunda dedicauerat, oculos, manus, vnguenta, labia, aureumq; capillamentum. Quod magna emphasi expressit Gregorius Magnus homil. 33. in Euangelia fatus : *Liquet fratres, quod illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergò sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat : oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lacrymas tergebat. Ore superbo dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in redemptoris sui osculo figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Et tamen his omnibus non contenta triginta quatuor annis, ab omni hominum consortio aliena, solo Angelorum pane, quo de super velut manna ab Angelis pascebatur, in spelunca rigidam agens pœnitentiam, ignota vixit.

Actor. 26.

2. ad Tim. 2.

S. Chrysost.

Gregorius Magnus.

Habetis igitur, propter quod Christus se benignum peccatoribus verè pœnitentibus exhibet, nimirum, quia velut mansuetus, & innocens ad tollendum peccatum venit. Habetis pœnitentem mulierem, quæ lachrymis pedes IESV lauare, & tota mente orare non destitit, donec sententiam absolutionis audiret. D Recognoscite ergo summam Dei erga nos bonitatem, qui cùm esset infinitæ maiestatis, propter vestra delicta, caro fieri, in carne pati, & mori dedignatus, non est. Imitemini Magdalenam pœnitentem, ardenti & humili oratione, varijs mortificationibus, ieiunijs, & alijs pijs operibus Deum placando, & remittentur vobis peccata vestra.

DIE

DIE SANCTI LAVRENTII.

CONCIO PRIMA.

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

S. Laurentius fuit vitis aureas vuas, & argentea folia progenerans.

MIrantur Doctores ſacri, quomodò Chriſtus granum frumenti, mori neceſſe eſſe affirmet, cùm in rei veritate grani plùs intereſſe videatur, licet aureis non coronetur ſpicis; quàm auream producere ſegetem, ſi ſubeat mortem. Si enim granum mortuum non fuerit, licet ſolùm, manebit tamen viuum; ſi verò fructum attulerit, manebit quidem aſſociatum, ſed mortuum: ergo grana conducibiliùs eſt, fructibus carere; quàm mori & exundare. Verùm hoc Redemptor noſter de ſua paſſione iam inſtante protulit, quaſi apertiùs diceret. Sicut granum frumenti, niſi ſepeliatur in terra, moriatur, & putrefiat, fructum non profert; ſepultum verò ac mortuum, plura ex ſe grana progignit; ita & me nunc obire mortem, ac in terra ſepeliri oportet, vt qui non niſi paucam diſcipulorum manum modò adiunxi, in mortis meæ præmium, opulentiſſimam à Patre hereditatem gentium, quæ in me creditura ſunt, accipiam. Nihil ergo Chriſtum naſci profuiſſet nobis, niſi mortuus eſſet, non quòd Deus non potuiſſet ſine Chriſti paſſione, & mundum ſaluum facere, & Filium ſuum glorioſum reddere, ſed quòd diuino id eſſet decreto diſpoſitum, vt Chriſtus morte ſua mundi ſalutem, ac ſui nominis claritatem obtineret. Hinc Petrus Chryſologus alludens ad hanc grani imaginem ſerm. 59. de Symbolo; in eum ſymboli articulum, *& ſepultus eſt*, ita fatur, *vt officia tota mortis impleret, vt mors morte moreretur, vt ex illius ſemine corporis, omnis humanorum corporum ſatio vitalem ſurgeret.* Hoc vaticinatum olim fuiſſe Iſaiam, videocap. 53. v. 19. illis verbis: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Quæ de egregio paſſionis Chriſti prouentu. & nominis ſui clarificatione, dum à fidelibus Dei Filius eſt creditus, ita accepit S. Hieronymus: *Videbit Eccleſias in toto orbe conſurgere & earum ſaturabitur fide.* Vbi illa conditionalis, *ſi poſuerit*, manifeſtè indicat expreſſam pactionem, atq; conuentionem, quòd ſub hoc onere carnis paſſibilis, & mortis ſubeundæ, tam mundi redemptio, quàm gentium hæreditas, ac nominis ſui claritudo, & exaltatio Chriſto promittatur. Luculentius idipſum Chriſto ipſomet confirmante patet, Ioan. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ponderate iterùm conditionalem iſtam, *ſi exaltatus fuero*, quæ citatus Iſaiæ verbis mirificè accinit: cùm particula *Si*, nihil aliud ſignificet, quàm ſuſpenſum à conditione euentum, qui niſi eâ adimpletâ non ponitur. In cuius veritatis comprobationem, pulchram, & attenta conſideratione dignam, affero Hebræorum traditionem, apud Petrum Galatinum, lib. 8. de Arcanis, cap. 11. vbi ex mente cuiuſdam Magiſtri Hebræorum, ſuper illa verba Pſal. 96. *Lux orta eſt iuſto*, & ſuper illa Pſal. 36. *In lumine tuo videbimus lumen*, hæc verba adducuntur. *Cœpit Deus ſanctus, & benedictus loqui cum Meſſia eiq; dixit, meſſia iuſte meus, iſti qui recondits ſunt apud te, huiuſmodi erunt, quòd futurum eſt, vt peccata eorum inducant te in iugum graue: oculi enim tui non videbunt lumen, & aures tuæ audient opprobrium, naſus tuus odorabit fœtorem, & os tuum guſtabit amaritudinem, ad hærebitq; lingua tua palato tuo, & hærebit cutis tua oſſibus tuis, attenuabiturque fortitudo tua à luctu, & à gemitu: eſt ne ergo voluntas tua in eis? ſi enim tu ſuper te hæc ſuſceperis, benè quidem erit, ſin autem, ecce ego abigam ea ex nunc.* Potuitne iam expreſſiùs, futura Chriſti paſſio. & mors ſignificari? Audite vlteriùs, quid ex ſententia iſtius Hebræi Chriſtus reſponderit. Subdit Galatinus: *Reſpondit coram eo Meſſias: Domine mundi: ego quidem lætus ſuper me tribulationes iſtas, ſiue tormenta ſuſcipio; eo tamen pacto, quod tu in diebus meis viuifices mortuos, & eos, qui à primo Adam eatenùs mortui fuerunt, &c. Dixitque ei Deus ſanctus, & benedictus: concedo. Protinus igitur ex dilectione ſuſcepit Meſſias ſupra ſe tormenta omnia; & tribulationes.* Sicut ſcriptum eſt Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ecce pretioſum granum frumenti, de quo nobis panis ille cæleſtis, panis Angelorum confectus eſt, vt quicunq; ex eo manducauerit, non moriatur, ſed viuat in æternum. Granum hoc cecidit in terram, quando de Spiritu Sancto conceptum, & ex Maria Virgine natum eſt. Granum hoc mortificatum eſt in infidelitate Iudæorum, ſed multiplicatum in fide populorum: quia morte ſua vniuerſum mundum ad credendum in ſe traxit, & ſuis Apoſtolis ac Martyribus, ad generoſè ſubeundam pro nomine ſuo mortem, animum imperterritum addidit, vt ingeniosè diſcurrit S. Chryſoſthomus in catena ſic loquens: *Quia de morte ſua præuidit diſcipulos contriſtandos, ſuperabundantiam facit ſermonis dicens: Non ſolùm, ſi non mortem meam patienter ſuſtinueritis; ſed etiam niſi vos ipſi moriamini, nullum vobis erit lucrum.* Non enim à Chriſto, quia ſic eritis infructuoſi; non à mundo, quia mei diſcipuli, proinde vos mundus odio habebit. En quanta fœcunditas ex pretioſo grano, Chriſto mortuo: prodierunt ex hoc grano innumeri confeſſores, velut candida lilia: prodierunt intactæ virgines, quarum pulchritudine cælum repletum eſt: prodierunt inuicti Martyres, velut roſæ purpuraſcentes, è quorum numero eſt B. Laurentius, igne pro nomine IESV vſtulatus. Refert Alexander ab Alexandro lib. 4. genial: cap. 9. vites quaſdam fuiſſe penes Danubium, quæ quia habebant radices in quibuſdam venis, ſeu fodinis aureis, & à genteis, vuas aureas, & folia argentea progenerabant. Talem ego vitem in Eccleſia Chriſti fuiſſe B. Laurentium, hodie oſtendam.

Non aberrabit, quiſquis ſacrificia in lege Euangelica, aurum pretioſum appellauerit, cùm ſacrificium nihil aliud ſit; quàm oblatio externa ſoli Deo facta, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ maieſtatis, à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu miſtico conſecratur, & tranſmutatur. In lege igitur Moſaica, aliud erat iuge ſacrificium, quod offerebatur quotidiè, nimirùm duo agni anniculi, & immaculati in holocauſtum. Alia verò ſacrificia ſolemnitatum, quæ certis anni feſtiuitatibus offerebantur ex præcepto, & talia ſacrificia erant octo, iuxta numerum feſtiuitatum: puta ſacrificium Sabbathi in memoriam creationis. Neomeniæ, pro beneficio diuinæ gubernationis: Paſchæ, in memoriam liberationis ex Ægypto: Pentecoſtes ob datam legem in monte Sina: Tubarum, in memoriam liberati Iſaac, quando Abraham inuenit inter vepres, hærentem cornibus arietem, in cuius memoriam ſolebant tubis corneis clangere. Expiationis, quòd Deus propitiatus fuiſſet, quando populus vitulum adorauerat: Scenopegiæ, ſeu feſti Tabernaculorum, ob beneficium, quod in deſerto acceperant, habitando annis quadraginta in tabernaculis: Demùm collectæ, ſeu cætus, in quo, vt obſeruat S. Thomas 1. 2æ. q. 102. ar. 4. ad 10. colligebantur à populo neceſſaria ad expenſas cultus diuini, & ſignificabatur adunatio populi, atque pax præſtita in terra promiſſionis. Porrò in lege Moſaica, triplex erat materia, ab ipſo Deo deſignata, quæ in Iudæorum ſacrificijs, offerri debebat. In primis animalia, vt oues, capræ, hædi, boues, vituli, columbæ, paſſeres, turtures. Deinde, fructus terræ, vt panis, ſimila, ſal, thus, manipulus ſpicarum virentium, & triticum. Tandem liquores, vt ſanguis, vinum, oleum, aqua, &c.

Imò, & aurum offeri ſolitum legimus 1. Reg. 6. n. 5. vbi poſtquàm Deus ob arcam captam, plagâ magnâ puniuerat Azotios, pro peccato deprecaturi aurea vaſa ei obtulerunt. *Iuxta numerum Prouinciarum Philiſtinorum, quinq; anes aureos facietis, & quinq; mures aureos, &c. & dabitis Deo Iſraël gloriam.* Cur autem illam pretioſam materiam, videlicet aurum Deo obtulerint, duplicem rationem aſſignant Scripturæ Sacræ interpretes. *Primam*, vt pretioſiſſimum munus, quale eſt aurum, ſummo Deo tribueretur: mos enim erat Ethnicis, per aurum ſupremo Numini litare, iuxta illud Virgilij.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencam.

Vt ſcilicet dignitate muneris, Numinis diuinitatem ſibi demererentur. *Alteram*, vt aurum, quod malorum omnium irritamentum eſt, à ſe prorſùs abdicarent, & in diuinum cultum, ac veneration transferrent. Hinc Ethnicus vates ſuadebat, aurum aut in mare proijciendum eſſe; aut vni Deo conſecrandum, ne ſi apud mortales ſeruaretur, peccandi illecebram nutriret, de quo pulchrè cecinit Lyricus Poëta 3. car. 24.

Vel nos in Capitolium,
Quò clamor vocat, & turba fauentium:
Vel nos in mare proximum.
Gemmas, & lapides, aureum & inutile
Summi materiam mali,
Mittamus, ſcelerum ſi benè pœnitet. Qua-

Chriſti nativitas ſine eius paſſione nihil profuiſſet.

Chryſolog.

Iſaiæ 53.

S. Hieron.

S. Chryſoſt.

Materia ſacrificiorum Iudaicorũ triplex.

Ioan. 12.

Pſal. 96.

Galenus.

Vites vuas aureas & folia argentea gignentes.

Chriſti redemptio ad mortem.

Sacrificia ſolemnitatum in lege Moſaica octo fuerũt.

1. Reg. 6.

Quasi clariùs loqui vellet; si quem suorum scelerum ritè pœnitet, is non solùm scelera omnia abiuret; sed omnia illorum nutrimenta, incitamentaq; demoliatur, quorum præcipuum est aurum, cuius cupiditate inescatus animus, nullum se in flagitium non deuoluit. Hoc igitur vel mari demergatur, vel Deo consecretur; neutro ex loco ad peccatum illicium, exitiumq; animorum repetendum. Et quis non fatebitur B. Laurentium, aurum pretiosum Christo supremo numini obtulisse, quando illi corpus suum igne vstulatum, velut sacrificium odoriferum obtulit, cùm neces Martyrum, nihil aliud sint, nisi quædam inæstimabilia sacrificia. Vnde frequenter apud scripturam, & sanctos Patres legimus, Martyres, hostias, victimas, & holocausta appellari, non solùm ea de causa, quòd Probæ actiones, sacrificia quodammodò esse dicantur. Sic docet D. Augustinus, lib. 5. de ciuit Dei, cap. 1. *Sacrificium* inquit, *est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad eum finem bonum, quo beati esse possimus.* Sed longè fortiori ratione, quæ ad hanc illis appellationem tribuendam, magis nos stringit, quòd se totos in odorem suauitatis offerant. Ita S. Chrysosthomus hoc loco in persona S. Pauli loquens: *Victima quædam, & hostia euado.* Clariùs adhuc Theodoretus, dum ait: *Hæc autem ducit eos consolans, & docens magnitudinem martyrij, quod immolationu, & sacrificij cuiusdam locum obtinet.*

Mors martyrum inæstimabile sacrificium. S. Augustin. S. Chrysost.

Quòd si ratio hæc nondum conuincit, recurrite ad aliud fundamentum Scripturæ sacræ, Sapientiæ 3. v. 6. vbi de Deo in manus suas martyres suscipiente, dicit Salomon. *Tanquam aurum in fornace probauit, & quasi holocausti hostiam, accepit illos.* Vbi disertè Martyres appellauit, *holocaustum*: quia in veteri testamento, illa victima propriè holocaustum dicebatur, quæ tota igne sumpto ex altari, die ac nocte absumebatur. Quocirca dum S. Cyprianus epist. 81. citata sapientiæ verba, de Martyribus explicans, ait: *Iterum, vbi loquitur Scriptura Sacra de tormentis, quæ Martyres Dei consecrant, & ipsa passionis probatione sanctificant*, ad sacrificiorum ritum aspexit, quasi tormenta Martyres holocausta Deo redderent, atque sacrificarent. Quippè consecrationis, & sanctificationis phrases, ad sanctificandi actionem pertinent, teste S. Ioanne cap. 17. v. 19. *Pro eis sanctifico meipsum*, id est, meipsum sacrifico, seu in sacrificium offero vt exponunt S. Cyrillus Alexandr. Chrysosthomus, Iustinianus, in epist. ad Hebr. vbi præcipuè S. Chrysosthomus hom. 11. ibidem, virtutis actiones, laxiori vocabolo, victimas appellat. *Quid sunt* ait *victimæ? modestia, temperantia, eleemosyna, tolerantia, lenitas, & patientia.* At verò Martyres holocausta vocat, inquiens: *Sunt autem aliæ quoquè hostiæ, verè holocausta, nempe martyrum corpora: illic & anima, & corpus. Illa magnum habent odorem suæ violentiæ,*

Sapient. 3. S. Cyprian.

Ad quod magis corroborandum, plurimum facit locus Scripturæ Sacræ, Prouerb. 9. vbi futuram Christi Ecclesiam describens Salomon, quæ in sanguine Christi fundari, & in sanguine Martyrum per totum orbem dilatari, ac propagari debuit, ita Christum, Patris æterni sapientiam, Martyres tanquàm victimas sibi gratissimas, mystico ritu immolantem inducit: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas.* Hæc vltima verba Tertullianus in Scorpiaco cap. 7. legit: *iugulauit filios suos*, de Martyrum necibus omninò citatum locum intelligens cui applaudens D. Augustinus, allata scripturæ verba, lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 20. ita explicat: *Hic certè agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, Verbum Patru æternum, in vtero virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, & huic tanquàm capiti membra, Ecclesiam subiunxisse, Martyrum victimas immolasse, mensam in vino, & panibus præparasse.* Subscribit demùm ipsemet summus Sacerdos Christus IESVS, Matth. 10. v. 34. loquens: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, gladium inquam, quo Martyrum victimas immolaret. Audite Andream Cæsarienſem cap. 14. in Apocal. qui præfatæ Christi verba, cum illis, quæ habentur apud S. Ioannem, Apocal. 6. v. 4. *Et exiuit alius equus rufus, & qui sedebat supra illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & datus est ei gladius magnus*: ita componit: *Huc namq; pertinet illud Christi, non veni pacem mittere, sed gladium, per quem Martyrum hostiæ mactatæ, & in cælesti ara oblatæ sunt.*

Prouerb. 9. Matth. 10. Apocal. 6. Andreas Cæsarien.

Aureas igitur vuas B. Laurentius Christo Domino obtulit: quia omnia in suo corpore membra igne cremata, in suauissimum odorem, velut holocaustum ei dedicauit. Quòd si Alexander ab Alexandro, ad hoc, vt vitis germinet vuas aureas, requirit, vt radices habeat in venis aureis. Fateri certè debebimus, beati Laurentij martyrium, fuisse vuam auream, quia radices diuinæ charitatis, & miræ sanctitatis, in Christo, velut in vena aurea fixerat, memor illius: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Ioann. 15. nam homo sine Christo, nihil boni, quod conducat ad vitam æternam facere potest Nihil inquam, siue paruum, siue magnũ, quod vitâ æternâ, aut gratiâ dignum sit, hoc est, nihil meritorium. vt loquuntur Theologi. Vnde S. Augustinus, tract. 81. in Ioan. dicit: *Qui à semetipso ferre fructum existimat, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est.* Opportunissimè ad hanc rem D. Paulus ad Rom. 14. loquitur: *Ego autem* inquit, *carnalis sum, venundatus sub peccato.* Vocat seipsum carnalem, eò, quòd motus concupiscentiæ sentiret. Vocat venundatum sub peccato, eò, quod ex Adam, qui prior peccauit, originem traheret: Adam enim vendidit se prior, ac per hoc omne semen eius subiectum est peccato. Quia ergo S. Paulus, vt pote ex natura tentationibus obnoxius, inuitus ac reclamans tentabatur, colaphizabatur ab Angelo sathanæ; ideò dicebat, se venundatum sub peccato. Imò addit vlteriùs v. 15. *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*: quia interdum bona operanti, vanæ, & illicitæ cogitationes occurrebant, cum quibus luctabatur, nolens illis consentire.

Ioann. 15. S. Augustin. Ad Rom. 14.

Sed quid mirum, quòd homo ex se sit impotens, ad faciendum aliquid boni, ad assecutionem gloriæ illius cælestis, prout oportet, cùm & ipse Redemptor noster, de seipso, vt homine idem fateatur, Ioan. 15. *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est.* Et cur Patrem agricolam vocauit? vt nimirum ostenderet, vniuersos fructus suos, quibus mundum impleuit, Deo Patri deberi. Vt enim, quòd vitis se extendat, quòd fructus reddat, agricolæ illam còlentis labor est; ita quòd nobilissima vitis, IESVS, non fuerit perdita, sed in immensum increuerit, mundumq; fructibus suis plenum reddiderit, specialissimè à Dei Patris cultura venit. Ait D. Laurentius Iustinianus in fasciculo amoris, cap. 8. *Cùm dixisset, ego sum vitis vera, addidit, & Pater meus agricola est. Nunquid fructificaret taliter, nisi à tam probatissimo excoleretur agricola. Quòd verò fructus illius ipse sit Author, agricolæ vocem per Prophetam ad filium agnosce. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ipse planè cælestis Pater, vitis huius cultor extitit, & diligentissimè nutrit, vt sanctitatis proferat fructum.* Patri igitur æterno debemus, quidquid habemus in Filio, Pater illum, vt veram vitem, putandam, & fodiendam dedit, quando pro omnibus nobis tradidit illum, vt sic de putatione illa in immensos fructus exurgeret, ac repleret mundum. Quò spectant verba illa Psal. 72. *Tenuisti manum dexteram meam, & voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Vt ergo vitis diuinissima Christus, in passione putaretur, dum ligaretur, dum manus pedesq; eius foderentur, dum capiti eius spinarum corona infigeretur, dum sub prælo crucis esset, Pater nobilis agricola illis laboribus aderat, manum eius dexteram tenebat, & in augmentum gloriæ deducebat. Audite Rupertum lib. de gloria, & honore Filij hominis in principio: *Interim* ait, *pro causa valde necessaria, dexteram eius Pater tenebat, id est, fortitudinem eius differri volebat, vt eâ non tunc, sed opportuno tempore vteretur, iuxta Psalmum tenuisti dexteram meam, & voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Nam reuera Deus Pater, manum dexteram eius tenuit: Deus Pater voluntate sua illum repressit fremitum leonis. Et eo vsq; tenuit dexteram illam; vt non statim descenderet de cruce petentibus Iudæis. Postquàm ergo tenuit manum dexteram eius, & in voluntate sua deduxit eum: fecit & illud; Et cum gloria suscepisti me, id est à morte glorioſè suscitasti me.*

Psal. 72. Rupertus.

Quotquot ergo labores pro nobis, hæc vitis in passione pertulit, quotquot gloriæ fructus dedit; totum id Deo Patri debemus, qui faciebat, ne filius sibi parceret, sed bona sua nobis traderet vniuersa. Hinc ipsemet Dominus IESVS dicebat discipulis suis Ioan. 16. *Venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in propria, & me solum relinquatis: sed non sum solus, quia Pater mecum?* O bone IESV, vtiq; tu ipse in cruce moribundus, querebaris, te derelictum esse à Patre, Psal. 21. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quomodò ergo dicis, te etiam in illis densissimis tenebris, non fuisse sine Patris assistentia. Respondet ingeniosè Rupertus ibidem: *Tantillum dereliquisse me videbitur: quia silebit; sed, non longè faciet auxilium suum à me; eruet enim à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam, à mortuis me resuscitans: & exinde palam ego faciam, quòd non reliquerit me solum Pater: quia narrabo nomen eius fratribus meis.* Ponderate, vnde probet se non fuisse derelictum à Patre, nimirum ex eo, quòd fratribus suis, hominibus, bona fratris narret: non enim potuit sine Patre esse, qui totum se pro hominibus dedit, quorum salus à Patre procurata, & disposita est. Si ergo Dominus ac Redemptor noster, quidquid in illo erat, totum adscribit Patri, & nos perfectò, quidquid boni facimus viuendo; ipsi, qui nos redemit

Ioan. 16. Psal. 21. Christus nũquam fuit derelictus à Patre.

mit suo sanguine, meritò adscribere debemus, quia ipse instar venæ aureæ, trãsmittit in nos virtutem viuificam, & fœcundã virtutem meritorum suorum, vt possimus profectum in nostris actionibus habere, & in sanctitate perseuerare. Sic B. Laurentius dum in ardenti craticula vreretur, omnes illos cruciatus, quos patienter sustinebat, & vim tormentorum superabat, Christo attribuebat, cuius gratiâ & auxilio hoc ipsi euenit, quod velut aurum purissimum, in igne probatus sit, holocaustum de suo corpore offerens.

Duo folia argẽtea B. Laurentij:

Verùm, vltra hoc B. Laurentius, velut vitis fructifera, etiam folia argentea B germinauit, quæ duo potissimùm reperio, calicem amarissimæ passionis, & ignitam craticulam. Introducens Regius Vates Martyres in ipsa laniena, & carnificina constitutos, sic eos Deum alloqui

Psal. 115. fatur, Psal. 115. v. 12. *Quid* retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris *accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Quisnam sit iste calix? quod nomen Domini à potante inuocatum? Respondet

S. Hieron. S. Hieronymus his verbis: *In Hebraico ita habet: calicem IESV accipiam, quæ est iste calix IESV? martyrium. Grandis res est martyrium, quoniam retribuit Domino, quod accipit à Domino. Christus pro ipso passus est, & ille* C *pro nomine ipsius patitur. Hoc ipsum martyrium non est meæ virtutis, sed gratiæ Dei, propterea non possum eum habere, nisi nomen Domini inuocauero. IESVS vincit, in suo martyre coronatur.* Christus igitur, postquàm illi infanti nomen IESV impositum est, statim Saluatoris munus, quo fungitur, sanguinis rubricâ signauit, delibans è pectore Virginis, cum lacteis guttis, purpureum martyrij poculum, quod postea vsq; ad fundum in crucis thalamo potauit, amicisq; distribuit, vt illud bibant inuocato nomine IESV, in eo victoriam, coronam, robur, & gaudium positum esse scientes. Cuius amoris æmuli Martyres, dum sanguine D purpurascerent, in ipso extremo halitu IESVM spirabant, IESV nomine in corde delitescente, & commorante mixtum, & obuolutum spiritum efflabant.

Ecce vobis folium argenteum à fructifera vite B. Laurentio, nimirum calicem passionis, & cruenti Martyrij, cuius caro in maximis tormentis pinguedine lætitiæ delibuta, mirum in modum Deo sapiebat, cuius cor inter struem lignorum ardentium hilaritate exultans, & voluptate perfusum, placitum Deo holocaustum factum est. Vt non immeritò

Cantic. 2. illa sponsæ verba, Cantic. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* LXX. legunt: *Vulnerata charitate ego sum*, Sancto Laurentio approprientur, à quodam Neoterico, qui sic discurrit: *Vulnera charitatis esse docet Laurentius, quo nemo amplius Christum dilexit, qui diligebat etiam in ipsis sui corporis cruciatibus.* Ideoque citata Cantic. verba, Cahldæus, & Hebræus apud Genebrardum legunt: *Fulcite me ignibus plurimis.* Non expetebat Laurentius auratam spondam, nec plumeum stragulum garyophylo, lilio, rosâ, violâ pictum, in quo leniter accubaret; sed pyras, & rogos stridentinm flammarum, pro lectisternio; inter vstulata ligna, velut inter frondes virides, & flores recumbebat. Vnde Symmachus verba Cantic. vertit: *Requiescere me fecit in flore*: quia prunarum acerui exurentes crudeliter latera, iucundiores ei candentibus lilijs, & purpureis floribus videbantur. Tantus enim erat Martyrum amor, qui pro iucundissimis delicijs habebant pati, flammis exuri, aut ferreis vnguibus dilaniari, cùm his artibus corpora eorum in cibum regium transmutentur. Si enim falsa gentilium numina, belluarum immanitate vestita, incredibili atrocitate hominem ad execrabile, & inhonotum sacrificium expostulabant, quid obstat quominùs etiam Deus, ignibus vstulata Martyrum corpora, in victimas, & cibum sibi deposcat. An certé crudelitatem arbitramini: tradere hominem, quem Deus creauit, in combustionem, & cibum ignis? ac permittere pyræ corpus, quod creator plasmauit, vt in cinerem, & faulas abeat? Fallimini profectò: non est hæc crudelitas, sed pietas religionis. nam ita Deus filios suos dilectos tractare consueuit. Doctè Tertullianus lib. aduersus Gnosticos cap. 7. *Crudelem* ait *Deum, qui non intelligit, credit, sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victimâ placari apud sæculum legant: nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem, Dei sui voluntatem. Si nostet quoq; Deus propriæ hostiæ nomine martyria sibi depostulasset, quis illi exprobrasset funestam religionem, & lugubres ritus, & aram, rogum, & Pollinctorem sacerdotem, & non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset.* Quid elegantius ad rem præsentem afferri potuit: grassante gentilismo hominum sanguinem sitiebat dæmon, vt perderet; amabat homini bustum, religionis simulatione, vt tartari incendio in æternum arderet. At verò in lege gratiæ Christi, tradi martyrem diris flammis de amore,

Chaldæus.

Symmach.

Tertullian.

prouenit, vt iusti virtus splendeat; vt charitas erga Deum accipiat incrementum; vt hoc ignis, & amoris condimento, caro fiat diuinæ mensæ ferculum; quod citatus Tertullianus, vltimis illis verbis expressit: *Et non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset.* Postquàm enim flammarum ardore torrentur carnes, fiunt aptiores diuinis dapibus, quoniam hoc epulum Deus esurit. Hinc vstulatis carnibus suis, B. Laurentius ad conuiuium inuitabat tyrannum dicens: *Assum est iam, versa & manduca.* Verùm indignus erat, qui tali pasceretur alimento, siquidem Laurentij caro, cibus erat regius, folio B argenteo Christi passionis coopertus. Deificæ mensæ dicatum pulmentũ erat, quod in craticula, tanquàm in mappa, & disco aureo, cælorum Regi, eiusque conuiuio offerebatur.

Martyres sunt fercula diuinæ mensæ.

Alterum folium argenteum, in diris sui martyrij cruciatibus, quo totum eius corpus, successiuo motu, & lenta obuersione laterum operiebatur, germinauit B. Laurentius, ignitam craticulam. Ad

Cantic. 3. quod comprobandum Salomonis accubitus, mirabili opere constructus, plurimùm conducit. Cantic. 3. v. 10. Vbi dicitur: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Et cur reclinatorium aureum? Fateor quidem bonum esse aurum, sed ad magnificentiam, & ostensionem gloriæ; non verò ad accubationem, & requiem: ad hanc enim potiora videntur puluinaria, aut culcitra plumea, quæ substernantur capienti somnum. Mysterium cognoscite: aurum, cruciatus, & probationes denotat fidelium. in quibus accumbunt Martyres. sic

Philo. censet Philo Episcopus Carpatij dicens: *Aureo reclinatorio Martyres comparantur: comparantur auro propter fidei probationem, & æruminarum, tensationumq; firmissimum argumentum: tanquàm aurum inquit, in fornace probauit eos,* D *& veluti hostiam holocausti accepit eos.* Aurum inquam sunt Martyres, probatum, ignitum, fulgens tormentorum crudelium examine. Sed cur summorum dolorum cruciatibus, & pœnis, reclinatorium apposuit? quia nimirum charitatis apicem, & diuini amoris robur Salomon aspexit. Postquàm enim Dominus IESVS in crucis accubitu animam efflans, reclinauit caput; protinus supplicia, cruces, tormenta, ignes, & quidquid exquisita hominum industria cruciatuum inuenire, ac excogitare potuit, cæperunt esse aurea ponda, amicis sponsi, sanctis Martyribus,

Cruciat⁹ & tormenta sunt reclinatoria Martyrum.

in quibus deliciantur, & requiescunt, addit citatus Philo: *Dum pulchritudo cælestium gaudiorum paululum monstratur, quasi reclinatorium aureum sit electus: in quo se, vel in hac mortali luce contemplando refocillent, ac requiescant. Nihil hoc ipso reclinatorio dulcius, nihil suauius, nihil denique diuinius.*

Sed, quid mirum, si quædam abbreuiatio gloriæ, & cælum ipsum patientibus tormenta Martyribus videbantur? cælestis quondam visio, & horroris plena, superna manu obijciebatur Ezechielis animo, ad præsens institutum valdè accommoda. *Et similitudo animalium aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum: hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Hos ignes, faces, lampades æmigmatum velaminibus, & vmbris obscuros, reuelat suorum verborum luminibus Theodoretus, istos in suo commentario Theodor. expandens sapientiæ fulgores: *Terribilis* inquit *contemplatio, & horroris plena pœnas præsignificans. Etenim carbones ignu, & discurrentes lampades, & inde emissa corruscatio. & huc atq; illuc animalium cursus, & à cursu splendor emissus, futura mala declarans.* Necdum satis: adhuc post cruciamenta, & vibrantia castigationum fulgura, quæ etiam fortissimos quosq; viros consternerent, subiungit sacer textus: *Apparuit rota vna, supra terram iuxta animalia, & aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris.* Symmachus apud Symmach. Theodoretum, & Aquila apud S. Hiero- Aquila. nymum legunt: *Sicut visio hyacinthi.* Quid sibi vult hæc diuersa lectio? hyacinthũ, velut Sapphirum, cælestis, siue cærulei coloris esse, refert S. Isidorus lib. 16. Etymolog. cap. 9. his verbis: *Hyacinthus cæruleum colorem habens.* Ezechielis itaq; rotæ suaue lucentem, & serenum cæli colorem regerebant, hyacinthi specie, vt in tantis terroribus animus Prophetæ releuaretur. Quid est ergo laminis ardentibus, ignitis carbonibus, stridentibus flammis, omne genus pœnarum, cruciatuum præ se ferentibus, rotam hyacinthinam, seu cælestis coloris orbem adiungi? An quia in ærumnis constituto, propinquum est cæleste domicilium? An quia humani cherubini, qui stigmata IESV in corpore suo portant, circumdati strue ardentium lignorum, correpti vorantibus flammis, strati supra ignitos carbones, beatitate quadam, & gloria frui videbantur? Equidem ita est: tantum enim præualet Dei dilectio in dilaniato, & semiustulato martyre, vt prunarium immutet in pauimentum mar-

garitis stratum, rogum in paradiſum, & caminum in cælum.

Et quis ignitam Laurentij craticulam, argenteum folium non agnoſcet? cuius eiuſmodi igneum ſubſellium, non niſi artificioſa, & omnipotenti Dei manu affabrè ad expolienda martyrum corpora conſtrui potuerit. Vocate hic ad examen verba illa Pſal. 65. v. 10. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* Quæ verba accurratiùs expendens Aiguanus, ſupponit ex Vincentio lib. 18. ſpeculi naturalis, in fornacem, & conflatorium, aurum, atq; argentum inijci adpurgationem, ad examinationem, ad fabricam, ita ſcribens: *Aurum, vel argentum in ignem mittunt, vt fabricetur*, eſt autem Deus Pater faber: qui fabricatus eſt auroram, & ſolem: vnde de Filio dicitur: nonne hic eſt filius fabri? *Vterq; autem iſtorum aſſiduè fabricatur in auro iſto, ſciliset in nobis.* Ioan. 15. *Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor, & hoc ad fabricandum, vt formam habeant conuenientem, varijs virtutibus ornatam; & ideò aurum iſtud ſemper eſt in igne tribulationis.* En quàm præclarus Architectus, & faber, qui aureum ſedile conſtruxit, lapidibus pretioſis teſſelatum, varijs decoratum virtutibus, fulgens ſiderum nitore, in quo Deus quieſcat. In igne tribulationis Deus hanc fabricam, & ſtructuram apparauit; quia ſicut artifex intra foculum, forcipes, incudes, aurum & argentum explorat, ac in incude poſitum ictibus torquet, aptum reddit ad vas perficiendum, vt cælaturis & emblematibus incluſis, atq; inciſis illuminet; ita hominem iuſtum Deus dirigit, expolit inter ignes, ac cruciatus, vt fiat apta Dei inhabitatio, dum martyr tanquàm vas aureum ignitur, & vapor ignis vrit eius carnes: tunc enim fit magnificentior ſtructura, in qua Deus inhabitet.

Aiguanus.

Ne tamen dubitetis, Deum ſimul cum B. Laurentio in craticula ignea, velut ſub folio argenteo, à nimio æſtu protegente, ſimul recubuiſſe, documentum vobis certum ſuggero. Quando Iſaias poſt mortem Oziæ Regis, vidit cælum apertum, & ſuper ſolium ſedentem virum grandæuum, canitie venerandum, ac miro ſplendore circumdatum, Deum in illo ſolio ſedentem agnouit, & præſentiam aſtantium Angelorum. Sic enim ipſemet ſtatim ſubiungit: *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus volabant.* B. Laurentij pariter ignitum illud reclinatorium circumdediſſe, videre mihi videor, ad martyrij eius exequias conuenientes, velut ſupremum diem, & natalem celebraturos, ac funeri glorioſo iuſta perſoluturos. Audio inquam Angelos de anima Laurentij illud Cantic. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi?* Comparationem explanat Theodoretus, Emiſſenus, Nilus, & Maximus ſic loquentes: *Quæ ex habitu à perturbationibus remoto, per virtutem, & ſcientiam ad Deum ſublata conſcendit; velut ſurculus fumi, qui ab igne ſyluam depaſcente leuis in aëra tollitur.* Vbi Salomon in citatis Canticorum verbis, non comparauit amorem ſponſæ, ac illius aſcenſum ad ſublimia, cum igne foculi, ſed cum incendio ſyluam depaſcente, ex quo altiores erumpunt flammæ, & quaſi lambunt ſidera, vt eius magnitudinem, & incrementum oſtenderet. Cæterùm non ſola tunc anima, velut curru igneo, fumi, & flammæ vorticibus, ac nubibus inuoluta, curriculo procedebat ad ſidera, ſed ignei globi leuitate, ſed fumo ipſo, quem ignis impellit, ad ſuperius cæli faſtigium videbatur contendere. Nam cruciatus ipſos in igne, & fumo expreſſos, tanquàm quid iucundum; & gratum ſuperis ad ſe auocant cæli, vt non ſola anima, verùm tormentis ſuis, tanquàm Regina ſatellitibus, aut pediſſequis ſtipata, ac magno comitatu proſequente triumphorum, ad cælites aſcenderet. Vnde Symmachus verba illa: *tanquàm virgula fumi*, ita vertit; *Tanquàm incenſi euaporatio.* Siſtite iam veſtris obtutibus Beatũ Laurentium, igneo cruciatu mactatum, dum eius animus ad cæli domicilium euolaret; ſupra prunas, & craticulam proiectum, velut thus, aut paſtillum odoriferum, ex omni puluere pigmentario, & ſuaueolente confectum, aureo thuribulo impoſitum, ignem exhalantem, & odorem ſuauiſſimum eructantem, immortalitatis habitum, DEI & cælitum oblectamenta. Si ergo Angeli ſancti Martyrio B. Laurẽtij aſtabant, quis non fatebitur in illis cruciatibus, in illo vehementi igne, Deum ſimul cum B. Laurentio fuiſſe, ad oſtendendum, martyrio nihil ſibi magis placere.

Cantic. 3.

Motienti B. Laurentio Angeli aſſiſtebant.

Symmachus.

Chriſtus cum B. Laurentio in craticula ignea ſimul recubuit.

Ergone iam deſperabunt homines probi, ac Deum timentes, quòd occaſionem ad ſubeundum martyrium non habeant, quaſi diuinum amorem ſibi aliter demereri non poſſint. Abſit: nam vt rectè pronuntiat S. Auguſtinus ſerm. 32. de ſanctis: *Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Euangelium viuat, crux eſt, atq; martyrium.* Si enim hiſce temporibus cruces, gladios, ignes, ſæuos Principes, feras carnifices,

S. Auguſt.

ces, & quidquid priſcis temporibus in martyrum paſſione conſpiciebatur, omnia hæc nobis in pace degentibus adſunt, atque circumſtant, ac proinde vel egregiam Chriſti confeſſionem inuictâ conſtantiâ factam; vel turpem, & ignauam negotiationem, quæ à Chriſtiana diſciplina pedem referat, paſſim videre eſt, Perpetuò quippè luctamur cum virtutibus, vt ſibi conſtare, atq; ſubſiſtere poſſint; & cum vitijs, ne nos infeſtent, vt docet S. Auguſtinus ſerm. 250. de tempore inquiens: *Nemo dicat, quòd temporibus noſtris martyrum certamina eſſe non poſſunt: habet enim & pax noſtra martyres ſuos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iuſtitiam cuſtodire, auaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, magna pars martyrij eſt.* Vnde quod de martyribus pro Chriſti fide, ferro, vngulis, equuleis, ſcorpionibus laniatis, atq; diſciſſis, laminis, ignibus, fornace vſtulatis, crematis, atq; conſumptis, generali ratione dixit Salomon: *Tanquam aurum in fornace probauit eos.* Quia ſicut licet aurum igne excoquatur; nihil tamen eius deperit; ita Martyrum virtus atq; conſtantia, quaſi in fornacem ſupplicio rum iniecta tormentorum vi, & acerbitate, examinata, & probata ſit. Hoc ipſum de pacificis hoſtijs aduerſùs auaritiam, ambitionem, aliaſq; cupiditates decertantibus, pronuntiat Sapiens Eccles. 2. v. 5. *In humilitate patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Et Iſaias cap. 48. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Ergo voluntaria paupertas ſtat pro martyrio, Auctore Diuo Bernardo ſerm. in feſto omnium ſanctorum. *Quid mirabilius* ait, *aut quod martyrium grauius eſt; quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas, & pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus.* Imò non de ſola paupertate, ſed de omnibus virtutibus, cum quibus tam mundus, quàm noſtræ concupiſcentiæ bella gerunt. Id ipſum concludit S. Chryſoſthomus homil. 11. in epiſt. ad Hebræos. *Quid enim, ſi igne corpus non combuſſeris? ſed potes alio igne, vt potè, igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis, non viuere enim delicatè, lauteq;, & ſplendidè vitam agere; laborioſam autem, & acerbam vitam eligere, & corpus morte afficere, an non eſt oblatio holocauſti? corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipſe quoq; accipies coronam huius Martyrij. Nam quod illu operatur enſis, hoc hic faciat prompta animi alacritas. Non vrat neq; detineat amor pecuniæ, ſed vratur, & extinguatur ipſa turpis, & nefaria cupiditas igne ſpiritus, concedatur gladio ſpiritus.* Quiſquis proinde cum luxuria congreditur, carniſq; ſtimulos præſentiens, Dei timore confixus, eos inſemetipſo frangit, atq; obtundit, velut aurum in fornace examinatum, & excoctum, & quaſi cruci affixus euadit.

Vitijs generosè reſiſtere, Martyrium eſt.

Eccles. 2.

Iſaiæ 48.

S. Bernard.

S. Chryſoſt.

Gregorius Magnus.

Quod probè agnoſcens Gregorius Magnus lib. 3. dialog. cap. 26. cùm poſt egregias iuſtorum hiſtorias, qui in alma Eccleſiæ pace vitam finierant, ab eo relatas, quidam dixiſſet: *Multos horum ſuſpicor, martyrium ſubire potuiſſe, ſi eos perſecutionis tempus inueniſſet.* Ipſa hac imprudenti locutione, velut de illuſtrium virorum Iniuria, non nihil offenſus, non ſolùm eos Martyrium ſubire potuiſſe, ſed etiam reapſe ſubijſſe, dum diaboli inſidias ſuſtinentes, cunctis carnalibus deſiderijs ſtrenuè reſtiterunt; ita reſpondit: *De his autem talibus, tantiſq; viris, quorum ſuperiùs memoriam feci, dicamus, quia ſi tempus perſecutionis extitiſſet, martyres eſſe potuiſſent: quia occultè antiqui hoſtis inſidias tollerantes, ſuoſq; in hoc mundo aduerſarios diligentes, cunctis carnalibus deſiderijs reſiſtentes, per hoc, quod ſe omnipotenti Deo in corde mactauerunt, etiam pacu tempore Martyres fuerunt.* Non ſola itaq; ſanguinis effuſio, non ſola mors in tormentis ſuſcepta, non ſola tyrannorum ſæuitia, & carnificum inhumana tractatio martyres facit; verùm etiam fidelis Dei mandatorum obſeruatio, integra virtutum poſſeſſio, ac vitæ inculpatæ honeſta traductio, martyres reddunt.

Vitem igitur fructiferam, B. Laurentium vobis produxi; vuas aureas, & folia argentea eum germinaſſe oſtendi: quia in ſuo exquiſitiſſimo martyrio, calicem Chriſti paſſionis bibit, & in craticula ignea argenti inſtar igne examinatus eſt. vt totum eius corpus in odoriferum holocauſtum Deo cederet. Quocirca ſub patrocinium tanti martyris cõfugientes, eumq; debito, qui ſanctis debetur cultu honorantes, poſtulemus, vt qui per ignem vſtulatus, in regium cibum Deificæ menſæ ceſſit, à nobis ſua interceſſione, ignita diaboli tela, & ardentem peccati fomitem procul repellat.

EODEM DIE

CONCIO II.

Gloria & honore coronaſti eum. *Pſal. 8.*

Beatus

Beatus Laurentius duplici corona à Domino Deo coronatus est.

ITa præpotens Deus Sanctorum suorum est amans, vt eos non solùm in anima, sed etiam in corpore glorioſos habere velit: gloria quippè ad animam pertinet; honor verò ad corpus. Glorificat Deus animas Sanctorum, quia cum illis in patria medio dono gratiæ habitualis intimè vnitur. Hoc apertè docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 110. ar. 3. vbi docet, gratiam ſanctificantē eſſe immediatè in eſſentia animæ, tanquàm in ſubiecto, & ratione huius gratiæ eſſe Deum ſpeciali quodam modò in eſſentia animæ, non ſolùm ſecundùm participationem, quæ eſt ipſa gratia; ſed etiam ſecundùm ſuam eſſentiam; ita quod licet gratia ſit ratio vinculi, & vnionis; tamen ipſe Deus ſecundùm ſuam eſſentiam eſt intimè vnitus, & præſens eſſentiæ animæ, modo quodam ſpeciali, & diſtincto à communi, quo dicitur eſſe in omnibus rebus, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Et ratio iſtius manifeſta eſt: quia Deus in via mediante gratia habituali, vnitur animæ hominis iuſti, ergo etiam in patria mediante eadem gratiâ, vnitur animæ ſanctæ. Nam anima ſancta in patria habet gratiam habitualem ſibi inhærentem, cùm hæc gratia ſit magna perfectio animæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & non importat aliquam imperfectionem repugnantem ſtatui beatitudinis. Atq; ex hac ſpeciali & intima Dei vnione cum anima ſancta in patria, ſequitur in eius voluntate ſumma rectitudo, ita vt ſancti ſint omninò impeccabiles, habeant voluntatem immutabilem in bono, vt palàm docet Scriptura Sacra, Pſal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* hoc eſt, ſine fine. Et Iſaiæ 33. *Oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poteſt, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & funiculi eius nuſquàm diſrumpentur: quia ſolummodò ibi eſt magnificus Dominus Deus noſter.* Et 1. Petri 1. *Regenerauit nos in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam.* Tandem Apocal. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Quod ſi ipſam rationem conſuluerimus, manifeſtè hanc agnoſcemus veritatem. Nam voluntas, quæ habet ſibi immobiliter coniunctam regulam ſuæ operationis, eſt omnino impeccabilis; talis autem eſt voluntas animæ ſanctæ in cælo, quæ ratione viſionis beatificæ, habet ſibi immobiliter coniunctam ipſam bonitatem per eſſentiam, quæ eſt regula omnis moralis operationis. Et ſic voluntas animæ ſanctæ fit omninò impeccabilis, cùm iuxta S. Thomam 1. p. q. 63. ar. 1. peccare nihil aliud ſit, quàm declinare à rectitudine actus, quem debet habere, quod in anima ſancta minimè admitti poteſt. Imò addam ampliùs, ſancti in cælo non ſolùm ab intrinſeco, ex ipſa natura beatitudinis redduntur omninò impeccabiles, propterea, quòd tam ex parte intellectus; quàm ex parte voluntatis impeccabiles ſint. Ex parte inquam intellectus, quia habent lumen gloriæ, & obiectum præſentiſſimum, videntq; omnia, quæ ad ſtatum cuiuſq; pertinent, & vniuerſa, quæ in quouis negotio agenda ſint. Ex parte verò voluntatis: quia ſancti vident eſſentiam bonitatis, & omnem rationem boni, tàm vniuerſalem; quàm particularem: ergo quidquid amant, propter illud ſummum bonum amant, & ſic à rectitudine ac probitate auerti nequaquam poſſunt. Vnde ſancti in cælo etiam de abſoluta Dei potentia peccare non poſſunt. Nam poſito efficaci imperio ex parte intellectus, voluntas non poteſt non præſtare obedientiam. Sed viſio beata non ſolùm eſt ſpeculatiua, verùm etiam eſt imperium efficax, quo efficaciter imperat amorem DEI: ergo neceſſarium eſt, vt amor DEI ſequatur. Glorificat quoq; Deus & corpora ſanctorum ſuorum, quia illis à ſuis fidelibus, in mundo honorem exhiberi voluit, quem illis de facto ſancta mater Eccleſia exhibet, & exhibendum ſuadet, vt patet ex ſeptima Synodo art. 4. poſt medium. vbi Leontinus ſic loquitur: *Sanctos veneramur vt amicos Dei, & honor; qui ſanctis impenditur, in Deum recurrit, & qui Martyres colit.* Comprobat S. Athanaſius, lib. de virginit. circa finem: *Si* inquit, *homo iuſtus ædes tuas intrauerit, cum timore & tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius; non enim eum, ſed Deum adorabis, qui illum mittit.* Et S. Damaſcenus lib. 4. cap. 16. dicit: *Quid igitur afferri poteſt, quin animatis Dei templis, & viuis Dei tabernaculis honor ſit adhibendus.* Vbi oſtendit ſanctos à nobis adorari vt templa DEI viua. Et vltimatè concludit S. Ambroſius ſerm. 6. in fine: *Quiſquis* ait, *honorat Martyres, honorat & Chriſtum.* Necdum ſatis, etiam poſt illam felicisſimam reſurrectionem, corpora ſanctorum glorificabit Deus, quia illis quatuor præcipuas dotes conferet. In primis *ſubtilitatem.* vt per eam corpus ex ſe animale, & terreſtre, efficiatur, quaſi cæleſte, & ſpirituale, quod eſt ſubtile. Deinde *impaſſibilitatem*, vt per eam corpus mortale, & corruptibile, reddatur immortale, & ab omni corruptione ac paſſione prorſus alienum, quod eſt impaſſibile. Tertiò, *agilitatem*, vt per eam corpus ponderoſum, & infirmum, quodque ſuo pondere aggrauat animam, efficiatur perfectæ virtutis, ad parendum ei. Deniq; *claritatem*, vt per illam corpus ſubobſcurum, & deforme ratione opacitatis, reddatur pulchrum, perſpicuum, & refulgens. Has dotes enumerat D. Paulus 1. ad Corint. 15. dicens: *Seminatur* (id eſt, corpus per mortem) *in corruptione, ſurget in gloria*: *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*: *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Iſtis duobus modis glorificauit Deus fidelem ſeruum, & martyrem ſuum, Beatum Laurentium: quia illum & in anima coronauit gloriâ, & in corpore honore, quod in hodierna concione oſtendam.

Coronauit in primis Deus B. Laurentium in anima gloriâ æternæ beatitudinis, quia illi viſionem beatificam contulit: nam animæ ſanctorum à corporibus ſeparatæ, antequàm reſumant corpora in die iudicij, iam de facto eſſentiam diuinam vident. Quemadmodùm docet Scriptura ſacra Lucæ 23. *Hodiè mecum eris in paradiſo*, id eſt, hodiè mecum frueris beatitudine, & gloriâ, Deumque clarè videbis. Vt exponit S. Thomas 3. p. q. 52. ar. 4. ad 3. vbi dicit, quòd illud verbum Domini ſit intelligendum non de paradiſo terreſtri corporeo, ſed de paradiſo ſpirituali, in quo dicuntur eſſe, quicunque diuinâ gloriâ perfruuntur. Hinc illa vox D. Pauli ad Philipp. 1. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*: quibus verbis oſtendit, quòd diſſoluta habitatione mortali, continùo debeat eſſe beatus: nam eſſe cùm Chriſto, eſt in vita beata in perpetuum regnare, vt patet ex illo 1. ad Theſſal. 4. *Et ſic ſemper cum Domino erimus.* Et 2. ad Corint 5. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd habitationem habemus ex Deo, domum non manu factam, ſed æternam in cælo.* Vbi euidenter loquitur de gloria æterna. Tandem, 2. ad Corint. 5. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Cuius peregrinationis rationem ſtatim ſubiungit Apoſtolus, inquiens: *Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Audemus autem, & voluntatem habemus bonam, peregrinari à corpore, & præſentem eſſe ad Deum.* Sed peregrinari à corpore, eſt abſentem eſſe à corpore, in illoq; non eſſe; non peregrinari verò à Deo, ſed ad illum præſentem eſſe, eſt non per fidem ambulare, ſed per ſpeciem diuinam naturam, & pulchritudinem, facieq; ad faciem Deum videre. Ergo animæ ſanctorum ſeparatæ à corporibus, ambulant, per ſpeciem Dei eſſentiam videntes, ſuntq; verè beatæ. Hoc ipſum docet Concilium Trident. Seſſ. vltima, vbi Eugenius Papa ita loquitur: *Definimus illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & vnum, ſicuti eſt.* Nec non ratio id ipſum ſuadet: quia intellectus ad ſuam operationem non indiget corpore, niſi propter phantaſmata, in quibus veritatem intelligibilem contuetur. Ergò cùm perfecta hominis beatitudo, conſiſtat in viſione diuinæ eſſentiæ, quæ per phantaſmata videri non poteſt, poteſt eam anima ſeparata videre, & beata eſſe.

Neq; valet, quòd Scriptura ſacra indicare videatur, præmium beatitudinis, & viſionem Dei, reſeruari vſq; in diem iudicij, vt habetur Matthæi 20. *Cùm ſerò* (id eſt in fine mundi) *factum eſſet, dicit Dominus vineæ, procuratori ſuo, voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſq; ad primos.* Et cap. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.* Similiter S. Paulus 2. ad Thimot. dicit: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Hoc eſt, in die extremi iudicij. Nam primus locus S. Matthæi, non ſolùm de fine mundi, & iudicio vniuerſali; ſed etiam de fide cuiuſlibet hominis, & iudicio particulari, explicatur à Gloſſa interlineari. Secundus itidem locus cap. 35. Explicatur de reddenda mercede. Tandem, locus S. Pauli de reddenda corona, ſeu præmio in die iudicij, intelligi debet, tunc nouo modo, nimirum nouâ, & publicâ ſententiâ, non ſolum animæ, ſed etiam toti homini, præmium reddendum eſſe. Quoties autem S. Patres, tàm Græci, quàm Latini contrarium loquuntur, intelligendi ſunt loqui de perfecta, & conſummata illa felicitate, quam poſt corporis reſurrectionem expectamus, quæ non erit in ſanctis vſq; ad diem iudicij: tunc enim dabitur illis duplicata ſtola, tunc totus homo glorificabitur, & omne deſiderium, tam corporis, quàm animæ adimplebitur.

Gratia habitualis immediatè recipitur in eſſentia animæ.

Peccare quid ſit.

Sancti in cœlo ſunt ab intrinſeco impeccabiles.

Pſal. 83.

Iſaiæ 33.

Apocal. 3.

Leontinus

S. Athan.

S. Damaſc.

S. Ambroſ.

Quatuor dotes gloriſorum corporum.

1. ad Corint. 15.

Concilium Trident.

Ad Philip. 1.

Ad Theſſal. 4.

2. ad Corint. 5.

Matth. 20. & 25.

2. ad Timoth.

Isaiæ 32. tur. Iuxta illud Isaiæ 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

Quærunt hîc aliqui, in quonam etiam consistat beatitudo formalis, quæ nihil est aliud, nisi ipsa possessio, seu consecutio beatitudinis obiectiuæ. Et respondent Theologi, eam consistere essentialiter in visione diuinæ essentiæ, tàm secundùm rationem absolutam; quàm secundùm relatiuam, nimirum vt est inpersonis. Quoniam ad essentiam beatitudinis spectat, videre Deum, sicut est in se, vt constat ex illo primæ Ioan. 3. *Similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*; iam verò si essentia diuina videretur, non visis attributis, & omnibus personis, non videretur Deus, sicuti in se est: quia Deus in se formalissimè, est totum hoc, nimirùm essentia, attributa, & personæ. Stat firmiter pro hac veritate S. Gregorius Nazianzenus Orat. 15. quæ est in plagam grandinis, num. 30. vbi sic loquitur: *Sanctæ regiæq; Trinitatis contemplatio, in qua ego vel sola, regnum cælorum magna ex parte positum esse censeo.* Vbi apertè beatitudinẽ formalem constituit in visione diuinæ essentiæ, tàm secundùm rationem absolutam; quàm secundùm relatiuam. Suadet eandem veritatem & ipsa ratio: quia visio constitutiua essentiæ beatitudinis, debet esse visio summi boni, iuxta illud Exodi 33. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Verùm si beatitudo formalis consisteret in visione diuinæ essentiæ, secundùm se præcisè consideratæ, non videretur Deus vt summum, & omne bonum: quia non videretur infinita perfectio, quæ conuenit illi ratione attributorum, aut ratione consistendi in tribus personis, non videatur, visâ, quæcunque alia videatur, non videtur vt summa; quemadmodùm neque esset summa, si de facto ea, quæ non videtur, sibi deesset.

Beatitudo formalis in quo consistit.

S. Gregor. Nazianz.

Exodi 33.

Essentia diuina sine attributis videri nõ potest.

Vnde neq; diuina essentia sine attributis, neque essentia aut attributa sine personis, neq; vna persona sine alia potest videri: proinde omnia, quæ sunt in Deo formaliter, & necessariò, indispensabiliter à quolibet beato debent simul videri, Hoc apertè docet Scriptura sacra, Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quæ verba S. Hilarius 7. de Trinit. Cyrillus lib. 9. in Ioan. Nazian. orat. 49. explicant de visione clara, & intuitiua, docentq; his verbis, à Christo significari, necessarium esse, vt qui videt ipsum, videat & Patrem. Cùm ergo iuxta citatos Patres, eadem sit ratio de essentia diuina, collatâ cum relationibus, & è contra; aut de quauis relatione comparata ad reliquas, consequens est, vt iuxta hæc Christi Domini verba, oporteat visâ essentiâ, videri relationes, ac è contra; & similiter visâ vnâ personâ, videri alias. Et ratio manifesta est: quia implicat essentiam diuinam videri quidditatiuè, quin videantur eius prædicata quidditatiua: ergo quoq; implicat videri eandem sine personis, & consequenter simpliciter implicabit, videri vnam personam sine alia. Nam licet personæ non sint de conceptu quidditatiuo essentiæ, sed solùm modò, aut quasi modi intrinseci illius; hoc tamen, quòd est essentiam esse communicabilem, per modum actus purissimi, personis Trinitatis, est de conceptu quidditatiuo illius: non potest autem videri quidditatiuè, prout est dicto modo communicabilis prædictis personis, quin tales personæ videantur. Cùm igitur repugnet videri quidditatiuè aliquam personam diuinã, non visâ quidditatiuè natura diuinâ ipsius, ideò sicut repugnat videri quidditatiuè essentiam, & naturam diuinam, non visis tribus personis Trinitatis; ita pariter repugnat videri vnam personam sine alia.

Indiui nis vna persona sine alia videri nõ potest.

Ratio Scoti in contrarium.

Et licet Scotus in 1. sentent. dist. 1. q. 2. & 3. oppositum teneat nixus hac ratione. Pater æternus priùs origine quàm generetur Filius, & Spiritus Sanctus producatur, est perfectè beatus: quia est completè & perfectè Deus. Sed non per visionem personarum, cùm in illo priori adhuc non sint personæ Filij, & Spiritus Sancti: ergo per visionem solius diuinæ essentiæ secundùm rationem absolutam, & sic beatitudo formalis consistit in visione diuinæ essentiæ secundùm rationem absolutam tantùm; non verò etiam secundùm rationem relatiuam. Quod sic confirmat Scotus. Beatitudo in Deo præintelligitur relationibus, & personis: ergo non consistit in visione earum. Consequentia videtur tenere: quia beatitudo nequit intelligi sine eo, in cuius visione consistit. Antecedens etiam facilè probatur, quia vt frequenter docet S. Thomas, essentialia præintelliguntur notionalibus sed beatitudo Dei, cùm sit quid absolutum, pertinet ad essentialia; relationes verò & personæ, ad notionalia: ergo beatitudo in Deo præintelligitur relationibus, & personis. Hoc tamen non obstat: nam ad hoc argumentum respondent aliqui, maiorem

iorem solùm in hoc sensu veram esse, vt sunt in se, & in ipsa essentia formaliter, neq; aliter appetitus eius satiari, & quiescere posset. Gloriantur itaq; animæ beatæ in cælo de hac corona gloriæ, quòd manifestam sanctissimæ Trinitatis cognitionem habeant, illud Ioan. 16. occinentes: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum.* Gloriatur & anima Beati Laurentij de claritatis visione: quia dum esset in carcere tenebroso, hoc est, in corpore mortali (quod sancti carcerem reputant, ideoq; vigilijs, & abstinentijs ipsum domant, ac macerant, vt citiùs exeat incarceratus spiritus, sentientes, quòd exitium, eius erit ad liberationem, & gloriam iuxta illud Sapientis Ecclesiastici 4. *De carcere, catenisq; interdum quis egreditur ad regnum*, nesciebat quomodò Deus sit trinus, & vnus, Deus & homo; nunc verò post exitum ex isto carcere, hæc omnia manifestè videt, attestante D. Paulo 1. ad Corint. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Proinde delectatur de hac corona gloriæ feliciter obtenta.

Ioan. 16.

Eccles. 4.

1. ad Corint. 13.

Quærunt enim non immeritò Theologi, an etiam delectatio requiratur ad beatitudinem, & concorditer omnes asseuerant requiri, tanquàm aliquid concomitans eam; quemadmodùm calor necessario requiritur ad ignem, tanquàm quid concomitans ipsius naturam. Quod deducunt primò ex Scriptura sacra, Ioan. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et Matthæi 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Et Psal. 15. *Delectationes in dextera tua vsq; in finem*, id est, vt exponit D. Augustinus, *Gloriæ conspectus tui.* Et 1. Petri 4. *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Deducunt præterea ratione fundamentali: quia visio Dei, in qua consistit essentia beatitudinis formalis, siue consideretur vt visio, siue vt beatitudo, ex natura sua est causa gaudij in vidente. Quod de visione, vt visio est, manifestum habetur: quia delectatio sequitur ex operatione, idq; tantò efficaciùs, & perfectiùs, quantò operatio est perfectior. Sed visio vt visio, est perfectissima operatio, & contemplatio perfectissima: ergo ex visione præcisè sumpta, vt visio est, sequitur maxima delectatio. De visione etiam vt est beatitudo, res clara: quoniam ex consecutione boni amati, aut conuenientis, sequitur quies appetitus, quæ est delectatio, sed visio vt est beatitudo, est consecutio

Ad beatitudinẽ requiritur delectatio.

Soluitur ratio Scoti in contrarium allata.

Cõtinentia virtualis attributorum in essentia diuina non sufficit ad beatitudinem.

secutio summi boni: ergo ex visione, vt est beatitudo, sequitur maxima delectatio, quæ nunquàm auferetur à beatis, teste S. Ioanne cap. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Ioan. 16.

Beatitudo perfectâ semel habita est inamissibilis.

Hinc grauis est cócertatio inter Theologos, an beatitudo, perfecta semel habita, possit amitti, necne? Scotus in 4. senten. dist. 49. §. *Hic sunt duo*, & §. *Dico ergo.* existimat, beatitudinem sola DEI voluntate; non autem ab intrinseco perpetuam esse. Nihilominùs certum est, beatitudinem perfectam, quæ post mortem electos Dei manet, semel habitam esse inamissibilem. Veritas hæc non operosè deducitur ex Scriptura sacra, quæ beatitudinem futuræ vitæ in omnibus beatis, perpetuam esse proclamat, vt Sapientiæ 5. *Iusti autem in perpetuum viuent. & apud Dominum est merces eorum.* Et Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Et Apocal. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius*: ergo beatitudo formalis semel habita, non potest amitti. Eadem veritas definita est in Concilijs, in primis in Sexta Synodo generali. Actione 11. in epistola Sophronij approbata, Actione 13 vbi dicitur: *Vitam illam, quæ post præsentem vitam futura est, credimus in æternum permansuram.* Item in Concilio Lateran: Sub Innocentio tertio, cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & Fide Catholica. sic definitum habetur: *Omnes cum suis proprijs resurgent corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundùm opera sua, siue bona fuerint, siue mala: illi cum diabolo pœnam æternam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.* Quibus verbis palam ostendunt Concilia, beatitudinem formalem semel habitam esse inamissibilem. Quod ex ipsa ratione beatitudinis speciali ad oculum patet. Quia impossibile est, quòd aliquis videns diuinam essentiam, velit eam non videre, cùm omne bonum habitum, quo aliquis carere vult, aut est insufficiens, & ideò loco eius quæritur aliud sufficientius. Aut certè habet aliquod incommodum annexum, propter quod in fastidium venit. Sed de visione beatifica nihil horum dici potest: non enim est bonum insufficiens: nam replet animam omnibus bonis, cùm eam coniungat fonti totius bonitatis, vt habetur Sapien. 7. *Venerunt mihi pariter omnia bona cum illa.* Et Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Non etiam habet aliquod incommodum annexum, cùm nihil requiratur ad eam, quod vel beatum priuet aliquo bono, vel afferat ei aliquod damnum, vt docet Salomon Sapient 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus eius.* Ergo beatus propria voluntate non potest amittere hanc beatitudinem. Similiter non potest eam amittere Deo subtrahente: quia cùm subtractio beatitudinis sit quædam pœna, non infligitur à iusto iudice, vti est Deus, nisi ob culpam, quam beatus committere nequit, cùm ad visionem diuinæ essentiæ, necessariò sequatur rectitudo voluntatis. Non deniq; potest hanc beatitudinem amittere, virtute alterius agentis creati, aut creabilis: quia mens Deo coniuncta per visionem beatificam, supra omnia agentia creata eleuatur, proinde ab huiusmodi coniunctione, non potest excludi actione alicuius agentis creati.

Sapien. 5.

Matth. 25.

Apocal. 3.

Sexta Synodus.

Concilium Lateran.

Sapien. 7. Psal. 16.

Et ideò beatus non potest cessare ab actu visionis beatificæ propter defectum potentiæ videndi: quoniam potentia videndi in hoc casu. est intellectus illustratus lumine gloriæ; iam verò neq; intellectus neq; lumen gloriæ, potest naturâ suâ deficere, cùm vtrumq; naturâ suâ incorruptibile sit, neq; aliter possit corrumpi; quàm Angelus, aut anima rationalis, hoc est, per solam subtractionem diuini influxus, quo conseruatur. Ex quo facilè innotescit, beatitudinem non sola Dei voluntate, sed etiam ab intrinseco & per se perpetuam esse. Nam beatitudo non solùm ideò erit perpetua, quòd illam Deus liberè velit conseruare in perpetuum; sed etiam quia non habet, vnde possit amitti, & deficere. Et hanc perpetuitatem visionis beatificæ cognoscunt beati, siquidem ista cognitio pertinet, ad perfectionem status beatifici, vt eâ possit beatus gaudere, & de sua perpetua, ac summa felicitate securus esse. Hoc expressè docet S. Augustinus Enchiridij cap. 29. ita loquens: *Placuit vniuersitatis creatori, vt multitudo Angelorum, quæ cum Deo præextiterat, de sua certissimè cognita semper felicitate futura gauderet.* Et lib. 11. de Ciuitate, cap. 32. *Angelos* inquit *sanctos in sublimibus cæli sedibus de sua superna, & vera felicitate securos, & certos esse nemo ambigat.* Idem docet S. Cyprianus de mortalitate aiens: *Magnus* ille nos charorum numerus spectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita.

Sapien. 8.

Beatus non potest cessare ab actu visionis beatificæ.

S. Augustin.

Coronauit prætetea Deus B. Laurentium coronâ honoris, quia reliquias corporis eius mundo ad venerationem proposuit,

Reliquiæ sanctorum seruandæ, & honorandæ sunt.

posuit, & idem martyrij eius glorioſè susceptì à populo celebrari voluit. Quippè reliquiæ sanctorum meritò à fidelibus & conseruantur, & cum magna reuerentia ac veneratione tractantur. Si enim in veteri testamento Gen. 49. & 50. & Exodi 15. legimus, ossa Iacob, & Ioseph, magno honore esse conseruata, & sepulturæ tradita. Et Deutor. vltimo, creduntur Angeli Domini sepeliuisse corpus Moysis, in loco hominibus vsq; in hodiernum diem ignoto, vt fatetur sacra pagina loquens: *Et non cognouit homo sepulchrum eius, vsquè in præsentem diem.* Si Stephanum lapidatum curauerunt viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Cur in Ecclesia Christi reliquias Sanctorum non licebit, populo fideli venerari? cùm hoc vniuersalis Ecclesiæ traditio, & consensus suadeat, quod sic deduco. In primis de vsu Ecclesiæ Romanæ antiquissimo, constat ex Cornelio Papa epistola 1. vbi tractat de translatione corporum Beati Petri & Pauli, suo tempore facta à catacumbis ad ea loca, in quibus martyria sunt passi. Hinc S. Hieronymus contra Vigilantium refert, summos Pontifices solitos esse supra reliquias Sanctorum Apostolorum Deo sacrificium offerre, & coram eis semper luminaria fuisse accensa. Comprobat S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 24. Chrysosth. homil. 32. ad Rom. circa finem, qui ciuitatem Romanam inde maximè extollunt, quòd in ea reliquiæ Apostolorum conditæ sint, eamque corpore S. Pauli circumuolui exoptat. Sic in Ecclesia Constantinopolitana, reliquiæ Sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei summo honore coluntur, teste sancto Hieronymo contra Vigilantium. In Ecclesia Antiochena corpus S. Ignatij in magna veneratione habetur. In Ecclesia Alexandrina caput Ioannis Baptistæ cum summo honore seruari refert Ruffinus lib. 2. cap. 28. In Ecclesia Hierosolymitana sedem, seu Cathedram S. Iacobi, singulari Dei prouidentiâ conditas esse, & non solùm ab incolis, sed etiam ab vniuersis fidelibus, religionis causâ eò venientibus adorari ex antiquissima traditione constat.

supra pedes suos. Similiter sudaria, vel semicinctia Pauli ad infirmos deferebantur, tanquàm certissima contra vim morbi remedia, Actor. 19. *Et recedebant ab eu languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Quin etiam vmbra Petri liberabat homines ab infirmitatibus suis. Hinc Ecclesia sancta honorat sanctos templis DEO dicatis licet enim hæc primariò ad Deum referantur, cui in illis sacrificium offertur, propter quod, templa, vel altaria dicuntur; secundariò tamen in memoriam aliquorum Sanctorum, vel ad eorum reliquias honorificè seruandas instituta sunt. Quam ob causam vocari solent basilicæ, seu memoria Martyrum S. verò Chrysosthomus homil. 28. ad populum, *Domos regias, oratoria, ædes, & martyrum monumenta appellat.* Vnde S. Damascenus lib. 4. cap. 16. *An non* inquit, *honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur? Honorandi quidem, & ita certè, vt in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorumquè memorias colamus, atq; in eis spiritualiter oblectemur.* Honorat insuper Ecclesia sancta ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus, & alijs id genus actionibus sanctos Dei, vt fusè docet S. Hieronymus opusc. contra Vigilantium, Leo Papa in suis concionibus, de ferijs quatuor temporum. Alanus dialog. 3. à principio, & cap. 21.

Basilicæ vocatæ.

Damasc.

Corpora SS. Andreæ Lucæ & Timothei Cõstãtinopol. coluntur.

Deus miraculis comprobat veneratione sanctorum.

Quis hoc non videt in Beato Laurentio, qui pro iucundissimis delicijs habuit, pati, flammis exuri, an non vbiq; terrarum, atq; gentium singularis honor, & adoratio à populo fideli eidem defertur. Inter glisscentes camini Babylonici flammas, & incendia terribiliter ardentia proiecti tres pueri, neq; ardoris cruciabantur angore, neq; inter combustas malleoli machinas in horrescebant; sed suauissima cælestis spiritus recreabantur spiratione, humidiq; roris irrorabantur aurâ, Angeli ministerio: Daniel. 3. *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis.* Iam enim Angelica diligentia, diuina protectio, tormenta in oblectamenta mutauerat, flammei montes in altum elati, purpurea erant velamenta, quæ innocentes pueros obumbrarent; camini æstuantis pauimentum, stratum pretiosis lapidibus, velut paradisus arboribus consitus, aut pratum pulcherrimis floribus distinctum, quos pedibus premerent pueris, videbatur. Floridè id Theodoreto in cap. 3. Danielis exponente: *Tanta autem intus pietatis præcones ferenitate, Deum colentes ferebantur, vt per ignitos carbones, quasi per quasdam ro-*

Daniel. 3.

Theodor.

sas incederent. Magnum sanè pietatis, & fidei miraculum inter clibani fumum emicuit, dum pueri incederent per ignes, tanquàm flores, dumq; calcarent pedibus ignitas prunas, videbantur terere margaritas, aut molles rosas, quibus ornarent pedes, caput coronarent.

S Laurentius cõfertur cum tribus pueris Chaldæis & illis præfertur.

Verùm conferte nunc si placet, B. Laurentium cum illis tribus pueris, & facilè deprehendetis, quia in eius Martyrio ampliùs diuina virtus emicuit. Pueros Chaldæos contemnere cruciatus in florida iuuenta, magnum erat; æstuantis fornacis prunas conculcare, diuinæ virtutis opus erat; sed maius quid, & augustius post Christi aduentum martyri Laurentio reseruatum est, vt placidè recumberet supra prunas, magna æquanimitate huc, illuc totum versaret, & volutaret corpus, tanquàm in molli strato, aut floribus requiescens, adeò, vt stuporem orbi, & prodigiosum Angelis spectaculum inijceret. Audite D. Ambrosium serm. 17. sic fantem: *Legimus Ananiam, Azariam, & Misaël beatissimos pueros, à Rege in camino ignis inclusos, in pœnarum suarum deambulasse flammis, & ignitos globos pedibus conculsasse. Vnde & B. Laurentius non minori gloria est præferendus; siquidem illi in pœnarum suarum flammis ambulant, hic in ipso upplicij sui igne discumbit, illi vestigijs pedum conculcant incendia, hic laterum suorum deuotione restinguit; illi inquam stantes in pœnis, eleuatis manibus orabant Dominum; hic autem prostratus in sua pœna toto corpore Deum deprecatur.* Ergo Beato Laurentio, maioris patientiæ, & cruciatûs prærogatiua defertur, & magnificentior triumphus apparatur: siquidem Chaldæorum pueri in fornace, velut in ambulacro gradiebantur, leuiq; contingebant tormenta vestigio. At verò Beatus Laurentius, vt lauro Martyris eximij decoraretur, in craticula velut defixus perstabat, constrictus charitatis vinculis, & horrendis incendij flammis cõburendos, deuorãdosq; prætendebat lacertos artus, oblectationẽ, & requiem inueniens in supplicio. In ipsis ignibus vstulatum corpus, tanquàm in lectulo strato conchyliato peristromate leuiter reclinabat, & versabat, vt totum à pedibus ad caput ignitæ linguæ lingerent, & depascerent, vt sic totum ornaretur aureolis, & palmis, dum cremata pellis scinderetur, hiarentq; vulnera, turgentium bullarum vstionibus patula, pietatis spiramina, plurimis oribus, & linguis diuinum Numen exorarent.

S. Ambros.

Admiramini forsan, vnde tanta Beato Laurentio magnanimitas, & patientia incruciatibus? equidem nõ aliunde, nisi ex summo amore, quo in Deum flagrabat. Duo tunc ignes prouocabantur ad pugnam, terrenus nimirum, & fidei ardor, atq; diuinæ charitatis flamma, sed inuictus ignis amoris in Laurentio retulit palmam, dum lignorum rogo caro, & dilectionis incendio concremaretur. Ita insuperabile robur est, quod Deus dilectioni indidit, vt ei omnia cedant. Vnde dicit Theodoretus: *Ita fortis est charitas, quia primùm volucris est, deinde circum alas suas habet flammam ignis, & scintillas eiaculatur. Quid autem cùm tam ignea, flammeaq; sit, eã possit esse vehementiùs? præsertim cùm ignis eius sit ex eo genere ignium, qui non extinguuntur.* Quod prophetico spiritu prædixit Isaias, cap. 47. loquens: *Non sunt prunæ, quibus calefiant, nec focus, vt sedeant ad eum.* LXX. legunt: *Habes carbones ignis, sedebisq; supra eos, hi erunt tibi in adiutorium.* Quid ampliùs ad gloriam D. Laurentij accommodari potest, qui non solùm sedit supra carbones, sed recubuit placidè. In supplicio enim & incendio inuenit quietem ac oblectamentum: ipsæq; prunæ fuerunt ei in adiutorium: quia transiens per ignem, deductus est in refrigerium, vt ignis diuinæ Charitatis inextinguibilis, victoriam consummatam de igne terreno reportaret.

In B. Laurentio diuinus amor vicit ignis ardorem.

Theodor.

Isaiæ 47.

Quando Dominus IESVS, tormentorum acerbitates in cruce sustinens, exclamauit voce magna, *Sitio*, vnus militum myrrhatum vinum, siue acetosum ei obtulit; at ille poculum aceti insipidum constanter respuit, Matth. 27. *Cùm ergo accepisset IESVS acetum, & gustasset, noluit bibere.* Gustauit, sed non bibit acetum, vt obseruat Hugo Cardinalis in citatum Scripturæ locum. Cuius facti rationem reddit Hugo, ne scilicet ignem charitatis, (quo in genus humanum ardebat, salutem nostram optando) extingueret. *Cùm* ait, *& quidam ignis materialis sit, qui græcus nominatur, qui non potest aquis naturalibus extingui, sed aceto extinguitur. Sic & charitatem propria cordis malitia potest extinguere, quæ acetum est, quod noluit Dominus in cruce bibere.* Erat in Domino IESV diuinus amoris ignis, fluentis, & vndis passionum plùs fulgens, & ardens, ideò noluit acetum potare, ne aliqua species culpæ hanc flammam extinguere videretur. Quid melius? materialis ignis respersus, aquarum fluentis maiori flammâ inardescit, & solo aceto extinguitur, ita quoq; ignis amoris Dei, contra omnes ærumnas inuictum exerit robur, & solo peccati aceto, ac felleâ vnâ

Matth 27

Hugo.

vnâ réstinguitur. ideò B. Laurentius maluit ignes, & accumulata tormenta sustinere patienter, quàm vel minimum de aceto malitiæ gustare, vt sic ignis diuinæ charitatis inextinguibilis semper in illo permaneret.

Produxi igitur vobis glorioſum Christi Martyrem B. Laurentium, duplici corona à Domino Deo coronatum, nimirum gloriâ æternâ beatitudinis in anima, quæ in æternum non auferetur ab eo, cùm visio beatifica semel obtenta sit inamissibilis: & honore in corpore, quia & reliquias eius mundo, omni veneratione colendas reliquit, & festi huius celebrationem solemnem à populo fideli quotannis fieri voluit. Quocirca veneremur tantum Martyrem igneo cruciatu mactatum, & de corpore eius vstulato, velut thus odoriferum ex omni puluere pigmentariò, ac suaueolente confectum, Domino DEO in hodierna celebritate offeramus, humiliter postulantes, vt hoc suauissimo odore placatus Deus, à nobis ignem, & omne malum auertat.

DIE SANCTI HYACINTHI.

CONCIO.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. *Lucæ 12.*

Sanctus Hyacinthus fascia D. Dominici præcingi studuit, vt bonis operibus omnibus ad virtutem præluceret.

Præposterè mihi S. Euangelista loqui videtur, cùm priùs lumbos præcingere; quàm lucernas accẽdere præscribat, vtiq; priùs lucerna accendenda est, vt faciliùs postea ad eius lucem lumbi præcingantur: alioqui in tenebris, & temerè præcingendi essent. Ne miremini: à lumbis enim rectè præcinctis, lucernæ lux aduenit. Auctore Theophylacto, in citatum scripturæ locum: *Notandum* ait, *quòd primò iubemur lumbos præcingere, secundò lucernas ardere. Nam primò quidem est operatio; deinde speculatio.* Ad quod pulchrè alludit Origenes, homil. 11. in Genesim ita scribens: *Maior enim ad sapientiam sensibus nostris capacitas inest, cùm mortificatio Christi circumfertur in corpore nostro mortali.* Quid elegantius dici potuit? Nam vt ore Salomnis loquar, Sapien. 9. v. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Et in hoc sensu Seneca, Marciam in consolatione cap. 24. ita allocutus est. *Hæc quæ vides ossa, circumuoluta nerui, & obducta cutem, vultumq;, & ministras manus, & cætera quibus inuoluti sumus, vincula animorum, tenebræq; sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur à veris, & suis in falsa coniectus.* Ergo quantum corpori detraxeris, quantum te è carnis societate expedieris; tantò capaciorem sapientiæ locum fece-

Plato.

Theophyl.

Origenes.

Sapien. 9.

Seneca.

Tertullian.

S. Nihil.

tione colendas reliquit, & festi huius celebrationem solemnem à populo fideli quotannis fieri voluit. Quocirca veneremur tantum Martyrem igneo cruciatu mactatum, & de corpore eius vstulato, velut thus odoriferum ex omni puluere pigmentariò, ac suaueolente confectum, Domino DEO in hodierna celebritate offeramus, humiliter postulantes, vt hoc suauissimo odore placatus Deus, à nobis ignem, & omne malum auertat.

Plato.

Tertullian.

S. Nihil.

dini, vtilitatem affert, & ornamentum: quæ autem vndiq; circumfluit, & pedibus implicatur, & humi trahitur, præterquàm quòd turpe est, agenti est impedimento; sic possessio corporis necessitate maior, & ad virtutem tendentes impedit, & valdè vituperatur ab ijs, qui naturam hominis rectè metiuntur. Accipite huius veritatis firmum argumentum. Dilecta Deo fuit quondam Israëlitica plebs, egregijs ipsi moribus nimiùm placens; quàm ob causam insignibus ab eo beneficijs cohonestata erat, teste sacra pagina Deut. 32. v. 13. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo, butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan.* Chaldæus Paraphrastes exponit: *Collocauit eos, supra fortitudinem terræ, sibauit eos prædâ inimicorum suorum, & dedit eis prædam potentium vrbium, & substantias habitantium in ciuitatibus fortissimis, dedit eis prædam Regum ipsarum, & dominatorum earum, cum diuitijs Principum eorum, & possessionu eorum, cum præda exercitus eorum, & castrorum eorum.* Verum hac temporalium bonorum copia, dilectus Deoq; gratus populus, ab excelso sanctitatis culmine, in tale ingratitudinis barathrum corruit, vt aduersus Deum insurrexerit, armaq; contra eum sumpserit, fante Propheta loco citato: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Chaldæus adhuc clariùs elucidat. *Et dilues* inquit *factus est Israël, & recalcitrauit, prosperatusq; & confortatus possedit substantiam, reliquit cultum Dei.* Vnde facilè constat, diuitijs & opulentiæ, ita affinia esse peccata, vt quasi naturali consecutione, incrassatus, siue diues recalcitrasse dicatur; non aliter, quàm equus nimis benè & abundè pastus, nec labori assuetus, ferus euadit, & recalcitrare assuescit. *Mentior* (dicebat Tertullianus lib. de ieiunijs) *Si non Dominus obliuionem sui exprobrans Israëli, causam plenitudini deputat; incrassatus est dilectus, & pinguefactus.* Ea igitur diuitiarum, & rerum sæculi conditio est, quòd mentem obscurent, & animo nebulas; siue tenebras offundant. Vnde idem Tertullianus ponderans illa verba Isaiæ 6. v. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude*; ita discurrit; *Per illas* (id est diuitias) *incrassatum erat cor populi, ne oculis videret, & auribus audiret, & corde conijceret.* Ab hac autem animi, & mentis obscuratione, quæ mala, quæ noxiæ affectiones non proueniant? respondet Regius Vates, Psal. 72. v. 7. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Nam rerum temporalium copiâ, mens & ratio ita obscuratur, vt Dei timore posthabito, in turpissimas cordis affectiones, facilè prorumpant homines. Hinc Salomon de rerum temporalium splendore, atq; pompa dicit Sapien. 4. *Fascinatio nugacitatu obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia*: appositè nugacibus & falsis hisce bonis tribuens oculos fascinautes, qui verum animi sensum ludificent, incantent, atq; euertant *ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Isaiæ 5. v. 20. vt pulchritudine virtutis, cælestiumq; rerum obscurata in picturas, siue imagines, aut phantasias cordis, noxias videlicet affectiones, aut peccata, homines antea probi, & sine malitia, temerarij ruant. Quod probè agnoscens S. Hyacinthus, ne istis somniorum phantasijs fascinaretur, veraq; bona cum falsis, & exitialibus commutaret, religiosa D. Dominici fascia lumbos suos præcinxit, lucernas ardentes in manibus suis portans, per quas quid intelligi debeat, edisseram.

Per lucernas in manibus sancti Doctores, & omnes Expositores, intelligunt bona opera. Hinc de suorum discipulorum doctrina, atq; prædicatione, locutus Dominus dicebat: *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Cur quæso in manibus, & non potiùs in candelabro? cùm in eodem capite paulò inferiùs dicat Dominus: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neq; sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Si ergo lucerna ponenda in candelabro præscribitur, cur hic non supra candelabrum, sed manibus tenenda dicitur? Quia nimirum lucerna doctrinam, & prædicationem Euangelicam significat, ideòq; meritò illi manus adiunguntur: nam opera manuum sunt, quæ verborum lucem & splendorem nutriunt. Ait in citatũ locum Titus Bostrenus: *Sit itaq; doctrina nostra lucerna animata, quam actio deinde studiosa irriget, & nutriat, ne quando obscura, & tenebrosa euadat.* Ecce quomodò verba sine operibus mortua sunt, & tenebris offusa, quibus si opera addas, vitam, splendorem, & commendationem affundes. Hinc Genes. 1. dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant supra faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitq; Deus: Fiat lux, & facta est lux.* Videte, sicut in principio omnia erant tenebrosa, & obscura, vsq; dum cæpit Dominus loqui, & facere lucem;

Deuteron. 32.

Chaldæus.

Tertullian.

Isaiæ 6.

Isaiæ 5.

Sapien. 4.

Lucerna doctrina & prædicationem Euangelicam significat.

Isaiæ 5.

Genes. 1.

lucem; non cæpit solùm dicere, aut solùm facere, sed simul & dicere, & facere. Vultis scire, cur simul dixit, & fecit? Profectò quia inde operi suo respondenti verbis, & splendorem, & commendationem addidit. Hæc est mens S. Basilij Seleucien. orat. 1. *Meritò* ait, *nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, sensu & admiratione Angelorum turbas moueat, quò imperium effectione rei comitatum conspicati, eoquè perculsi spectaculo, ad cognitionem, & hymnum creatoris conuertantur.* Nihil proinde magis commendat verbum de ore creaturæ procedens, quàm opus bonum eidem connexum, quod velut lucerna illuminans ei splendorem addit; imò vt verum fatear, verùm Dei Filium demonstrat, tantùm siquidem homo apud Deum valet, quantum eius opera.

S. Basilius.

Hoc inprimis in illis duobus fratribus, Caino, & Abele, quis non agnoscit? quorum vnus æstimatus est, vt Dei Filius, vt Dei agnus, alter verò reprobatus, vt palea ad ignem destinatus æternum. Cur hoc? vtiq; etiam Cain obtulit, etiam sacrificauit, etiam in cultura laborauit. Rationem videtur innuere sacra pagina, Gen. 4. v 5. *Quia Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & adipibus eorum.* At verò Cain de fructibus terræ, qui iuxta communem Sanctorum atrum expositionem, potiùs stipula erant, quàm fruges. Quid ergo? licet ambo Dei famuli, ac veri DEI cultores; nihilominùs Cain, quia peruersè egit, quia non opera exhibuit plena, veri Dei cultoris digna, reiectus, & reprobatus est. Abel verò, quia pingue obtulit sacrificium, ac plenum, velut agnus electus est, & in gratiam assumptus. Ingeniosè id ponderat Chrysologus serm. 109. ita loquens: *Abel agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur, Cain gestans sibi stipulam, fomentum sibi, per quod exuretur, inuenit.* Nihil ergo refert, hominem Christianum veri Dei cultorem esse, si opera nulla, aut non Christiani, aut non Christiano digna facit. Audis sacrum Christiane, sed quomodò accedis ad Ecclesiam? quomodò rosarium, vel alias pias orationes recitas? celebras sacrificium consecrate DEO nissta, sed quâ mentis puritate, quâ præparatione ad id accedis? quomodò precationes fundis? considera, an non sint paleæ potiùs; quàm fructus? ex quo ad fomentum potiùs deseruiant ignis; quàm ad meriti augmentum.

Genes. 4.

Et certè, si hoc de illo pronuntiare verum est, qui bonum quidem operatur, sed non ea perfectione, quâ decet, quid censendum de illo, qui nullum opus bonum facit. Nunquid talis Dei Filius est? minimè? nam qui filij opera exequuntur, ex operibus dignoscuntur, & Pater cælestis opera ab eis requirit. Vt docet Regius Vates Psal. 28. *Afferte Domino filij Dei.* super quem locum dubitat Petrus Chrysologus serm 10. quidnam per filios Dei, homines ne, an Angelos intellexerit Propheta: cùm illi arduum videatur, terrenam carnem ad cælestem subleuari naturam. *Putasne* ait, *cælestes taliter iste appellet virtutes, aut homines Dei aptet in filios, & terrenam carnem, subleuat cælestem ad naturam.* Cui dubitationi respondet ipsemet, homines appellari, quos alibi Deos vocauerat: *Homines* ait, *fratres, homines hic nuncupat Prophetа, quos Dei filios sic alibi decantat: Ego Dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Statimq; ingeniosè obseruat, quòd postquàm eos filios Dei nuncupauit, statim ab eis exegerit, vt signa darent, quibus se esse Dei Filios ostendere possent: id est, vt agnos afferrent, munera darent, & totos se in obsequium Deo præberent. Vnde subiungit Propheta: *Afferte Domino filios arietum.* Quia vt dicit citatus Chrysologus: *Cælestis Pater sentit amorem donis datis effectum, probat muneribus charitatem.* Quid elegantius dici potuit? Vnde enim Deus Patrem nostrum se dignoscere potest, si nihil ei demus? vnde in eum charitatem, si nihil præbeamus? vnde amorem sine donis? vnde affectum sine datis, si vacui coram eo astemus? vnde pariter nos filij eius dignoscemur, si nullum ei obsequium exhibeamus?

Pſal. 28.

Chrysolog.

Equidem fidelis Abraham, non priùs nisi post obsequia præstita, à Domino Deo audiuit: *Nunc cognoui*, quod times Deum, Genes. 22. n. 12. Non paruum negotium facessit? interpretibus is loquendi modus, *nunc cognoui*, quasi antea non satis perspectus Deo Abrahami timor, & amor esset. Cui dubitationi ita respondet S. Hilarius: *Non ignorabat vtiq; Abrahami fidem, quam illi de generandi Isaac credenti ad iustitiam deputauerat; sed qui magnum timoris sui dederat filium offerendo documentum, nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur.* Quasi diceret, Abrahami charitatem tunc perfectam, Deoq; probatam fuisse; cum illa tribulatione firmata, ac solidata esset, ac si Deus illis verbis Abrahamum alloqueretur. Nunc toti orbi innotescet, non in superficie, sed in medullis tibi esse charitatem meam, quæ in fornace tribulationis cocta, & probata est.

Genes. 22.

S. Hilarius.

Meritò proinde Deus dixit: *Nunc cognoui, quòd timeas Deum*: quia nunc experimentaliter ex operis exhibitione cognouit ipsum verè amantem, quem priùs non cognouerat, nisi ex voto, & desiderio. Vnde sequitur in sacro textu: *Et non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Exhibitio ergo operis, scientiam facit dilectionis. Illud nihilominùs auget difficultatem, quoniam Isaac figura fuit futuræ Christi passionis, & Christi Dei typus, quomodò Isaaco parcitum est, Angelo Domini de cælo clamante: *Non extendas manum tuam supra puerum, neq; facias illi quidquam*; cùm tamen Pater cælestis, proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Facilè enim quispiam putabit, antitypum typo ad amussim non congruere. Verùm ne miremini: Isaac immolatus non est, vt primas passionis partes Christo cederet, & sic tanquàm figuræ defuit immolationis complementum, ne Christum figuratum anteuerteret, in elogio patiendi. Ita resoluit Clemens Alexandrinus 1. Pædag. cap. 5. inquiens: *Solummodò autem iure Isaac passus non est, qui primas passionis partes Verbo cesserit.* Addit Chrysologus supra citatus: *Ideò Isaac non occisus, quia non quærebatur mors filij, sed patris charitas probabatur nec expetebatur sanguis filij, vbi tota victima in Patris dilectione constabat.* Ergo tunc Abraham Dei Filius, & Deus patrem se eius recognouit quando non verbis, sed operibus amorem in Deum testatus est.

Isaac quare non est permissus occidi.

Clemens Alexandr.

Hinc ad D. Hyacinthum, singulare sacri Prædicatorum ordinis decus progrediamur, eumq; Dei filium, ac Deum vicissim eius Patrem agnoscamus. Signum diuinæ filiationis hoc potissimùm ponit Apostolus ad Rom. 8. *Efficaciam Spiritus sancti* inhabitantis in homine, & ad omnia promptè, suauiter, & cum quadam iucunditate facienda impellentis: *Quicunq; ait spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Probans his verbis, eos, qui spiritu facta carnis mortificant, esse Dei filios: quia secundùm doctrinã Sancti Spiritus viuunt; quemadmodùm è contrario, qui pessimè viuunt, aguntur spiritu diaboli. Docet autem S. Paulus, filios Dei, id est electos, non tantùm duci, sed etiam agi à spiritu Dei: quia spiritus Dei non solùm est dux, sed etiam adiuuat vires ambulantis in ipso operans, vt Didymus, & S. Hieronymus in citata Apostoli verba discurrunt: *Non enim tantùm ducit spiritus ostendendo, quid sequendum sit, & faciendum, sed etiam ipse in sanctis facit, vt illud faciant, idque*

Signum diuinæ filiationis.

Ad Rom. 8.

Didymus. S. Hieron

cum omni alacritate sine cunctatione. Non aguntur tamen inuiti, sed fiunt ex nolentibus volentes: non aguntur tractu aut impulsu violento, sed amico auxilio ad consensum suauiter inclinati; quemadmodùm & cæcus à ducente non rapitur, sed volens ducitur. Porrò iuxta mentem D. Augustini, filij Dei sunt in duplici differentia. Alij per æternam electionem, qui licet interdum sathanæ & carnis insultibus agantur; ante mortem tamen agentur spiritu Dei, & salutem æternam consequentur. Alij per solam præsentem iustitiam; non verò per æternam electionem, & isti dum fruuntur gratiæ dono, aguntur Dei spiritu; illum tamen ante mortẽ suo vitio infallibiliter amittent, & sic in æternum peribunt. Vnde DEI filium esse, & agi spiritu Dei, non sunt reciproca: quia multi sunt filij Dei per electionem, quos adhuc dæmon captiuos detinet ad suam voluntatem, DEO miserante quandoq; liberandos: & multi etiam sunt, qui nunc spiritu Dei aguntur, sed suâ culpâ perituri. Ergo filij Dei, non aliundè, nisi ex sancta operatione, nisi ex prompta obedientia dignoscũtur.

Filij Dei sunt indubplici differentia.

Cuius rei pulchrum habemus documentum in Abrahamo, cui primùm electo in patrem Christi, dum de semine eius venturus hic promitteretur. Gen. 12. *In te benedicentur omnes cognationes terræ*, illud durissimum certamen, & naturæ asperrimum propositum est. *Dixit autem Deus ad Abraham, egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Potuitne aliquid durius præcipi? Lautè satis Iacob Patriarcha apud Labanum socerum suum tractabatur: & tamen inter amplas diuitias, hac vnica vehementer pungebatur maleuolentia, quòd extra patriam suam moraretur, ideoq; dixit socero: *Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus tibi seruiui, vt abeam.* Genes. 30. Ecce nec filiorum multiplicatio, nec augmenta diuitiarum poterant eum sufficienter recreare, dum extra paternam Isaaci domum moraretur. Quid causæ? cùm potissimùm vbi tunc erat cum vxoribus, & filijs suis, ibi haberet totam cognationem suam, ibi atauorum requiescerent ossa, ibi esset totum eius gentilitium, & patrium solum. Isaac verò erat in terra peregrinationis, quomodò igitur alienam, & peregrinationis terram, pro sua patria reputabat, in eamq; transire desiderabat. Respondet Rupertus lib. 7. in Genes.

Genes. 12.

Genes. 30.

Genes. cap. 35. quia Isaac, & Iacob erant viri perfecti, & habebant promissionem; talibus autem debetur terra peregrinationis, debentur pro patria remotissima quæquæ, & alienissima loca, vbi obsequium Dei elucet. *Nec illud* inquit, *prætereundum est, quod ait: Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam, peregrinationem patrum suorum patriam, terramq; suam vocans propter Deum.* Hic certè labor, hoc opus, hæc perfectio illorum est, in quorum semine est Christus, quòd ignorent aliam patriam, nisi eam, in qua diuinum obsequium affulget, licet tellus hæc sit remotissima, & alienissima à suis. Vbi mandantur ieiunia, cilicia, humicubationes, solitudines, flagellationes: vbi mandantur exilia, peregrinationes, nec alia patria monstratur, nisi terra vbi maius apparet Dei seruitium.

Rupertus.

Non hæsitauit itaq; Abraham, licet illi aspera Deus mandaret, quia fide diuina erectus erat; inquit S. Augustinus serm. 68. de tempore: *Abraham pater noster radicem fidei, nominis Christiani habebat, qui cùm ad incerta, atq; peregrina iuberetur exire, tota deuotione compleuit. Cui in re tam dura, nulla dubitatio fuit, sed sententiam Dei, tanquàm qui optare videretur, accepit. Exi,* inquit, *Dominus de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quàm monstrauero tibi. Nouum probationis genus habenti propria, exilia indicere peregrina, iungere laborem itineris quiescenti, & tantarum facultatum Domino necessitatem imponere peregrinandi. Libenter tamen fides accepit, quidquid arduum videbatur incredulo. Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina? Leue cuiquam non est dimittere propria, & sectari aliena; dimittere, quod scias, quærere quod ignoras; Quis propria sine dolore deseruit? Cui non est durum, illos conscios natalium parietes relinquere?* Equidem ijs tantùm, qui spiritu Dei aguntur, qui firmam eius fidem habent. Offerebat Rex Achab Nabotho pecuniam pro vinea 3. Reg. 21. *Da mihi vineam tuam, vt faciam hortum olerum: quia vicina est, & propè domum meam? daboq; tibi pro ea vineam meliorem, aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est.* Et tamen nulla ratione induci potuit Naboth, propterea, quòd vinea de auitis, & paternis bonis esset, respondens: *Propitius sit mihi Deus, ne dem hereditatem Patrum meorum tibi,* Deus bone adeò tenax rerum temporalium erat Naboth, vt ne propter Regis postulatum quidquam facere veller, cùm tamen laudatissimi illi viri, Iacobus, & Ioannes, ad vnicum Christi verbum omnia temporalia, & paterna bona libentissimè

S. Augustin.

3. Reg. 21.

reliquerint, Matth. 4. Illi autem statim relictis retibus, & Patre, secuti sunt eum.

Quid causæ? cùm hi duo laudatissimi viri, nullo sibi proposito præmio, ad vnum Christi verbum, omnia paterna bona reiecerint, cur Naboth ita tenax paternorum bonorum extitit? non mirum: Nabotho res erat cum Achabo homine petente hereditatem paternam, id est, vineam; Iacobo autem & Ioanni res erat cum Christo Filio Dei vocante illos. Sola autem fides in Deo potest facere, vt homo se ab auitis, & paternis bonis libens excutiat. Quò spectans docebat D. Augustinus serm. 68. de tempore. *Leue cuiquam non est dimittere propria, & sectari incerta; dimittere quod scias, quærere quod ignoras. Cui non est durum, illos conscios natalium parietes relinquere, dulcia illa limina, atq; amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta commendant. Quis hoc sine fidei viribus libenter audiret.* Profectò non hominis sapientis esset, illa libenter relinquere, nisi in eo primùm fides in Deo affulsisset. Dum enim homines non ducit fides in Deo meliora promittente, durum est cuilibet propria, & parentum bona pro incertis relinquere. Nam plerumq; parentum tugurium dulcius esse solet palatijs peregrinis. Hinc D. Chrysosthomus ponderans illa verba Matt. 2. *Ecce magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Ex illis diuinitatem Regis nati probat, ne stultitiæ damnet Magos patriam relinquentes. homil. 6. in Matth. ita concludens: *Quod tamen ipsum extrema omnino fuisset dementia, vt Perses aliquis ac barbarus, nullumq; habens cum Iudæorum gente consortium, vellet à domo sua, patriaq; discedere, relinquere etiam famulos, amicos, propinquos, regnoq; se alterius subiugare.* Palam ostendens, id esse extremæ dementiæ, nisi in eo Deus quæreretur.

S. August.

Matth. 2.

S. Chrysost.

Atq; hinc iam mentis vestræ oculos in sanctum Hyacinthum sacri Ordinis Prædicatorum insigne ornamentum, conuertite. Nobilissimis ille natus parentibus, & in consortium perauguſti Capituli Cracouiensis adscitus, inanem iactationem maiorum iudicauit, probè sciens, veram nobilitatem magni æstimandam, non ab aureis incunabulis, sed à probis moribus dimetiendam esse. Ille enim verè nobilis est, qui casibus exemptus, qui Lunæ menstruas non sustinet variationes, qui lucis incrementum, decrementumq; alternat; sed virtutis constantiâ serenitatis tenet fastigia, teste Philone lib. de nobilitate, vbi dicit: *Qui laudibus*

Nobilis quis dicendus sit.

Philo.

dibus extollunt nobilitatem, vt bonum maximum, & cauſam magnorum bonorum, ipſi reprehendendi ſunt : vel ob hoc, quòd nobiles cenſent natos è familijs iam dudum claru, & diuitibus, cùm ne maiores quidem illi, quos tactant, propter opulentiam felices fuerint, quandoquidem verum bonum, in nulla externa re, nec in corpore, imò nec in quauis parte animæ ; ſed in principali tantùm ſitum eſſe natura voluit. Ideoque ſolis virtutibus ſplendeſcere volens, velut nobiliſſimus ſurculus, de viridario cleri ſæcularis, in quo Pontificiæ eum infulæ manebant, in florentem D. Dominici hortum tranſplantari voluit, egreſſus de domo, & cognatione ſua, & abiens in terram, quam ei ſpiritus Domini monſtrauit. In terram inquam illam, de qua Alexander Papa IV. dicit : *Cæleſtis ille agricola, ſummus author fidei, præcipuuſq; protector, ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quaſi lignum fertile, in Eccleſiæ paradiſo inſeruit, vt delectaret amænitate, vbertate ſatiaret, & fructum ſuauitate mulceret.* In terram illam ſpatioſam, fœcundam, ac imbre ſuperno irrigatam, pulchra, plurima, ac dulcia poma proferentem, quorum odore ac ſapore confortantur, & conualeſcunt debiles, varijs detenti languoribus liberantur. In qua homines carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum ſalutis inueniunt, & internam recipiunt ſoſpitatem. In terram illam, in qua generoſa plantatio, ramos ſuos vndique expandens floret, plurimos honoris, & honeſtatis, vberrimoſq; doctrinæ, ac virtutis fructus profert, & odorem ſanctæ, atq; laudabilis conuerſationis longè lateq; diffundit.

Dominicanæ Familiæ elogium.

Cùm enim ſumma eruditione cæteros antecelleret, ſacro Prædicatorum Ordini honeſtate florido, præclaro ſcientiâ, virtute fœcundo, ſedi Apoſtolicæ ſummè accepto, merito incorporari ſtuduit. Hic eſt ille ordo, qui inter alia plantaria dominica, puritate conuerſationis, ſapientiæ dono, & virtutis meritò dignoſcitur ſpecialiter inſignitus. Hic eſt ille ordo, cuius Fratres ſacrarum literarum ſtudio inſtanter incumbunt, animarum profectibus, diuinis officijs, & orationibus inceſſanter intendunt, atque euangelicæ prædicationi ardenter inſiſtentes, lumen diuinæ doctrinæ vbiq; per orbem diffundunt. Hic eſt ille ordo, in quo viri doctrinâ clariſſimi, contemplationi cæleſtium ferunter inuigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant. Viri inquam probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces in opere, & in prædicatione potentes, quorum labia gratia cæleſtis edocuit ad propinandam ſalubrem doctrinam alijs, & commodum, ac profectum animarum Chriſti fidelibus exponendum. Propter quod vbique per orbem terrarum ora ipſorum intonant, tanquàm tubæ, ac in omnem terram exiuit ſonus prædicationis eorum, & vſq; ad extrema terræ ſua ſalutifera verba ſonant. Viri præclari, conſpicua religione fulgentes, qui tanquàm lucentia ſidera in Eccleſiæ firmamento ſuis ſplendidiſſimis documentis, viam cæleſtis vitæ mortalibus inſinuant. Hi ſunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui ſua ſacra conuerſatione ſuauiter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à ſomno negligentiæ celeriter ſurgere, atq; excuſsâ prorſus inertiâ, ad opera lucis, & bonitatis feſtinanter properare. Hi ſunt dilecti Deo, & hominibus, morum honeſtate conſpicui, ſcientiæ titulis inſignes, quos æterni Patris benignitas, inter plurimas perſonas diuinis obſequijs deputans, pro ſui nominis exaltanda gloria, & fidelium procuranda ſalute ſpecialiter elegit. Qui ſuum ſemper affectum, & amorem ad cæleſtia dirigentes, virtutem diuini nominis vbiq; publicant, & pro Catholicæ religionis propagando cultu, vigili attentione laborant. Qui vitam, & meritа Beatiſſimi Pauli contemplantes, gloriantur in ſola cruce Domini noſtri IESV Chriſti : & mundi pompas, ac ſolatia ſpernentes, ad ſolam cæleſtem patriam, & ad paradiſi delicias, recta intentione ſuſpirant. Qui propter Deum ſemetipſos ſalubriter abnegantes, elegerunt ſub arctiſſima paupertate Deo deſeruire, tanquàm nihil habentes, & omnia poſſidentes. Qui ad extremum, cùm omnia terrena propter amorem bonorum cæleſtium reliquerint, ſobriè, iuſtè, piè, & caſtè viuentes, ac exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur, paupertatem euangelicam amplexando.

Ordinis Prædicatorum quàta laus.

Quando S. Ioannes cæleſtem illam Hieruſalem, id eſt, empyream beatorum gloriam, ſub nomine ſponſæ deſcribere voluit, ſic de illa fatur, Apocal. 21. *Ego Ioannes, vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam, deſcendentem de cælo à Deo, paratam ſicut ſponſam, ornatam viro ſuo.* Dicit *paratam*, id eſt, comptam, adornatam, tantaq; pulchritudine, felicitate, maieſtate, atque gloriâ inſtructam, quanta decet ſponſam diuino ſponſo iam nuptam ; perinde vt ſponſa Regis, pulchritudine conſpicua, pulcherrimis etiam & pretioſiſſimis veſtibus, gemmis ac monilibus ſe veſtit, parat, & adornat, cùm in thalamum Regis ſponſi deducenda eſt, vt felici connubio æternùm cum eo viuat. Dicit, *ſicut ſponſam ornatam viro ſuo* : id eſt, ſicut illam ſponſam, quam Deus Pater Chriſto Filio ſuo vnigenito, tanto decore adornauit, ad Chriſti ſui decus : nam omnis cæleſtis Eccleſiæ decor, & Beatorum pulchritudo, ſicut Chriſti meritis tribuenda eſt ; ita quoq; ad ſponſi Chriſti gloriam deſtinatur. Perueſtigemus tamen, quænam ſit hæc cæleſtis ſponſæ pulchritudo, beatus olympiæ gloriæ decor, & forma præſtantiſſima, in qua diuinus ſponſus, adeò ſibi complacet. Equidem non corporis pulchritudo, ſed vitæ elegantia. Auctore D. Auguſtino lib. Meditat. c. 22. vbi ſic habet : *O vita, quàm præparauit Deus his, qui diligunt eum : vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla.* Moxq; paulò inferiùs concludit : *Vita totius elegantiæ, & dignitatis pleniſſima.* Quid melius : in illam enim morum elegantiam, quàm beati ſeruant, nullum tempori ius eſt. Illa ſemper vernat, floret, nitet, nec vnquam marceſcit.

S. Auguſt.

Dabis veniam religioſiſſima D. Dominici Familia, dum Te etiam recuſante tuâ verecundiâ, ſponſam ornatam, & cæleſti ſponſo præparatam appellauero. Hanc enim puram, & candidam vitam religioſam affectans Deus, illud mihi protuliſſe videtur Oſeæ 2. v. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & in iudicio, & miſericordia, & miſerationibus ; & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego Dominus.* Quis iſtas feliciſſimi matrimonij leges tibi promiſſas, & adimpletas non videt ? Omnes quippè ſacri huius Ordinis Profeſſi, in fide, & iuſtitia zelant pro domo Domini, æterni Euangelij documenta in ſe habentes, quos velut Athletas ſtrenuos, ad Iudæorum, Saracenorum, aliorumq; infidelium confutandos errores, velut Angelos volantes ad pronuntiandum Euangelium ſedentibus ſuprà terram, Deus ipſo tempore opportuno tranſmiſit, vt in omnes gentes, tribus, populos, linguas, & nationes verba ſalutis diffundant, regnum Dei, ac iudicij diem appropinquare oſtendant, atq; æternæ vitæ ſemitam demonſtrent. vt dicit Pius ſecundus in Bulla Canoniſationis S. Vincentij. Quod S. Patriarcha Dominicus, vineæ prædicatoriæ ſator, cultorq; eximius promeruit, qui quaſi oliua pullulans, & cypreſſus ſe in altitudinem extollens, veſtitu ſanctitatis amictus, & conſummatione virtutis *in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum.* Eccles. 30. dum labentem Lateranenſem Eccleſiam ſuis humeris Pontifici Innocentio viſus eſt ſuſtentare, ſtante circa illum corona fratrum, innumeris videlicet laureatis viris eius regulæ Profeſſoribus, aut ex virginitatis candore, aut martyrij cruore, aut doctrinæ labore, de mundo, carne, diabolo, trophæa reportantibus.

Oſeæ 2.

S. Dominicus Lateran. Eccleſiam labentem humeris ſuſtentare viſus eſt.

In quorum numero D. Hyacinthus comparere deſiderans, ſponſæ cæleſtis, S. Dominici Familiæ filius appetijt fieri, velut flos amæniſſimus, de horto ſæcularis Eccleſiæ in vineam prædicatoriam tranſplantatus, ex cuius ſanctitate, & zelo in propaganda religione, vniuerſalis Eccleſia multiplicis vbertatis ſpiritualis fructum colligens, ipſius odore reficitur inceſſanter. Electurus Dominus ſeptuaginta Principes, Moyſi remiſit illorum explorationem, Numer. 10. inquiens : *Quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint, & Magiſtri.* Numer. 10. Inſuper à Moyſe abſtulit ſpiritum, quem illis impertitus eſt : *Deſcenditq; Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viro.* Nihil ergo Deus Principibus illis permiſit, quod non veniret à Moyſe, in hoc maximè dignificans eum, quòd tot Principes dependenter ab illo ſplenderent in populo : quoniam maior laus hominis eſſe non poteſt, quàm dum ipſi alij debent ſplendorem, quo fulgent. Hinc apud Caſſiodorum 10. var. 4. Rex Gotthorum Theodabadus extollebat Reginam Amaleſiuntham, à qua in conſortium regni admiſſus erat ita loquens : *O animi nobilitas ſingularis ! En æquitas mirabilis, quam mundus loquatur. Exploranit conſcientiam, cui erat regni traditura cenſuram, vt & illa Domina cognoſceretur eſſe cunctorum, & me probatum perduceret dignaretur ad regnum. Quando ijs muneribus, quando ſoluemus tantæ gratiæ, quæ debemus ? vt quæ cum paruulo filio regnauit ſola, nunc mecum delegerit regnare ſociata ? In ipſa enim eſt decus regnorum omnium, in ipſa eſt noſtræ originis flos honorum. Quidquid fulgemus, ab eius claritate ſuſcipimus.* Meritò certè extollebat reginam, cui debebat, quòd fulgeret in throno regali.

Caſſiodor.

Verùm ille mihi maximè ſupra omnes extollendus videtur, cuius ſpiritus communicatus pluribus, plures reddit virtutum muneribus conſpicuos Inde Chriſtus commendans diſcipulos ſuos, dicebat Matth. 5. *Vos eſtis ſal terræ.* Nonne me- Matth. 5.

Christus discipulos vocauit sal, quia sal præfertur auro

lius eos vocasset aurum, vel quidpiam aliud pretiosum nominasset? minimè: quia sal plus, quàm aurum facit, ita vt de eius virtute plura vitæ necessaria fiant, ait citatus Cassiodorus 12 var. 14. *Potest aurum aliquis minus quærere, nemo est, qui salem non desideret inuenire.* Profectò enim nullus cibus est adeo suauis, & gratus, qui hoc non habeat de salis beneficio. Sumendum est semper aliquid de Sale, quo soporentur omnes alij cibi necessarij ad vitam, vnde honor salis crescit supra aurum ipsum. Ita planè sancti viri, Sanctarumq; Religionum propagatores, & propugnatores Ecclesiæ, eò honoris perueniunt, vt de illorum spiritu vniuersi alij illustrentur, & viuant. Propagaturus igitur Deus sacrum D. Dominici Ordinem, quò faciliùs constructis vbiq; terrarum monasterijs, non solùm remotissimis regionibus, sed etiam latissimis Poloniæ Prouincijs, cultus diuinus affulgeret, D. Hyacinthum ad id assumpsit, Spiritum sancti Patriarchæ Dominici in eum transfundens, de quo vniuersi populi illustrentur, & viuant. Ita enim à Deo sublimatus est S Hyacinthus, vt illi omnes suum splendorem debeant, quo fulgent. De eius spiritu Dominicana Familia habet, quòd crebra in regno Poloniæ monasteria possideat: de eius spiritu multi prima fidei Catholicæ fundamenta addiscunt, multi in virtute proficiunt. De eius spiritu Respublica habet, quod etiam periculosissimis temporibus non succumbat, & difficillima negotia communem omnium salutem concernentia, citra spem feliciter perficiat, ad optatumq; effectum deducat. De eius spiritu habent peccatores, quod in Christo reuiuiscant, quod iusti citiùs ad columen iustitiæ perueniant. Paucis multa? omnia in regno Hyacinthi spiritus, hisce interregni temporibus suauiauit, soporauit, vt auidè, pacificè, & vnanimi consensione sumantur à cunctis.

Deus Spiritum S. Dominici in S. Hyacinthum transfudit.

Hanc olim gloriam promittebat Deus Abrahamo Genes. 17. *Ponam fœdus meum inter me, multiplicabo te vehementer nimis.* Sed quæ est ista gloria, quòd Deus multiplicationem Abrahamo promittat? cùm hominum multiplicatio, non adeò læta esse soleat, vaticinante Isaia: *Multiplicasti gentem, & non multiplicasti lætitiam.* Verùm non promittebat Deus Abrahamo multiplicationem gentis communis, sed illius gentis, quæ de spiritu & virtute Abrahami viueret. Sic exponit Procopius in Glossa: *Quòd* inquit *multiplicans multos homines faciat Deus, minimè mirandum est: nam aliæ gentes præter Iudæos extiterunt populosæ. Verùm Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi futuri sint Abrahami. Nam ex ipso proditari sunt sancti, libereq; imitabuntur fidem & opera Patrum.* Hæc erat gloria Abrahami, quòd de eius fide, & virtutibus multi sumerent, quo paternarum virtutum æmuli viuerent. Hæc est gloria S. Hyacinthi, multiplicauit illum Dominus in dilatatione vineæ Prædicatoriæ, multiplicauit in miraculis, multiplicauit in sanctitate, fœdus suæ promissionis adimplens.

Procopius.

Ostendi igitur S. Hyacinthum, fasciâ S. Dominici præcinctum, lucernas ardentes in manibus portantem, id est, bona opera, quibus singulis ad virtutes præluceret, ex quibus filij Dei dignoscuntur. Quare & nos, vt pro filijs à Patre illo cælesti agnoscamur, non verbis, sed operibus amorem in Deum testemur: non sunt enim viri Christiani, non sunt filij Dei, qui opera Deo Patri non offerunt, quæ sunt veræ filiationis signa. Et quoniam duas proprietates hyacinthus flos amæniissimus habere dicitur, *vnam*, quòd cum vino pota, regium morbum emendet. *Alteram*, quòd vino illita, pueros diutissimè seruet impuberes. Galenus lib. 8. Simplicium medicamẽtorum. Vt & in nostro Hyacintho proprietas respondeat, sub eius patrocinium confugiamus, vt cùm sit patronus regni, & nostrum omnium, grassantibus nunc vbiq; contagiosis morbis, quidquid in corpore politico, & priuato vitiosum est, feliciter curet, extirpet, & ad pristinam sanitatem reuocet.

Genes. 17.

DIE SANCTÆ ROSÆ VIRGINIS PERVANÆ.

CONCIO

Quasi flos rosarum in diebus vernis. *Ecclesiast. 50.*

Tota S. Rosæ vita fuit prodigium, ob inauditas corporis mortificationes, certamina cum dæmone, & magnum orationis studium, quam Christus in sponsam accepit; mundus verò in pignus perpetui patrocinij.

PVlcherrimam totius vniuersi constitutionem, sapientissimam dispositionem partium, admirabilem rerum ordinem, ac stupendam elegantiam describens Moyses, Genes. 1. duo velut ex omnibus præcipua Sapientiæ, ac omnipotentiæ diuinæ opera, miratur vehementer, scilicet paradisi, & hominis productionem. De homine quippè dicit sacra pagina: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Non dixit, quemadmodùm de alijs creaturis, *fiat homo*, sed ipsemet corpus humanum è puluere, sicut figulus vas ex argilla confecit, vt fragilitatis memor homo, haud vellet se duris tentaminum ictibus exponere, vtq; si fragilitate corruisset, haberet, vnde figulo Domino inclamitaret: *Tanquàm vas figuli plasmasti me, argillæ parte fragilitati.* Porrò animam dantem vitam, in faciem humani corporis inspirauit Deus, quæ quidem ab extrinseco fuit â Deo infusa, non educta ex materia: vt cognoscat homo, nihil esse animæ cum terra commune. In faciem inquam illud spiraculum vitæ dedit Deus homini, id est, in totum hominem, præcipuam partem pro toto exprimendo. Vnde in Hebræo legitur, *spiraculum vitarum*: quia anima rationalis, vegetatiuam, & sensitiuam eminenter in se continet. Deus itaq; quasi triplici vita simul hominem donauit, Angelorum, brutorum, & plantarum, vt cùm homini bruta ac plantæ subijciantur, non despiciat in subditis illam, quam in se agnoscit vilitatem, memor illius: *Parcere discas fragili, eadem fragilitate nitens.* Similiter de paradiso ait scriptura: *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* LXX. addunt, *die tertia.* Expendite plantationem Deo dignam, & paradisum, qui talis, ac tanti opificis elegantiam decet. Antea Deus dixerat: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Quid ergo ampliùs opus erat, præmissa iam prima plantarum procreatione, separatum hortum, seu paradisum iterum à Deo procreari? Respondent aliqui: quia quemadmodùm Deus hominem seorsum à reliquis animantibus, præcipuo figmento dignatus est; ita & hominis iucundam mansionem propriæ manus opus esse voluit, locum scilicet omnem creaturam excellentem, pulchritudine admirabilem, in sublimi editum, & vndiq; conspicuum, nullis tenebris propter cælsitudinem obnoxium, quem astra orientia collustrarent, ex omni parte lucidum, iucundum, tempestatum temperiem obtinentem, aëre limpidissimo illustrem, topiarias voluptates effusiori lætitia copiosè parturientem; vnde nomen *paradisi voluptatu* mutuauit. Dei igitur præpotentis manu opus erat, quæ ibi plantaret paradisum, vbi nulla esset ventorum vis, nulla tempestatum intemperies, nulla grando, nulla fulgura, nullæ procellæ, ac turbines, nulla fulmina, nulla hiemalis glacies, nec veris humiditas, nec æstatis feruor, nec autumni siccitas, sed bona temperies, & tempestatum inter se pacifica consonantia; ita vt singulæ ipsarum propria venustate ornatæ essent, nec præcedens à sequente incommodi quidquam, & insidiarum metuere posset. Dum neq; verno decori subsequens æstas noceret; neq; æstiui vel autumnales fructus præ senio defluerent. Verisimilius tamen alij censere videntur. Deum ipsum manu ideò plantasse para, disum, vt eum ipsi æternitati duraturum pararet: quæ enim temporanea sunt, ea sub communi prouidentia relinquuntur; quæ autem æternitati connexa sunt, ea peculiari Dei prouidentiæ, & curæ

Genes. 1.

Deus ab extrinseco homini animã infudit.

Paradisus ab omnipotentiæ fuit immunis.

Cur Deus paradisum seorsim plãtauerit.

curæ subsunt. Plantauit, ergo Dominus Deus paradisum voluptatis, vt ostenderet suum peculiare studium, & curam in plantando, quod illum ipsi æternitati parare vellet. Hinc enim subtilis Rupertus, æternam paradisi amænitatem deducit, lib, 2. in Genes. cap. 26. *Verbo* inquit *plantantis, felicis rei æternitatem, nomine voluptatis, eleganter eiusdem expressit iucunditatem. Verbum namq; plantantis, plantatoris eius, siue hortulani studium innuit, qui nunquàm transitorijs rebus studuit, ita vt cura sibi sit de illis, testante Apostolo cum dicit: nunquid de bobus cura est Deo?* Verùm, & hic difficilis nodus: quomodò enim Deus æternitati parabat paradisum, cùm in terra corruptioni obnoxia plantatus fuerit, vbi quidquid constiterit, finem habeat, necesse est, ita vt plurimi eum diluuio vniuersali interijsse opinentur? Ne miremini: per paradisum enim Deus moraliter Ecclesiam sanctam figurabat, de qua velut de paradiso terrestri, quatuor flumina promanant in orbem vniuersum, scilicet quatuor Euangelistarum Euangelia. Palam ostendens durationem Ecclesiæ sanctæ fore æternam, cùm de latere Christi in eius sanguine profluxerit: licet enim status Ecclesiæ militantis in hoc mundo, & pugnantis in purgatorio peribit; triumphantis tamen in cælo nunquam desistet, beatis Angelis, & hominibus Deo humiliter occinentibus. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth.* Non aberrabo, si religiosissimam D. Dominici Familiam, paradisum æternitati à Deo paratum, eiusq; omnipotenti dextera plantatum appellauero: hunc enim illi titulum prophetico spiritu pridem inscripsit Propheta Domini, Isaiæ 60. *Germen plantationis opus manus meæ ad glorificandum: minimus erit in mille, paruulus in gentem robustissimam.* Hinc non immeritò Deus, optimus, Maximus, sacram D. Dominici religionem, vocat vineam fructiferam. Isaiæ 9. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Hæc est illa vinea, quam S. Dominicus plantauit, Hyacinthus rigauit; Deus autem incrementum dedit, vt ex illa prædicatio Euangelij sancti, in orientem, & occidentem, septemtrionem, & meridiem, vbi nondum erat quid quam annuntiatum de nomine Iesv, prodiret. Quod probè cognouit Gregorius nonus, in Bulla Canonizationis D. Dominici, & Alexander IV. in Prologo constit Prædicat. vbi dicit: *Cælestis ille agricola, summus author fidei, præcipuusq; protector, sacrum Prædicatorum Fratrum Ordinem, quasi lignum fertile in Ecclesiæ paradiso inseruit, vt delectaret amænitate, vbertate satiaret, & fructum suauitate mulceret.* Paradisus hortus voluptatis dici meruit, quòd arboribus fructiferis consitus esset, omniq; genere, & amænitate florum abundaret. Quis hoc in sacra D. Dominici religione non videt? vbi Rosæ rubentes (martyres sanctos intelligo) innumeræ excreuerunt: nam post B. Petrum Martyrem, pro fide, & nomine Iesv, 90. sacræ huius familiæ à Tartaris trucidati sunt, apud Sandomiriam in Polonia 49. in Diœcesi Tholosana 9. in Hungaria, Dalmatia, & Bossina prouincia 190. in Prouincia terræ sanctæ, à Saracenis 705. glorioſè occubuerunt. Vbi narcissi odoriferi, id est, Doctores; expositores Scholastici, scripturarum interpretes, Concionatores, Confessarij, & Confessores innumeri. Vbi purpurascentes violæ, id est, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Eminentissimi post Antoninum Florentinum Archiepiscopum, florem Canonistarum, & Prælatorum, exemplar, propè 40. excreuerunt. Vbi tria candida lilia, ad summum fastigium sua extulerunt capita, id est, tres summi Pontifices, Innocentius V. Benedictus XI. Pius V. maxima sacræ religionis Dominicanæ ornamenta. Verùm cùm in hoc spirituali paradiso, non sit numerus vernantium florum, & fragrantium odorum, vnicum ego duntaxat florem, sanctam Rosam Virginem Deo dicatam, tertij Ordinis S. Dominici, vobis hodiè offeram, cuius amænitate & fragrantia ad satietatem refici possitis.

Rupertus.

Ordo Prædicatorũ est paradysus æternitati plantatus.

Isaiæ 9.

Gregorius & Alexander Papa.

Numerus Martyrum ex ordine Prædicatorum.

Numerus Pontificum & Cardinalium ex ordine Prædicatorum.

S. Basilius.

Duo pulcherrima in vniuerso mundi ambitu, diuinæ omnipotentiæ argumenta habemus, lunam argenteo nitore in cælo lucentem, & rosam ambitiosa foliorum dilatatione terrestre viridarium adornantem. Conferte si placet, duo hæc ad inuicem, & facilè rosæ præstantiam agnoscetis. Luna quippè maculis & nubibus obscuratur; rosa verò spinis, & sensibus illustratur. Luna aliquando hominibus nocet, rosa semper fauet. Luna nonnunquàm intuentium oculos auertit, rosa continenter allicit. Hinc D. Basilius, spinas rosæ, stimulos amoris appellat, epist. 149. *Natura* inquit, *tenues illas spinas velut amatorios quosdam stimulos, eius amatoribus ad florem produxit, ad maius desiderium per malè ferientes aculeos, & tactum ægrè admittentes, decerpentes irritans.* Et paulò post amici gratiam epistolarem, ac venustatem scribendi commendans concludit: *Quæ florem quidem habebat rosæ, ita vt tota nobis verno tempore eloquentiæ spirauit odorem: quereliis verò & expostulationibus, quasi quibusdam aculeis contra nos armata est. Verùm spinæ quoque verborum tuorum, voluptati mihi sunt, quæ me ad maius amicitiæ desiderium inflammant.* Planè rosa reliquorum florum regina, viridarium nobilitat, ac locupletat. Illa verò primùm rubet inclusa granoso cortice, qui intumescens, & in virides alabastros fastigiatus, mox paulatim dehiscens, purpurea labra explicat, quæ luteos apices in calicis medio complectuntur. Atq; adeò in medio viridarij, seu genialis horti collata, à natura ipsa omnium florum Regina prædicatur, neq; illam spinarum custodia offendit; sed defendit. Et quod præclarius est, vel post crudelem pollicis ictum, imperium suum retinet, & coronam. Quod probè cognoscens Iulianus Medices, celsissimus Italiæ Princeps, pro symbolo rosam sibi vendicauerat. rosam nimirum in manu depictam, collectam quidem, & à tellure tanquàm à matre auulsam, verùm pulchram, & recentem adhuc. Quo ingenioso emblemate, animi sui constantiam significare voluit. Et profectò ingrediamur pratum aliquod, siue viridarium floribus refertum: contemplemur liliorum candorem, dulcem violarum ferruginem, liguſtorum lac, & alios suauissimorum florum colores: nonne purpureus hosatum omnes iucunditate, & venustate antecellit? Equidem natura innatam rosæ purpuram dedit, quasi verò iam regina florum omnium nascatur. Neq; hæc rosæ pulchritudo fucum habet, aut ceruſſam, sed propio splendet lumine, in quo lunam præit. Neq; inuolucro aliquo, aut simulato irradiat decore, qui oculos fallat, & sensus decipiat; quemadmodùm luna, quæ cùm sit minor corpore, & luce quàm plurimis astris, maior tamen & splendidior apparet, iuxta illud Horatij lib. 1. Ode 12.

— Micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes
Luna minores.

Color rosæ omniũ florũ colores superat.

Rosa à principio mundi sine spinis nascebatur.

Rosam sine spinis in exordio mundi de terra pullulasse, non pauci è sanctis Patribus affirmant, potissimùm verò S. Ambrosius, & Basilius qui censent peccatum spinas procreasse. *Surrexerat* (inquit Ambrosius lib. 3. Hexæmeron cap. 11.) *floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam floris. Vnde cum vnusquisq; aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quam nobis in paradisi amænitate florentibus spinæ meritu, animiq; sentes, iure condemnationis adscripti sunt.* Nimirum ob peccatum terræ maledictioni obnoxia, spinas & tribulos floribus insertos fulminauit, acutè id pensitante D. Basilio hom. 3. in Hexæmeron, vbi dicit; *Verùm rosa tunc spinis carebat; postea verò pulchritudini florum adiunctæ sunt spinæ, vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento, propinquo afficiamur dolore, recordatione delicti, causa cuius factum est, vt spinas, & tribulos tellus huic addicta condemnationi, nobis proferret.* Ergo ex peccato maledictio; ex maledictione verò spinæ, aculei, vacuitas inanitas, & omnimoda vanitas creaturis adiuncta est, cùm ipsæ priùs solidæ, firmæ, atq; stabiles, velut pulcherrimi flores, sine vlla fraude vernarent. Applaudit huic veritati Habacuc Propheta in suo cantico v. 14 de aureis sceptris, & florentibus sæculi dignitatibus ita loquens: *Maledixisti sceptris eius.* Hebraica versio legit: *Perforasti sceptra eius.* hoc est, vacua, & inania reddidisti, quibus nulla substantia, soliditas nulla, aut firmitas subsit. Vt vel hinc quisquis rosarum mundi huius, sceptrorum amans est, cognoscat minimè se puras, & sine spinarum aculeis capere rosas, neq; firma, ac valida sceptra habere posse. Si enim florenti fortuna veteris, si illustre patrimonium, opulentam supellectilem, magnos fidosque amicos nactus fueris; caue ne tantis bonis peccatum immisceas. Sic enim facilè sepient spinæ istorum florum gratiam, adiungentur aculei, sequentur vanitas & vacuitas, ex peccati radice pullulantia. Audite Regium vatem Psal. 89. *Mane* inquit, *sicut herba transeat, manè floreat, & transeat vespere, decidat; induret, & arescat.* S. Hieronymus exponit: *manè sicut herba pertransiens, mane floruit, & abijt.* Quibus verbis describitur humana felicitas citò aufugiens. Nonne videtis tot Magnates, & Dynastas, eorumq; diuitias, atq; potentiam, *manè*, in ipso videlicet sui ortu simul florescentem, transeuntem, atque exsiccatam. Cuius rationem in citato Psalmo subiungit Propheta illis verbis: *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Ira proinde Dei, omnia hæc temporalia bona, propter iniquitates nostras exsiccat, atq; absumit.

Habacuc 14.

Psal. 89.

S. Hieron.

Verùm crediderim ego, quòd licet peccatum non fuisset ab homine commissum; adhuc tamen rosas sine spinis nequaquam permansuras, cùm id pulchritudo rosæ omninò requirat, teste D.

Basilio orat. 3. de peccato, vbi dicit: *Sic & rosa à principio sine spinis prodierat, sed post ad pulchritudinem floris vepres accessére, vt haberemus simul oblectationem cum dolore coniunctam.* Et epist. 149. addit: Et tale quid de rosis quondam siue ioco, siue seriò referentem audiui, quòd rosarum amatoribus natura minutas illas spinas, quasi quædam amatoria illecta menta illi flori adfixerit, vt stimulis illis ægrè contactum admittentibus, ad maius desiderium colligentes prouocet. Si enim sine solicitudine, & labore colligeres, vilesceret decor rosæ: & ideò clausit prouida natura spinarum sepimento venustatem, vt quantò difficilior accessus, tantò possessio & fruitio floris gratior sit: difficilia enim sunt quæ pulchra. Quid de B. Rosa Virgine Ordinis S. Dominici dicam? nata erat velut pulcherrimus flos sine spinis, patre Gaspare de floribus; matre verò Maria de oliua, verùm, vt eius venustas, atque pulchritudo cælesti sponso magis complaceret, spinas adhibuit mortificando suo corpusculo. Nam in egressu pueritiæ, ex ductili stanno coronam sibi implicuerat, additis clauiculis introrsùs præacutis, hoc diademate caput suum cingens non sine graui vulnere. Diuturno tempore permansit sub hoc spineto, quod præludium quoddam videbatur seuerioris tormenti imminentis ex secunda corona 99. aculeis infixa, quam per integros decem annos ad vltimam vsq; vitæ periodum prodigiosa constantia sustinuit. Sed quid mirum: in sponsam sibi Christus Rosam acceperat, ad vbera Virginis matris pendens, & blandè illam alloquens: *Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto*; ideoq; sponsum pro nobis atrocissimè patientem imitari voluit, siquidem ipse modus, seu genus mortis, quam Dei Filius subire voluit, egregiè nos ad eius imitationem instituit, vt eius doloribus, ac morti ipsi configurari, præcipua nobis cura sit.

S. Rosæ quatuor mortificationes.

Inuestigans S. Paulus, cur Christus passionem mille verberum, spinarum, contumeliarum, & amaritudinum supplicijs obnoxiam simulq; acerbissimam, æq; ac lentissimam crucis mortem elegerit, qui vno ictu obtruncatus, in nostri redemptionem, atq; salutem, mortalitatem potuit explere? Respondet 2. ad Corint. 5. *Quia qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* id est, vt ex ponit S. Ambrosius, peccatoris personam, criminum pœnis obnoxij, siue ipsius peccati labuendi figuram gessit. Vnde S. iste Doctor, postquàm in posteriori Apologia de Dauid cap. vltimo dixerat. *Hoc ad eas referendum videtur, quas Deus in carne suscepit iniurias, quia ieiunauit, quia esuriuit, quia fleuit, quia vapulauit, quia crucifixus est, quia mortuus, quia sepultus est. Hæc enim carnis, non diuinitatis insignia sunt.* Statim subiunxit: *Et necessarium fuit, vt ærumnarum multitudinem miserationum multitudo depelleret. Non enim sua peccata delebat, quia peccatum nullum fecerat; sed quia peccatum factus est, nostra erant delenda peccata.* Nimirum, vt quemadmodùm suo nos ipse sanguine misericorditer redimebat; ita & suo exemplo peccata delere, & perfectam illorum pœnitentiam nos facere, salubriter doceret, ærumnarum multidinem miserationum multitudine, id est, pœnarũ, & tormentorũ acerbitate depellens, peccatumq; modis omnibus plectens, ac crucians, imò corpus peccati euacuans, & singulis membris peculiares cruciatus: pœnasq; assignans. Quod respiciens Paulus, configuratum morti eius se esse dicebat, ad Colosſ. 1. v. 24. aiens: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea*: hoc est, confingo me ad similitudinem Christi crucifixi, vt per labores, & opera pœnitentiæ, peccatum in carne mea ad illius morem, & similitudinem plectens, cruciq́ue configens, Christi satisfactionem mihi applicem, viuumq́ue ipsius membrum capiti adsimile inueniar. Quid enim aliud Christi passionibus, infinitæ virtute & meritis pollentibus, nisi nostra imitatio deesse possit? Hinc opportunè Saluianus Christi fidem tanquam iudicem, qui peccatorem in crucem agit, vt ibi seuerè, & atrociter cruciet, in hunc modum inducit, lib. 1. ad Ecclesiam prope finem: *Crucibus* deniq́ue diuersarum ærumnarum reum in suo corpore hominem iudex fidei seueritas subiugabit, vt indulgentiã scilicet absolutionis æternæ, præsentis, pœnæ, ambitione mereatur.

2. ad Corint. 5.

Ad Col. 1.

Saluianus.

Videte pium certamen, inter Christum, & sponsam eius Beatam ROSAM, quomodò Christo configurari, eiusq; passioni ac doloribus conformari studuit? Christus ita sustinuit dolores suæ passionis, vt ad maiores anhelaret, vt communiter docent sancti Patres, illud verbum Christi *sitio*, exponentes de siti maiorum dolorum. Vnde Cantic. 7. dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; quod itidem de ardentissimo desiderio patiendi, quo Christus tenebatur, intelligi solet: hoc enim desiderium non fuit extinctum tèmpore passionis, licet aquæ, & flumina dolorum, ac iniu-

Cantic. 7.

riarum inundârint. Sancta ROSA aequaliter, quò plures in suo corpore sustinebat mortificationes, eò ad maiores anhelabat: quia perfecti amoris est, amantes in omnibus conformes efficere, vt palàm constat ex illo Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum.* Tigurina lectio vertit: *Tibi vindicasti cor meum*: id est, voluntatem meam: cor enim in sacris literis, pro voluntate accipi solet. Christus quinq́ue millia vulnerum sustinuit, vt refert LODVLPHVS in vita Christi, 2 p. cap. 58. & Ecchius serm. de passione Domini, & non deerat illi affectus quinq; millium millia perferendi. Beatæ ROSÆ pariter non satis erat ferreis catenis tenerrimum corpus suum affligere, acutis flagellis cruentare, nisi sæpiùs in cruentis vulneribus nouum longeq; maiorem renouaret dolorem. Caput Christi septuaginta duabus spinis fuit perforatum, & non deerat illi voluntas 70 earum millia sustinendi: Beata ROSA 99. spinis multisq́ue clauiculis præacutis caput suum noctu diuq; vulnerans, satiari non potuit desiderio maiora patiendi. Propter quod non contenta solis spinis, & clauiculis acutis argenteam laminam flexerat in circulum, illiq; tres introrsus infixerat aculeorum ordines, & hoc dentato ferto dirè vulnerabat caput suum, præsertim cùm spinæ non omnes simul, sed aliæ post aliàs successione molestissima cutem inuaderent, vt pote ex varietate motuum, in singulis vulnerum augustijs obliquatæ; & tamen hæc omnia, ludicra illi videbantur, ideoq; vbi coronæ extrema coibant, vittas innexuit, quarum attractu dolorem intenderet, aculeos altiùs capiti infigens, vt immitiùs pungerent. Christus tres horas exegit in cruce inter dolores omni ex parte acerbissimos, & paratus erat ter mille horas, plureq; ibidem perseuerare. Prompta pariter erat S. ROSA, triennio ante mortem cum omni genere morborum generosè luctabatur; & tamen quasi nullum malum sentiret, grauiora semper pati exoptabat. Christo in cruce sancta pendenti affuit dæmon, vt dolores augeret, aut occultatam assumpta humanitate deitatem, ex inuicta, & natura vires transgredientæ passione posset explorare. S. Rosa pariter non fuit immunis ab insultu diaboli: quantùm enim illam Angeli cælestes amabant, tantumdem oderant furiæ tartareæ, quæ aliquando palam cum generosa puella certabant. Ingentis molossi forma, semel in pomarij cellula per tenebras aggressus erat B. Rosam malignus Tenebrio; pertentauit irrito morsu virgineum corpusculum, & quam discerpere non poterat, diu raptauit per humum, quousq; B. ROSA his vocibus: *ne tradas bestijs animas confitentes tibi*, hostem egit in fugam. Intentauit iterum pugnam cacodæmon, quando ex insidijs adrepens improuisum ei colaphum incussit: quando grande saxum in eam librauit eo connisu, vt eunte ad solum allíserit: quando in secreta ædium parte orante B. Rosam, gigantea mole prosiliens per humeros corripuit, strinxit, contorsit, velut laceraturus oblactantem. Vbi omnia quidem puellæ ossa comminuta videbantur, neuiq́; distracti; infractus tamen animus risit furentem Cyclopis insaniam.

B. Rosa dæmone reportata victoria.

B. Rosa 99. spinis caput vulnerabat.

Miramini forsan, cur Deus B. Rosam sponsam suam adeò violenter à Dæmone impeti permiserit. Verùm debebatur glorioſus iſte triumphus profundæ humilitati, & magnæ virtuti S. ROSÆ, vt superbus hostis ab illa victus caderet. Vt hinc cognoscamus, nullam hominum conditionem ab insultibus dæmonum liberam esse: nec dignitati, aut eminentiæ status, sed solidæ virtuti in tantis periculis victoriam concedi. Sedebat Rex Israëlitarum Saul in throno; & tamen inuentus est à dæmone possessus. 1. Reg. 19. *Et factus est spiritus Dei malus in Saul: sedebat autem in domo sua.* Quid necessum fuit notari Saulis regiam? sanè vt discant homines, quàm parui momenti sint gloriosissimæ quæq; mundi sedes, vt homines eripiant à crudeli dæmonum flagello. Regale palatium construxerat Deus pro homine ad initium mundi creato, Genes. 2. *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* En quàm sublimis sedes? quâ nulla glorioſior, nulla deliciosior, nulla innocentior extitit; & tamen ibi impetitus fuit homo à serpente, indeq; extractus, & raptus per spinas ac vepres. Quod admiratus D. Chrysostomus homil. de cæco nato habitâ tom. 6. ait *Neq; paradisus in pretio habendus est, nisi Dei mandatum in eo seruetur: neq; vilia loca sunt ignominiosa, si in eu sit lex Dei regnantis. Adamus in paradiso propter inobedientiam ignominia afficitur Iobus autem propter patientiam in sterquilinio coronatur: nunquàm enim locorum dignitas comparatur, nisi bona mens concurrat.* Ecce Iobus in sterquilinio sedebat, Adamus in paradiso, vtrumque diabolus impetijt, atque è tali conflictu Adamus exijt multâ ignominiâ plenus; Iob autem coronâ redimitus splendenti.

1. Reg. 19.

Genes. 2.

S. Chrysost.

Num forsan sterquilinium gloriosiùs erat, A quàm paradisus? Absit: sed quia in paradiso Adamus vitio se dedit; Iob autem in sterquilinio à parte virtutis stetit: non enim gloriosæ sedes, sed gloriosi mores faciunt, ne homo pessundetur à dæmone.

Lucæ 10. Psal. 112. Dicebat Deus Lucæ 10. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Iam verò Psal. 112. ait: *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* Conferte ad inuicem stercus & cælum: in cælo cecidit Angelus, in stercore erectus est pauper. Cur non potiùs Angelum suum retinuit a lapsu? cur non potiùs in sublimi statuit? sanè quia hoc opus non colorum, sed virtutis erat, vt docet S. Chrysosth. supra citatus: *Profunda* inquit *est terra, & cælum in sublime tollitur: at è cælo cadit diabolus, postquam transgressus est; & exaltantur è terra inopes. Vides non locorum discrimen efficere, vt superiores euadamus; sed vbiq; fidem, & patientiam, & spem promerentibus coronas acquirere.* Non igitur è sedium gloria, sed è moribus metiri debemus hominem. Sedeat licet in sublimi, si tamen vitijs indulget, vilissimum dæmonum mancipium, & adima terræ proijciendum efficitur. At vero solida virtus etiam in humili casa triumphat: quia itaque continuus virtutum progressus in S. Rosa Deo summè placuit, ideò etiam à dæmonum insultibus noluit esse liberam, victoriam cùm euentu tribuens, & virgineam fragilitatem, ipsis etiam dæmonibus formidabilem reddens.

Dicam ampliùs; totam S. Rosæ vitam, perpetuum fuisse prodigium. Vnicum ex omnibus maximè prodigiosum diuinæ omnipotentiæ opus in sacris literis adinuenio, videlicet igneam columnam, quæ Hebræum populum è miseria ad felicitatem eduxit. Decreuerat summus ille rerum opifex, & molitor Deus, Hebræorum exercitum ab Ægyptia seruitute in libertatem vendicare; decurrenda tamen illi erant, antequam ad promissam terram, lacte & mille fluentem perueniret, infinita propemodum spatia rerrarum, vastæ peragrandæ solitudines, ignoti tentandi colles, inuiæ rupes superandæ, ancipites viarum flexus retexendi, dubij montium tractus adeundi, mille sinus, ambages mille, fallaciter in se valles reuocatæ explicandæ. Quis non aduertit in tanta viarum perplexitate, opus fuisse prudentissimo, ac peritissimo Duce, ne miseri homines pallantes vagarentur, priùs quamlibet plagam, quàm beatam oram, ac destinatam adituri. Optari hoc poterat propter commoditatem, sed postulari timor vetabat propter nouitatem. Verùm diuina bonitas maior precibus, maior votis, quod homines rogare non audebant, liberaliter concessit. Ecce tibi in aëre nubes præire visa est, non vt plerumq; fit, multipliciter fimbriata, sed in columnæ formam, à latiori base in angustum sensim epistylium erecta: non ex terrena fæce, in tenebricosam faciem composita, sed ex puro halitu, in pellucidum ignis candorem mirabiliter induta, quæ inexplicabiles solitudinis labyrinthos Dædaleo tanquàm filo expediret, noctisque caliginem, veluti facem præferens illustraret. Hæc columna expressum mihi S. Rosæ simulachrum fuisse videtur, quod vel ex ipsis beneficijs ab illa columna Hebræorum populo præstitis facilè possumus venari.

Deus populum Hebræum per aspera duxit ad terram promissionis,

Primum illudq; præcipuum beneficium populus Hebræorum ab ignea columna habuit, nimirum sanitatem corporis. Quippè tota illa regio, qua migrandum erat populo, diuinæ legis eo tempore cultori, adeò feruidis solis ardoribus æstuabat, vt neque alendis frugibus idonea, neq; figendis sedibus opportuna, neq; excipiendis peregrinis hospitalis videretur. Quod vel ex ipsis historijs facilè quispiam intelliget, quæ plurimos gentilium tyrannos, vt Pharios, Persicos, Græcos, ac Lationes, qui temerè audebant in illas nationes explorandi causa euagari, incendio radiorum & loci incommoditate absumptos referunt. Hinc Sesostris cæli inclementiam expertus, copias retrò mouit, ni fecisset, in extremam cladem ruiturus. Cambyses vteriùs progressus, aliorum, quos necauerat sanguine, alijs iam iam moribundis, immodicos æstus temperabat. Macedo suos quidem milites, hostilib⁹ cuneis inuictos, iaculatis tamen à sole facibus miserabiliter exustos deplorauit. Cæsar Memphitico oraculo admonitus, ne in tam voraces flammas, se suosq; protruderet, certam sibi mortem destitit machinari. Et nihilominùs Propheta Domini refert. Hebræos incolumes terras illas caloribus æstuantes pertransijsse. Psal. 104. *Et eduxit eos cum argento, & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus*: Nemo enim Hebræorum ex diuturno illo calore in tantulam febriculam incidit, sed omnes vegeto ac robusto corpore aduersas cæli iniurias tolerârunt, benefico afflatu ductricis columnæ, quam præeuntem sequebantur. Quæ ex mente interpretum A sacræ paginæ, aduersus solis violentiam fundebat vmbram, aduersus lunæ rigorem, præstabat flammam, vtramque iucunditatis multum, salubritatis verò plurimum conferentem. En quàm singulare præsidium sanitatis nubes illa præstitit Israëlitis.

Psal. 104.

Beneficia Hebræis à columna ignea præstita.

Verùm contemplemini Beatam Rosam, & nullum aliud, etiam panchrestum mediçamentum in deploratam valetudinem requiretis. Planè sui immemor, Beata Rosa, aliorum memor, vt omnium sanitati consuleret, cuiusque sortis ac conditionis pauperes fœminas, morbis affectas, in domum patriam inferebat, neq; solum tecti, & strati; sed etiam medicinæ, ciborumq; solatio egentes reficiebat. Nulla erat tàm putrida ægritudo, nullum vlcus adeò tetrũ, cui virgineas adhibere manus B. Rosa detugeret, squalore obsitas fœminas eluebat, dolore tabescentes confirmabat, putulentam saniem abstergebat, complexabatur morientes, fouebat exanimes, obligabat vulnera, refrigerabat æstus, ciborum appetentiam fastidienti. bus acuebat, vt vilissimo ancillari officio par infimis redderetur. Vt meritò de B. Rosa vsurpare possim illud celebre D. Hieronymi in Fabiolam elogium: *Morbos in tanta miserorum oblectamenta commutauit, vt multi sani languentibus inuiderent.* Habiturus aliquando erat solemnem concionem B. Rosæ confessarius, quem repentè febris inuaserat, vbi id ad notitiam piæ virginis deuenit, precibus in seipsam febrim concionatoris euocauit, futuriq; euentus certa, confessarium admonuit, præsto illi fore vires, se verò febri non sua coquendam, quod re ipsa euenit. Nobilem quandam virginem egestate, ac morbo pressam, & putulenti cancri peste nulli ferendam, inter paternas ædes recepit, & medicas illi manus admouit sedulitate tanta, vt breui ad salutem reuocauerit. Ioannes Almansa nobilis vir, in periculosa infirmitate decumbens, impetrato solo B. Rosæ alloquio, mox suaui somno correptus, integrè sanus euigilauit. Quis alia innumera curationum miracula recensebit, quoniam B. Rosæ suauitas, ac tenera miseratio, non solùm ad homines, sed etiam ad bruta animantia protẽdebatur.

B. Hieron.

Alterum non minus beneficium, ab ignea illa columna habuit populus Hebræus, nimirum sufficientiam omnium necessariorum: innumerabili quippè illi multitudini, pedestre iter facienti quadragenorum annorum spatio absoluendum, non leue periculum prudens timor incutiebat, ne ad summam inopiam eorum omnium deuenirent, quæ ad victum, & cultum pertinebant, sed prouidentissima ductrix, id est, columna viam monstrans, ne vnius quidem diei indigentiam ferre permisit, nec vllas paupertatis molestias degustare: vestes quæ nisi frequenter aut mutentur, aut interpolentur, agitatione dissuuntur, vsu atteruntur, vetustate consumuntur, eundem semper nitorem, eandem elegantiam conseruâ runt. Calcei quos viarum asperitas conficit, saxorum affrictus lacerat, incurrentium cespitum offensiones rescindunt, nunquam obsoleti, nunquam olidi, sed semper integri, semper recentes extiterunt. Quid si ferculorum apparatus voluero recensere, profectò fateri debebimus, neq; in Imperatorum aulis, neque in Regum curijs tantam eorum copiam reperiri. Postquam enim filij Israël venerunt in Elim, ibi statim gelidæ fontium perennitates occurrebant ex Elima valle erumpentes. Exodi 15. *Venerunt autem* filij Israël in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum; nam virga Moysis percussâ rupes iucundissimos in latices C foluebatur. Ibi sponte sua coturnices gregatim conuolantes, sese induebant, non in laqueos, sed in manus omnium copulandæ. Ibi nectareæ dapes è cælo missæ, suauiores Atticis, aut adoreis tragematis, saliaribus, vel Sybariticis conuiuijs lautiores, cùm summa admiratione in cibos, in delicias colligebantur, teste sacra pagina Exodi 16. *Et ascendens coturnix cooperuit castra, mane quoq; ros iacuit per circuitum castrorum.* Plane cùm populus tunc ciborum penuriâ valdè flammesceret, & sub vesperum tanta coturnicum multitudo vbertim suppeteret; quis ambiget illa nocte assis, aut elixis coturnicibus, famem abundanter expletam fuisse.

Exodi 15.

Exodi 16.

Illud tamen stupore non caret, quòd Hebræorum populus coturnices vespertino tempore gregatim ante tentoria cadentes; sine pane comederint: manna siquidem in locum panis, qui deerat in solitudine, non nisi sequenti mane datum illis erat: *Manè quoq; ros iacuit per circuitum castrorum.* Vbi rorem illum Moyses panem appellauit, loquens ad populum: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Quæ verba Abulensis q. 6. in Exodum ita exponit: *Vocatur manna panis, licet non esset panis, quia ita nutriebat, vt panis:*

Abulensis.

vel ita erat fundamentum omnium aliorum cibo- A *rum, ſicut panis. Scilicet, quòd ſicut cùm pane omnia cibaria comeduntur, & ſine ipſo quaſi cruda videntur; ita eſt de manna, quia cum ipſo omnes comedebantur cibi.* Noctu igitur coturnices igne conditas populus Hebræorum auidius vorauerat, earum carnibus ſeſe ingurgitans; ſed quaſi crudas, quia defuit illis panis, omnium aliorum ciborum fundamentum. Quò pluris facerent manna, id eſt, panem, opinatiſſimum Euchariſtici panis typum, ad oſtendendum quod ſine Euchariſtiæ pane reliqua edulia, quaſi cruda ſint, incondita, inſipida, & ferarum potiùs, quàm hominum alimen- B tum. Quippè ſine Euchariſtia deeſt hominibus eduliorum fundamentum, quod eſt panis, ſine quo & delicatiſſimi cibi nequaquam ſapere poſſunt. Vnde Booz Rutham ad conuiuium inuitans, ſolius panis meminit, tanquàm optimi eduliorum condimenti. *Quando* inquit *hora veſcendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccelam tuam in aceto.* Hinc de Euchariſtico pane Chriſtus faciens ſermonem, dicebat Apoſtolis: *Accipite, & diuidite inter vos,* Quid ſibi vult verbum iſtud *diuidite?* An certè poterit abſq; ſectione diuidi, quod abſq; defectu participatur? Sanè in Euchariſtia panis videtur, & Chriſtus C ſubeſt; non apparet membrorum articulata diſtinctio, non incorporea, & ſanguinea ſubſtantia; nec inibi humanis oculis ſcintillat diuina maieſtas; ſed arguto inſtitutoris ingenio, totus in toto, & in particula minutiſſima Chriſtus totus deliteſcit. Quod ingeniosè tetigit Cæſarius. Cæſarius, lib. 3. Dialog.. *Credimus* inquit *Secundùm ſermonem diuinum, etiamſi non ſit ſimile, vel æquale; propriè tamen & conuenienter, id eſſe corpus diuinum, quod in diuina menſa ſanctè conſecratur, & vniuerſo cœtui ſacro abſq; ſectione diuiditur. & abſq; defectu participatur. Neq; enim ſol deſinit indigens lucem præbere, neq; mare per ſalem participatum, vſq; ad fundum exhauriD tur, neq; ignis infinitas ſuccendens faces langueſcit.* Moxq; ſubijcit: *Neq; item aër omnium animatorum reſpiratione minuitur.* Ingenioſè ſatis Euchariſtiam comparat aëri, cuius reſpiratione, & exſpiratione homines viuunt. Nam panis Euchariſticus, ſpiritus, & vita hominibus eſt: & quemadmodùm aër omnium reſpirationi donatur: reſpiratione enim viuimus, defectu reſpirationis exſpiramus; ita planè panis Euchariſticus, non ſolum vitæ ſpirituali alimentum præbet: ſed etiam vitalem reſpirationem ſubminiſtrat. Et ſic quemadmodùm aër omnium animato-

rum reſpiratione non minuitur; ita panis Euchariſticus non confractus, non conciſus, non diuiſus, integer ab omnibus ſumitur. En quanta prouidentia Dei circa populum Hebræorum in deſerto, vt nemo ſanus vel Attalicas perſarum veſtes, vel mulleolos calceos Albanorum, vel hyematas Cæſarum potiones, vel pollucibiles ſacrificiorum cænas, in tanta rerum copia deſideraret.

S. Rosa ad ſubueniendum in neceſſitatibus prompta.

Hinc iam in B. Roſam veſtras cogitationes intorquete, & eius ſubſidia in neceſſitatib⁹ præſtita perpendite. Triginta ſex vlnas candidæ telæ à matre donatas acceperat B. Rosa ad ſudaria, vela, mantilia, omnemq; candidi nitoris ſupellectilem formandam pro arbitrio ſuo, quas licet ipſa pauper eſſet, duabus virginibus, genere & virtute nobilibus, paupertate nihilominùs preſſis ſecretò donauit. Certior aliquando facta domeſticæ penuriæ, quòd panes deeſſent arcam aperuit, & plenam inuenit panibus, vltra domus illius morem candidis, azymis, & ſaporoſis, vt ex ſola figura inuſitata, ac peregrina euidenter conſtaret, aliunde miniſterio Angelorum tranſlatos fuiſſe. Non multò poſt in patria domo defecerat mel, neceſſarium illis regionibus condimentum, certior de hac indigentia a filijs facta mater, B. Rosam ad explorandum ſubmiſit, vtrum res ita ſe haberet, quæ vas, quod antea fundo tenus exhauſtum erat, inuenit vſq; ad ſupremum labrum, recenti melle impletum, quod nouo prodigio integris octo menſibus toti Familiæ in vſum ſuffecit. Gasparem Flores parentem B. Rosæ premebat ægritudo corporis, animiq; mæror ob 50. librarum debitum, cui ſoluendo non erat: vbi hoc reſciuit B. Rosa, illicò in templo orans preces ad Deum fudit, & ecce domum redeunti vir planè ignotus, inuolutam ſtrophiolo pecuniam, quæ exſoluendo debito ſufficeret, ad manus porrexit. En quomodò ſe B. Rosa in ſubueniendo hominum egentium neceſſitatibus, officioſam exhibuit.

Plato.

Erubeſcat hic Plato, qui paupertatem, & improbitatem à Deo germanas eſſe, vt vix vnquàm diuellantur, auſus eſt aſſerere. *Quacunq;* (dicebat ille) *in vrbe mendicos videris, in eadem neceſſe eſt fures, corycæi, manicularij, ſectores crumenarum, mancipia turpitudinis, omnium malorũ artifices, omniũ ſcelerum architecti delitescant. Illi enim neceſſitatis vi adacti, nil non agunt, nihil non moliuntur, dum modò ſuæ conſulant egeſtati: proculcant leges, proterunt iura, peculantur fana, compilant vrbes, corradunt omnia,*

omnia, demùm cuiuſlibet flagitij nomine, ſibi vitæ A *præſidia lucrantur, vt rectè quidam canit: ſceleri proclivis egeſtas.* Vnde Athenienſes arbitrati ſunt, multorum vtilitatem, paucorum incommodo præferendam eſſe: iudicabant exhauriendam eſſe à Republica huiuſmodi ſentinam. iſtud genus hominum procul à ciuitate abdicandum. Non ſic B. Roſa, quæ cùm optimè intelligeret, pauperes in numero hominum degere periculoſum, eoſdem à conſortio hominum relegare, inhumanum; ita pauperes retinuit, vt paupertatem ſuo labore excluderet; ita paupertatem excluſit, vt pauperes retineret. O ſu B blime, perfectumque iudicium! O ſingularem ac propè diuinam ſapientiam! vt ne hoc quidem nomine Athenæ bonarum artium altrices, prudentiſſimæ Virgini, B. Rosæ præire videantur.

Columna ignis Iudæos ab omni hoſtium inſultu defédit.

Tertium deniq; beneficium habuit populus ille Hebræus à columna ignis, ſecuritatem ab omni hoſtium impetitione. Extulerat iam caput è miſera ſeruitute exercitus Hebræorum, pedes, manuſq; nefarijs vinculis exuerat, tentare iter cœperat in beatam regionem patriæ libertatis. Primis, alteriſq; caſtris ad Erythræum mare ventum eſt. Miles otium nactus à labore, ſuis ſe deonerare ſarcinis, figere tentoria, indulgere cibo, curare corpora, pluteis circumdatis ſe in ſoporem, & quietem tradere properauit. Interim Pharaonem vel concinnatis aliorum verbis circumuentum, vel inſita animi leuitate fluctuantem, æſtus quidam cogitationum inuaſit. Qui claſſicum canere cœpit, militem armis inſtruxit, totam fermè Ægyptum, vireſq; orientis, & vltima ſecus Bactra traxit Hebræos inſecutus. Proclamatum furibundi Regis edictum per caſtra, vt iiſdem ſemper inhærentes veſtigijs, inſequantur fugientes Hebræos, in priſtinam q; vnde euaſerunt, reducant ſeruitutem. Fiunt omnia iuxD ta mandatum, adoritur ſubitò incautos, & ad maris oram otioſè feriantes innumera hominum multitudo, armis horrida, animis truculenta, falcatis curribus ſuperba, ſonabat litui, æra perſtrepebat, inconditis clamoribus vltimum exitium minitabatur. Quid Hebræorum populus in tanto diſcrimine poſitus? expaueſcere cœpit, frangi, deficere, collidi, ſibi mortem, Moyſi diras imprecari. Quid tunc afflictus Moyſes agere potuit? ſi iter vlteriùs promouere voluiſſet, obſtabat immenſa illa vaſtitas vndarum, vnumquemq; ſi vltrò perrexiſſet, præ altis vo-

raginibus hauſtura. Si retrò pedem mouere tentaſſet, fruſtra; hærebant enim in tergo hoſtiles cunei, in illius certiſſimam cladem, ſi loco moueretur ruituri. Verùm nubes illa, quæ primum agmen Hebræorum anteibat, mira celeritate recurrit ad poſtremum, & media inter vtrumq; ſita exercitum, iam propè volitantium arma diremit: Hebræorum tutata eſt tergum; Ægyptiorum verò retudit impetus: illorum fugientium confirmauit animos, horum conatus eluſit inſequentium.

Ignæ columnæ quanta virtus in cohibendo mari.

Ponite hic ante oculos veſtros Beatam Roſam, & facilè deprehendetis longè maiora beneficia populo Chriſtiano eius interceſſione collata eſſe. Ignea illa columna Erythræum mare facto aquarum diuortio, in contrarias partes cedere fecit, fluctus hinc inde retrorſum compulit, & in immenſos cumulos glomeratos, tanquàm abiecta crepidine ſuſtinuit, ne in miſerandam eluuionem dilaberentur. Secutæ illam Hebræorum copiæ, ficco alueo exceptæ ſunt, & quadrato agmine incedentes ad vlterius littus feliciter euaſerunt. Inſtabant Ægyptij animo iam prædam deuorantes, verùm ad medium mare perlati lutulentis vadis inhæCreſcentes, difficultate itineris perterriti retrò commeare cæperant, cùm ſubito ab vtroq; littore, mare coire videretur, & metiendo ſpectaculo omnes obruit, arma currus, equos, homines, ac Ægyptia gaza per vndas inuoluit. Verbo dicam, nubes illa ita interpres fuit dirimendi belli, concordiæq; firmandæ, vt vnius partis commodis inſeruiret, alterius pernicie em moliretur. At verò B. Rosa nemini vnquam nocuit, & omnibus ſemper profuit. Quoties enim ad interiora meridionalis Americæ conuertebat oculos, cruciabatur medullitùs, illachrymans perditioni tot Barbarorum: & aliæ gentes Chriſtianis legibus non excultæ, perpetua illi erant materia lachrymarum. Optabat viſceratim diſcerpi, ac retis inſtar oppandi voragini, quâ tot animæ infelices ruebãt ad Tartara. Tanta illi cura fuit, & zelus periclitantium Chriſtianorũ, vt pro eis cruenta ſibi quotidiè vulnera infligeret. Vincentium Monteſium nobilem iuuenem, qui eius amorem nimium deperibat, ita Sanctiſſimis verbis ad virtutem accendit, vt is ſobriam, & grauem viuendi rationem inſtituerit, ſingulis ad minimum octiduis diuino epulo refici conſuetus. Fœminam præcipitis iracundiæ, ad tractabile pacis ingenium, inſti-

S. Rosa omnibus ſemper profuit.

instituta de tranquillitate animi, suauiſ- A sima concione reuocauit, adeò, vt fateretur recordatione manſuetiſſimæ Beatæ Rosæ ſopiri, quaſcunq; flammas naturæ ignis accenderet?

S. Antonio elemẽta & animalia obediebant.

Quid loquar de ſtupenda eius in terrena animalia poteſtate? Vni D. Antonio Lvsitano mirabile in quatuor mundi elementa, & creaturas in illis degentes, conceſſum fuiſſe imperium, hiſtoria teſtatur, vt minimo eius nutui prorſus obtemperarent. Propè littus, vbi mare multiplici vndarum colliſione efferueſcit, cæleſtis doctrinæ præco ſingularis, nominatus Antonius aliquando B conſederat; cumq; plebem duro & immiti ingenio, ad pietatem nòn ſatis emolliſſet, ſuam aliorſùm traxit dictionem. Piſces, qui ſoli neſciunt inter animantes manſueſcere, euocauit in littus ad colloquium inuitans, vtq; rebus diuinis audiendis ſuam operam commendarent, adhortatus eſt. Quis crederet hominem ita dicendo valiturum, vt tàm rudes, & intractabiles auditores eruditet, tàm indociles edoceret, tàm inexorabiles exoraret. Et tamen omnis ſubitò maris tumor ſeſe fregit, molliter criſpatæ ſunt vndæ, placitò æſtu ripæ alluſæ; piſces ex abditiſſimis ſpecubus, in quos eoſdem C natura detruſerat, & compegerat, foras emicare, in ſumma aqua gregatim enatantes confertiſſimè denſari apparuêre. Suis quiq; ordinibus, vt maiores aut minores erant potiti, omnes in concionantem Antonium intenderunt oculos, perpurgarunt aures, fauerunt, applauſerunt, geſticulati ſunt. Demùm fauſta cum pace abire iuſſi, colla ſubmiſerunt, pinnas explicârunt, hilaritatem oſtentârunt, obſequium pro anathemate rependerunt. Verùm non minus prodigioſum fuit obſequium, à culicibus B. Rosæ exhibitum. Innumera illorum agmina ſoli humiditas, arborumque frequentia D partim gignebat, partim in anguſtam virginis cellam pertrahebat, velut amicum ſuo generi vmbraculum, præcipuè vbi ſub meridiem, radij ſolis ardentes, aut ſub veſperum ſerenæ noctis algores, tenuiſſimis corpuſculis imminebant. Nihilominùs in tot culicum legionibus, quibus ſcatebant vndiq; parietes perſonabat oſtium, feneſtræ implebantur, ne vnicus repertus fuit, qui B. Rosam attingere auſus fuerit, cùm alias matrem, aliaſq; religioſas, fœminas, ex permiſſu B. Rosam inuiſentes hoſtiliter inuaderet moleſtiſſimus ille culicum exercitus.

B Rosa à culicũ morſu immunis fuit.

Neq; ſolùm ab omni infeſtatione moleſta in B. Bosam abſtinebant culices, verùm etiam ad eius imperium in omnia ſeſe flectebant obſequia: vbi enim Beata Rosa laudes omnipotentis Dei celebrabat, illi quoque concentu leniſſimo ſparſi in gyros, arguta miſcebant murmura, phalange ita ordinata, ac in ſe flexibus aptiſſimis redeunte, vt chorum credidiſſes, cui ratio dux præſideret.

Chriſti familiaris cõuerſatio cũ B. Rosa.

Sed quid mirum B. Rosam tàm efficax imperium habuiſſe in culices, cùm Chriſtus ſeipſum totaliter ei communicauerit, ſæpiùs in ſpecie formoſiſſimi infantis ad deliciandum cum illa deſcendens. Dum enim B. Roſa ſacros libros percurreret, paruus Amor vix digiti ſtaturâ proceriot, obambulabat paginis paſſu leniſſimò, & interim ſereno, ſuauiq; obtutu ſponſæ ſuæ blandiebatur. Dum telas conſueret, laborantis puluilo quietiſſimè inſidebat, arridebat ridenti, breues protendebat vlnas, velut offerens amplexum, eiq; geſtu, ac motu ſuum amorem manifeſtabat. Dum feſſam laboribus cernebat, ad ludum eam inuitauit: dum in hortenſi cella, nocte concubia viribus deſtituta fomento indigeret, ſui lateris ambroſiam delibandam, cordi virginis Christus obtulit. Dum poſt ſancta colloquia de more ſecederet ad orandum, ſeptennis puella, iuxta eam vidit puerum Iesvm multicolori amictu indutum, & radijs coruſcantem. Imò in ædibus Iſabellæ Mexiæ, viſus eſt diuinus infans, conſertis cum illa manibus in porticu obambulans, miſcere ſecreta colloquia, hærere in ſponſæ vultu, tanquàm rerum omnium oblitus: adeò, vt Chriſtus religioſiſſimæ cuidam fœminæ proteſtaretur, à ſe B. Roſam geſtari in penetralibus cordis, ſeque viciſſim in eius virgineo pectore tranquiliſſimè habitare. Sed & Auguſtiſſima cæli Regina frequenti alloquio, aſpectuq; B. Rosam dignata eſt, cubiculariæ officia illi exhibens, maneq; dormientem Roſam à ſomno excitans. Nam ſi quando prægrauante ſomno, ad præſcriptam horam euigilare non poſſet, ſubitò aderat conſpicua Virgo Deipara, & niuea manu pulſans dormientis latus, voce nectarea eam compellabat his verbis: *Surge ad orationem filia, ſurge nam inſtat hora.* Vt ſcilicet ex hoc familiari cum Chriſto, & Deipara conſortio, plenam cæleſtium rerum notitiam deguſtaret.

Virginis Deiparæ amor in B. Rosã.

Ex inſcrutabilibus Dei arcanis, difficillimam eſſe fatentur Theologi beati-

Beatitudo æterna ex omnib⁹ difficillima.

rudinem æternam. Licet enim ratione A naturali poſſit euidenter oſtendi, eſſe in homine capacitatem, ad conſequendum beatitudinem, eò quòd homo ſecundùm ſuam naturam, ordinetur in finem vltimum, cuius conſecutio eſt beatitudo. Nihilominùs nullo modo ratione naturali poteſt euidenter oſtendi, quòd homo ſit defacto conſecuturus beatitudinem. Quòd enim homines de facto conſequantur beatitudinem, hoc pendet ex gratia, aut ex libera voluntate Dei, nulla autem ratione naturali poteſt euidenter oſtendi, quòd Deus decreuerit; aut dare hominibus gratiam neceſſariam, aut quòd iſtam voluntatem habuerit. Imò non poteſt ratione naturali euidenter oſtendi, etiam poſſibilem eſſe homini beatitudinem ſupernaturalem, quæ in Dei viſione conſiſtit. Nam hæc poſſibilitas ſolùm conſtat ex diuina reuelatione iuxta illud 1. ad Corint. 2. *Oculus non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti diligentibus te*, qui locus ab omnibus intelligitur de beatitudine conſiſtente in viſione Dei: Et tamen B. Rosa de æterna ſua beatitudine fuit certificata. Semel quippè concuſſa erat pauida formidine, circa prædeſtinationis arcanum omni animæ tremendum; ſed illicò Dominus ita eius C cor allocutus eſt: *Filia neminem condemno, niſi volentem condemnari. igitur ex hinc tranquillo animo eſto.* Vnde ex eo tempore adeò firma fiducia cordi virginis inhæſit, vt interrogata à viris magnis, an ſuæ ſalutis certam notitiam diuinitùs accepiſſet, fateri compulſa fuerit: ſuperna illuſtratione tempeſtiuè ſe didiciſſe, quòd ab æterno electa eſſet ad cæleſtem gloriam.

B. ad Cõrint. 2.

B. Rosa ante triennij mortẽ præſciuit.

Hinc ante triennium ſuæ mortalitatis optimè præſciuit, feſta D. Bartholomæo die ſe morituram: ideoq; annum ſuæ ætatis 31. ingreſſa, cuius ad exitum ſe non deuenturam cognouerat, quatu- D or ante obitum menſibus optimè valens. eos ad quos ſpectabat, admonuit de tempore, atq; mortis genere, quo viam vniuerſæ carnis ingreſſura erat, quin imò & locum deſignando, in quo debitum naturæ ſolutura erat. Itaq; ritu Chriſtiano, Sacramento Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis benè munita, capite ad nudum lignum acclinato, quò magis crucis incommoda delibaret, Iesvs, Iesvs mecum ſit, dulciſſimè ingeminàs, ad nuptias eius introiuit. Cuius ſicut mortem admirabilem; ita & ſepulturam glorioſam Deus eſſe voluit. Poſtridiè enim vix dies illu-

Funus ſanctæ Roſæ glorioſum.

xerat, innumera hominum multitudo omnis ſtatus, ætatis, conditionis, ad ædes, de quibus corpus efferendum erat, confluxerat. Circumfuſi promiſcuè nobiles, ignobiles, aduenæ, ciues, peregrini certatim properabant, plateas, fora, vicos, quâ tranſeundũ erat, præoccupantes. Acceſſit ampliſſima curia Senatorum, qui honos nonniſi defunctis Proregibus præſtari ſolet. Primùm feretro ſuppoſuit humeros Capitulum Metropolitanum, deinde mutatis vicibus Curia Senatorum, mox Primores ex religioſis Ordinibus: tota planè ciuitas effuſa in occurſum tanti ſpectaculi, clamoribus pulſabat ſidera, ſanctam aſſeuerans B. Rosam.

Miracula ad ſepulchrũ S. Roſæ quanta.

Vultis audire miracula, quæ in hodiernum vq; diem, ad ſacrum eius ſepulchrum fiunt, hæc paucis attingo. Ipſa terra ſepulchro B. Rosæ effoſſa, innumera languorum genera curauit, & periculoſas febres extemplò abegit. Sexenni Virgini muſculos gutturales inflammauerat Synanche, vbi medicus vlcere inſpecto, negauerat puellam curari poſſe, iam enim gangrena ſe plagæ inſinuauerat, & eroſæ carnes fruſtillatim vlceri excidebant, atq; in dies ſerpebat malum, verùm ſalutifero epoto puluere, illicò conualuit, non ſine magna omnium admiratione. Ab annis 20. Abbatiſſa monaſterij S. Claræ, miſerè torquebatur ex inflatione tibiæ, in qua ſparſim quadraginta vlcerum hiabant ora; ſed puluis ille ſalutaris ſepulchro B. Bosæ effoſſus, vnico contactu & febrim per viſcera ſæuientem extinxit, & vlcera clauſit. Paucis multa? inuocato auxilio S. Rosæ, reuocati ſunt ad vitam 79. defuncti, ſanati in omni genere morborum 81. Fœminas præcipuè puerperij doloribus tabeſcentes, præſentiſſimo auxilio B. Rosæ patrocinium ſæpiſſimè recreauit, propter quod plurimis pueris, ac puellis, additum fuit cognomen de Rosa, in perpetuum beneficij monumentum.

Corpus S. Roſæ poſt 15. annos incorruptũ repertũ eſt.

Illud ad extremum, omnem ſtuporem hominum excedit, quòd corpus B. Rosæ, poſt 15. annos à morte incorruptum, integrum, oſſibus ſicca hinc inde carne obductis, & ſuauiſſimum odorem ſpirans, quo fragrare ſolent ſiccatæ ad ſolem roſæ, repertum ſit. Cuius rei duplicem ego rationem reperio, *primam*, quia B. Rosa aſſidua fuit in diuinis laudibus, talis autem homo incorruptionem ſuo corpori promeretur. Colligo id ex Pſal. 91. vbi Regius Vates iuſtum hominem Cedro comparat: *Iuſtus* inquit, *vt palma*

vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Quia ergo Cedrus corruptioni nō est obnoxius, ideò ei iustū hominē assimilat Propheta. Cedrus profectò Dei est iustus, quia exedi nō potest, corrumpi nō potest. Colligo & ex S. Bonauēntura, toti Ordinis Seraphici Antistite, qui cum 32. anno ab obitu S. Antonij Patauini, aperta tunna, in qua sacrum eius corpus seruabatur, linguam solam inter cætera membra soluta in cineres, succi plenam, & sanguinis, velut viuentem, & spirantem aduertisset, manibus excipiens cælestem hunc thesaurum, gaudio in primis delibutus, vbertim fudit lachrymas; tandem post aliquod interuallum exclamauit. O *lingua benedicta, quæ Deum benedixisti, atq; alios benedicere docuisti.* Palam ostendens, ideò linguam S. Antonij incorruptam, & illæsam seruatam esse, quia Deum semper benedixit. Quid de B. Rosa loquar? Horas illa duas, idq; non semper integras, somno indulsit, reliquum tempus ita distribuens, vt ex diurno nocturnoq; duodecim quotidiè horas orationi seponeret; alias verò impenderet fœmineis laboribus, quibus parentes sustentabat. Imò etiam intra manuum labores, ac extima opificia, mentem totaliter affigebat diuinitati; adeò, vt siue modicum dormiret, siue vigilaret, dùm neret, texeret, sericos acu pingeret flores, alios alloqueretur, comederet, legeret, in horto, in platea, vbiq; locorum, ac gentium, perpetuò obuersaretur animæ eius oculis, suus amor Deus, atq; diuina hæc præsentia, ita B. Rosæ internas potentias occupabat, vt illam ab extimis sensibus, non adeò detorqueret. Quapropter respondebat appositè ad omnia, prosequebatur institutum opus, ac domi satagens circa frequens ministerium, in sui cordis penetralibus, cum sponso cælesti Iesv deliciabatur. Iam verò inter orandum; omnia torpebant illius sensus ad obiecta, quæ ad se minimè pertinerent. Hinc in templo defixis in aram oculis; nec prætereuntes videbat, imò nec si aliquid in pupillas incurreret, attrahebat nictu supercilia, sed veluti rupes immobilis, quo loco, situq; ad orandum se composuerat, eodem post horas, post diem integrum, post solitum cum die binoctium, inuariata persistebat. Vltimis autem vitæ annis, à mane feriæ quintæ ad sabbatum vsque, non nunquàm & ad Dominicam diem, in domestico oratorio perseuerabat, omnino impos de pauimento surgere. Hinc ex continua orandi assiduitate, corpus eius sacrum incorruptibilitatem obtinuit, quoniam teste D. Augustino, *qui Deum benedicit, semper augetur.* S. Augustin.

9. Rosa tota fuit in oratione & laboribus.

Alteram inuenio causam, quia S. Rosa totam fermè vitam suam, sine peccato transegit, quod sic deduco. Corruptio infligitur à Deo in pœnam peccati: triplicem enim hanc agnoscunt Theologi. *Primam*, quâ quis abit in nihilum: *alram*, quâ animus à corpore separatur: *tertiam*, quâ cadauer in terram soluitur. Porrò omnes istas corruptiones, ex peccato originem trahere, vnicuiq; fole clariùs constabit. Si enim loqui voluerimus de prima corruptione, quâ quis abit in nihilum, de hac loquitur S. Augustinus tract. 7. in Ioan. *Nihil fiunt homines, cum peccant.* Et S. Anselmus lib. 1. solil. cap. 5. *Quoties à bono deuiat, nihil efficeris.* Et S. Bernardus 5. de cons. c. 10. *Peccato* inquit, *in nihilum redacti sumus.* Comprobatq; Propheta Ezechielis 28. *Peccasti, nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Vnde S. Paulus 1. ad Corint. 3. infert: *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod si de altera corruptione loqui voluerimus, quâ animus à corpore separatur, hanc D. Gregor. Nazianz. *Peccati filiam vocat*, fundatus in illa authoritate Sacræ Scripturæ, Genes 2. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.* Vnde dicit S. Augustinus.: *Non lege naturæ mors infligitur, sed lege peccati.* Et ideò Propheta Domini Oseæ 13. prudenter peccata appellat, *venas mortis*, quia vt exponit D. Hieronymus; *Quemadmodùm per venas terræ aqua deducitur, ita etiam mors per peccata in orbem deriuatur.* Nec minus D. Paulus eleganter ad Rom. 6. *Stipendia* inquit *peccati mors.* Nam vt explicat Caietanus: *Sicuti pugnanti militi debetur stipendium; ita etiam peccanti homini debetur mors, seriùs ocyùs sine dubio soluenda.* Deniq, tertiam corruptionem, nimirum cadaueris resolutionem in terram, à peccato proficisci, quis non videt? Peccauit olim Tyriorum Princeps; & subitò cæleste oraculum has illi pœnas minitari auditum est. Ezech. 28. *Dabo te in cinerem super terram, in conspectu omnium videntium te.* Peccauit Hebræorum populus, & statim simile supplicium ei prædixit Isaias cap. 33. *Erunt populi quasi de incendio cinis.* Peccauit infidelium multitudo, audite, quem illi exitum annuntiauit Malachias cap. 4. *Calcabitis* inquit *impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Peccauit parens humani generis Adamus, & in sua, & in nostrum omnium personâ, & ecce statim pœna in eum, nosq; omnes proclamata est: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ergo omnis corruptio è peccato, tanquàm è primo fonte promanauit.

Omnis corruptio ex peccato originem trahit.

Genes. 2.

Ad Rom. 6.

Ezech. 28.

Isaiæ 33.

Malach. 4.

Hic iam sistite vestris obtutibus Beatam Rosam, eiusq; admirandam considerate sanctitatem. A prima statim puericia, S. Rosa cælestes stimulos, & tranquillum orandi spiritum conceperat, adeò vt nihil illi dulcius esset, quàm loqui cum Deo, rebusq; diuinis inhærere. Vnde interrogata à magnis Doctoribus, quanto sudore pugnauerit in prauas animi inclinationes; respondit, vix se meminisse talium certaminum, & ab infantia propensione quadam innata, complexam esse virtutem. Insurgente verò aliquo indeliberato motu, is repentè ex apprehensione diuinæ præsentiæ, cui tota S. Rosa immersa erat, euanescebat. Quæsitum deinde ab illa, num quid solatij caperet ex rebus creatis, quando animum cōtemplandi labore fessum remittebat; negauit se posse rebus perituris exhilarari; & si ad momentum perderet conspectum Dei amantis, id sibi videri atrocius quauis gehennâ. Si igitur magna sanctitas Moyses, ex quadragenario ieiunio commendatur; similiter Heliæ, quòd fugiens persecutionem Iezabellæ crudelissimæ Reginæ, vnico pane subcinericio, & aquâ frigidâ refectus, suasu Angeli longissimum iter confecerit. Quis ex prodigiosa S. Rosæ abstinentia, summam eius sanctitatem non colliget, quæ ab ineunte quadragesima, omnem sibi panem subtrahebat, solis malorum aureorum seminibus parcissimè victitans, illisq; duntaxat quinque, dum sexta feria recurreret. Imò vnico pane, illoque sat exiguo, & aquæ vasculo, quinquaginta dies aliquando transegit, & altera vice idem spatium, ne guttulâ quidem aquæ recreata decurrit. Quid quòd octo solidos dies, nullum aliud, præter diuinam Eucharistiam alimentum admisit.

8. Rosa nihil solatij ex rebus creatis capiebat.

Abstinentia S. Rosæ admirabilis.

Non aberrabo itaque, si tantæ sanctitatis Virginem, S. Rosam, Arcam fœderis, & sedem Dei appellauero. Erat profectò Arca fœderis: nam quemadmodùm ex illa cælesti Arca, dabantur oracula; ita S. Rosa diuinæ mentis aperiebat arcana: cùm enim præstantissimi aliqui Theologi audirent, quæ S. Rosa de inscrutabili Trinitatis mysterio, de hypostatica Verbi diuini vnione, de libro vitæ, ac prædestinationis, de natura gratiæ, alijsq; fidei secretis subtilissimè promebat: nullum par acumen illius virginis ingenio, nullam mentem liberaliùs à Patre luminum illustratam, se vnquàm cognouisse professi sunt, vt manifestè pateret, diuinum spiritum fuisse, qui in virgine loquebatur. Ergo quemadmodùm Arca fœderis facta est ex lignis sethim imputribilibus, vt habetur Exodi 25. ita sacrum B. Rosæ corpus, incorruptibilis naturæ esse debuit. Erat sedes Dei. Cælum sedes Deo est, quia enarrat gloriam eius, Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* S. Rosa quid aliud faciebat, nisi laudes Dei continuò prædicabat: & ideò cælestis sponsus, nullibi iucundiùs deliciari voluit; quàm in corde S. Rosæ. Dum enim hortensem cellam incoleret, imentis excessu, vidit circa se vndiq; solum consperſum rosis, & obstupescenti quonam pacto, tàm repentino vere tegeretur terra, mox paruulus Iesvs apparuit, & S. Rosam blandè compellans, iussit sparsas rosas colligere. Lectas illa diuino puerulo attulit, qui ex omnibus vnicam in donum popoſcit, nimirum illam ipsam aiens: *Hæc tu Rosa es, cuius proindam curam assumo*, vt hinc quisq; facilè cognoscat, pluris Christū æstimasse puritatem vnius S. Rosæ; quàm ipsius cæli splendorem per rosas adumbratum. Ergo si cælum non corrumpitur, minimè quoq; sacrum B. Rosæ corpus corrumpi debuit, quod tantoperè Christus Iesvs adamauit.

S. Rosæ diuina mysteria fuerunt patefacta.

Ecce igitur habetis S. Rosam, Virginem Deo dicatam, cuius tota vita perpetuum fuit prodigium, ob inauditas mortificationes, continuas deuotiones, & familiares cum Christo conuersationes, vt cognoscatis, etiam in tenerrimo Virginum corpusculo, maximæ virtuti, summisq; Dei fauoribus, atq; gratijs locum esse. Accipite igitur tàm inæstimabile pignus patrocinij vobis in S. Rosa nunquàm defuturi, & virtutum eius, atq; sanctitatis odoribus reficiamini: quoniam omnibus data est in pignus, vt pro omnibus Deum oret. Ad te iam inclytæ Religionis D. Dominici, deuota corona, meum sermonem conuerto, *melior portio gregis Christi*, vt appellat Cyprianus. *Ciuitas in terra cælestis!* vt vocat S. Chrysosthomus: *Perpetuum in terris miraculum*, vt Sanctus Bernardus. Vobis hodierna deuotio ad sanctitatis augmentum, à sancta sede Apostolica concessa est, recurrentibus annis ad consummationem vsque sæculi, cum omni solemnitate peragenda. Agite iam felices illud, quod olim D. Hieronymus de Paula (quæ Romæ Hierosolymam

lymam peregrinata, Bethlehemiticum (se se abdiderat in recessum) protulit: *Paula, quæ vnius vrbis contempsit gloriam, totius orbis opinione celebratur, & quam Romæ habitantem nullus extra Romam nouerat, latentem in Bethlehem, & barbara, & Romana terra miratur.* Ita nunc cum vestra B. Rosa fit? quam enim Lyma, & sola Peruuiæ vrbs nouerat, eam nunc totus orbis miratur, in Patronam suscipit, ac deuotè veneratur.

S. Hieron.

DIE EXALTATIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Hoc signũ erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandũ veniet.

Crux Sancta in extremo iudicio aderit ad confusionem peccatorum.

SIgnum Crucis apparitu- A rum extremo die iudicij, proclamat sancta mater Ecclesia vniuersis terrigenis: quia eo potissimùm tempore maximè erit necessarius aspectus illius, ad ostensionem diuinæ iustitiæ, atque gratiæ. Disceptant nihilominùs Doctores, illane sacratissima Crux, in qua Saluator noster pependit, verè tunc apparebit in cælo, an certè sola eius figura? Et quidem aliqui existimant, veram Crucem sanguine, & Deifica Christi humanitate consecratam, fore in die iudicij B reformandam, (collectis, atq; inter sese compactis particulis omnibus, quæ per vniuersum mundum dispersæ sunt) in cælisq; leuandam, & coram Christo ad iudicium veniente deferendam. Hæc mens videtur esse D. Chrysosthomi homil. de cruce & latrone, vbi dicit: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit in cælum, & ideò cum ipsa veniet, cùm ipsa secundam gloriosam suam præsentiam faciet.* Fauet. S. Ephrem lib. de vera pœnit. c. 4. vbi agens de extremo illo iudicio, dicit: *Videbimus pretiosam crucem in cælo lucentem omneſq; fines orbis terræ, vltra solis claritatem illustrari. Vbi verò viderint omnes regium istud ac tremendum sceptrum* C *in cælo reuelari, iam tunc agnoscent singuli, continuò ipsum quoq; regem reuelandum, qui in illo clauis affixus est.* Alij è contra sentiunt, non ipsam crucem veram, sed solam crucis figuram in aëre apparituram, ex aëre lucido, aut igne formatam. Vnde S. Augustinus ait, tantam esse futuram illius crucis claritatem, vt in conspectu eius neq; luna, neq; sol possint apparere, vt docet Hyppolit. martyr orat. de consummatione mundi: *Orietur* inquit *ab oriente ad occidentem vsq; signum crucis, superantis splendorem solis, denuntians aduentum, & apparitionem iudicis.* At verò sola crux lignea Christi, cùm sit exigua, non videtur, quomodò possit & ab omnibus videri, & tàm ingentem splendorem emittere, omneſq; fines terræ, vltra solis claritatem illustrare. Quapropter S. Anselmus in Elucidario, & Antoninus 4. p. tit. 24. cap. 11. §. 5. Abulensis, & alij expositores, supra Matthæi 24. existimant non ipsum lignum crucis, sed solum signum ex aëre formatum esse apparituram. Nihilominùs veram crucem. in qua Christus pro nobis mortuus est, tunc in cælo à nobis videndam arbitror. Ad quod asserendum moueor in primis, quia nullum aliud potest per antonomasiam dici *signum Christi*, præter Crucem sanctam: vt enim ait Cyrillus Hierosolymitanus cateh. 15. *Signum verum, & proprium Christi est crux.* Moueor preterea, quia illa crux, quæ apparebit in cælo, defereturante Christum per Angelos, ad iudicium descendentem. Hoc expressè docet S. Anselmus in Elucidario. vbi Christi aduentum ad iudicium ita describit. *Sicut Imperator ingressurus ciuitatem, corona eius, & alia insignia præferuntur, per quæ aduentus eius cognoscitur; ita Christus in ea forma, quæ ascendit, cum ordinibus omnibus Angelorum ad iudicium veniens, Angeli crucem eius ferentes præibunt.* Comprobatque Iulianus Pomer. lib. 3 Prognost. cap. 5. vbi similiter docet, Angelos cum sancta Cruce præcessuros Christum. *Signum illud* ait, *triumphale crucis vexillum, sublimibus humeris præferentes.* Si autem sola tunc appareret crucis figura, ex aëre lucido formata, quid necesse esset ab Angelis eam Christo præferri, cùm optimè posset certò loco in aëre immobilis perseuerare, & ab omnibus ad iudicium congregatis conspici. Moueor ad extremum, quia licet post diem iudicij, omnia mixta corpora præter hominem, resoluenda sint in elementa, nihilominùs illud lignum pretiosum, A facilè poterit Deus conseruare. Vnde plurimi ex sanctis Patribus existimãt, perpetuò esse in cælis conseruandum; veluti, immutatum ad statum incorruptibilitatis corporum gloriosorum, eò, quòd speciali modo fuerit nostræ redemptionis instrumentum, & altare, in quo Christus seipsum in sacrificium obtulit. Neq; tunc sola crux sancta, sed etiam cum illa omnia simul alia passionis Christi insignia apparebunt. Quemadmodùm docet S. Thomas opusc: 2. cap. 244. vbi dicit: quòd veniente Domino ad iudiciũ, signum crucis, & alia passionis indicia B demonstrabuntur. Ostendam itaque, crucem sanctam ad illud extremum iudicium affuturam, in confusionem peccatorum, vt cognoscant magis Deum affligi peccatis nostris; quàm crucis tormentis.

S. Cyrillus Hierosol.

S. Anselm.

Crux sancta perpetuò in cælis conseruabitur.

Antichristꝰ signum crucis tollet.

Hyppolitus martyr apparituræ crucis in cælo, hanc congruentiam affert, lib. de consum. mundi. Quia Antichristus prohibebit fideles vti signo crucis, & iubebit vti charactere suo, ideoque post mortem eius censet apparituram crucem. Tum in signum victoriæ Christi de Antichristo reportatæ: tum quoque vt homines resipiscant, & abiecto Antichristi charactere, vexillum Christi sequantur. Verùm, rem ex omnibus optimè tetigit Diuus Augustinus, qui censet, signum crucis ad maiorem peccatorum confusionem appariturum. Sermone 130. de tempore aiens: *Hoc signum erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit, vt cognoscant consilium iniquitatu suæ, qui Dominum maiestatu crucifixerunt.* Quia verò omnes, qui mortaliter peccant, iterum (quantum in se est) Christum crucifigunt. Ad Hebr. 6 vt docet Apostolus ad Hebr. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*: ideò apparebit hoc signum crucis, ad arguendos, & confundendos omnes D peccatores. Hinc post illud signum, subiungit Christus: *Tunc plangent omnes tribus terræ.* id est, aliqui de omnibus tribubus, & nationibus, in quibus sunt aliqui mali: quibus aduentus iudicis erit tristabilis. Et cur obsecro plangent, quoniam tunc iusti videntes signum illud crucis, quo sunt redempti, summa consolatione, & gaudio afficientur, vt docet S. Cyprianus serm. de Natiuit. *Non timetur* inquit *mortis periculum, vbi tantæ reuerentiæ conspicitur signum.* Respondet D. Augustinus: *Plangent videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & in ipsa arguente cognoscent peccatum suum se-*

S. Augustin.

S. Cyprian.

S. Augustin.

rò, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem. Ergo Crux Sancta apparebit ad maiorem peccatorum confusionem. Atq; hinc facilè vnusquisq; peccati mortalis grauitatem cognoscere potest, quòd incorrigibilis & desperatus peccator, etiam & aspectu Crucis sanctæ confundatur, ex quo tanquàm ex vnico salutis, & redemptionis suæ instrumento, spem firmam futuræ beatitudinis, & omnem consolationẽ sumere deberet. Quia ex hoc signo conijcit, improborum sceleribus, velut crudelibus tyrannis, & cruentis carnificibus, Christum iterum ad ignominiam crucis B rapi, sanctorumq; Christi honorem zelantium animos vehementer excruciari.

In carnificina sæuissimi tyranni constitutus Isaias acerbissimisq; oppressus doloribus, Iudæorum importunitatibus dilaceratus, & blasphemijs erga Dominum, quasi spiculis traiectus ingemuit vehementer, vocemque illam lamentabilem protulit: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratu: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.* Isaiæ 1. Quæ tàm acerbi gemitus causa? vtiq; tunc Isaias nullis impetebatur persecutionibus, imò cùm esset filius Amos de stirpe regia do- C mus Iuda nati, apud omnes magnam venerationem habuit. Cumq; esset Propheta magnus, in dignitate ac munere, prophetico Moyse, & Dauide nõ inferior. Quod non obscurè ostendit eximiũ Isaiæ elogiũ ab ipso Spiritu sancto dictatum, & ore Ecclesiastici prolatũ, cap. 48. vbi dicitur: *Purgauit eos in manu Isaiæ sancti Prophetæ: deuicit castra Assyriorum, & contriuit illos Angelus Domini; nam fecit Ezechias, quod placuit Deo, & fortiter respondit in via Patris sui, quam mandauit illi Isaias Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei: in diebus ipsius retrò redijt sol, & addidit Regi vitam: spiritu magno vidit vltima, & consolatus est lugentes in Sion, vsq; in sempiternum ostendit futura. & abscondita antequam euenirent.* Ideò quatuor Regibꝰ Oziæ, Ioathã, Achaz, & Ezechiæ, quorum temporibus magna, eaq; nobilissima vaticinia edidit, summè fuit acceptus. Octuaginta quippè tribus annis Prophetæ munus sustinuit, incipiendo ab anno ætatis suæ 33. Nam sub Ozia Rege viginti duobus annis prophetauit; sub imperio Ioathan sedecim; sub Achaz sedecim; sub Ezechia 29. Cùm igitur nullas tunc persecutiones sustinuerit, vnde vocem illam lachrymabilem protulit væ.

Isaiæ 5.

Isaias sub quatuor Regibus prophetauit.

Peccata Iudæorum ex duplici capite enormia.

Ne miremini: vidit tunc Isaias enormia Iudæorum crimina, eorumq; magnitudinem

tudinem ponderauit, in ptimis ex habitu peccandi, in illis verbis: *genti peccatrici.* Consuetudo enim diuturna callum Iudæis in peccando obduxerat. Deinde ex grauitate in illis verbis: *Populo graui iniquitate.* nam quotidiè addens peccata peccatis, grauissimo onere populus ille premebatur: grauitas & pondus proueniebat à peccato idololatriæ, ac Deicidij, vnumquodq; maximum, & immensum pondus. Hinc LXX. legunt. *Populus plenus peccatis;* propterea quòd non solùm mensuram peccatorum impleuerit; sed etiam cumulauerit, vt interpretatur sanctus Cyrillus. Lamentatus itaq; est Isaias, supra populum Iudæorum condolens, & deplorans eorum calamitatem, quòd à Deo recedens faciem conuerterit ad idola, & terga verterit ad Deum, per summam impudentiam, & irrisionem, iuxta illud Hieremiæ 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti, Verterunt ad me tergum & non faciem.* Per quod Isaias voluit ostendere, se nullam materiam planctu & fletu dignam inuenire, nisi peccatum dicens: *Væ genti peccatrici.* Quasi diceret: Non effundas lachrymarum fluenta, neque profundas quasi prodigus oculorum margaritas pro amissione diuitiarum, quæ instar labentis vndæ præterfluunt: non pro morte charorum: quia exactoribus, dæmoni, & morti, debitum naturæ tributum soluunt. Non pro ruina humanæ potestatis, & gloriæ, quæ instar marinorum fluctuum fluunt, & refluunt, crescunt, & decrescunt. Verùm margaritam gratiæ perditam, mortem animæ, amissum ius regni cælestis, squalore, & luctu, & profusiore lachryma prosequere, ne dedecore, & infamiâ nobiles lachrymas opprimas. Quod ingeniosè elucidat S. Chrysosthomus hom. 12. in c. 4. Epistolæ ad Colossen. *Quando* ait, *fratrem delinquentem admonemus, flere oportet lugendo, & suspirando. Quandò adhortamur aliquem, is verò non attendit, sed perit, flere oportet; quando autem pauper quispiam est, quando morbo corporali correptus, quando moritur, non hæc est lachrymandi ratio: non enim ista digna sunt lachrymis. Infamamus lachrymas, dum illas importunè vsurpamus.* Pauperies, morbus, mors, quæcunq; orbis calamitas ingruat, indigna sunt fletu; si pro his immodicè illachrymaris, lachrymas infamas: rubore, & ignominia afficis, dum pro alio, nisi pro scelere commisso fundis; hic decor, & honor lachrymarum est. Non ergo gladius, non sagitta, non liquatū plumbum, non equuleus, rota, crux, tantos dolores, & gemitus è

Hierem. 2.

S. Chrysost.

A visceribus mortuorum extorsit, quantos de Sanctorum animis, crudelis malitia peccantium.

In cuius veritatis comprobationem, intuimini D. Paulum, illiusq; cruciatus, illius gemitus, & pro delinquentibus suspiria auscultate ad Galat. 6. *Mihi* inquit *mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quibus verbis manifestè ostendit, mundi scelera, & incorrigibilium hominum peccata, crucem sibi acerbam fuisse, in qua ita dirè torquebatur, ac si fuisset in patibulo clauis acutissimis affixus. Hæc est singularis D. Bernardi expositio, serm. 7. de Quadrages. *Crucifixum ei mundum reputatione agnoscite; ipsum verò mundo compassione: crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum.* Acerbissimos cruciatus sustinebat mundus, nexibus suorum scelerum constrictus; sed Paulus veluti clauis affixus patibulo, mortem, & tormenta crucis patiebatur, inter peccatores viuens: cor enim Apostoli peccatis alienis, veluti clauis suffigebatur cruci. Quoniam nihil magis excruciat sanctos, & Deum amantes, quàm improbi hominum mores, indomita scelera, & vita desperata. Sic de iusto Loth fatetur Petrus Apostolus, epist. 2. cap. 2. *Habitans inter eos, qui de die in diem, animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Vbi verbum illud *cruciabant*, clarissimum Ecclesiæ lumen D. Augustinus in tit. Psal. 69. examinans dicit: *Neq; enim Loth ille sanctus in Sodomis, ab aliquo corporalem persecutionem patiebatur, aut dictum illi erat, vt non ibi habitaret: persecutio eius facta mala Sodomitarum erant.* Non tunc Loth feris immanibus dilaniandus obijciebatur, non equuleo torquebatur, non vnguibus excarnificabatur, non eum deuorantis ignis flamma circumdabat; sed circumsepsit Sodomitarū impudens, & impudica conuersatio, suisq; grauissimis sceleribus, quasi sæuissimis tortoribus animam iusti cruciabant. Eleganter subdit citatus Augustinus: *Nunc ergo nullò remanente, qui palam Christianis audeat insultare; adhuc tamen inter organa, & symphoniacos gemimus: adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus, & ferro non possunt, eos suâ luxuriâ persequuntur. Videmus etiam in fronte portantes signum eius, simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum. Et inter hæc gemimus, & hæc persecutio nostra est.* Furor itaq; tyrannorum, & persecutionum turba, nunquàm sanctis etiam in pace deficit, dum non deficit sceleratis libertas peccandi. Frons impudens, & impudici iactantia, persecutio sanctis est; dum mali peccant, iustos quasi

B

C

D

Ad Galat. 6.

S. Bernard.

2. Petri 2.

S. Augustin.

clauis pungunt: dum sese offerunt, eos A na, delictorum fluctibus abripimur, fidei iaculis configunt; dum recusant disciplinam, iustos viros excruciant. Perpendite magni Doctoris sententiam: *Videmus etiam in fronte portantes signum eius, simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum.* Et reuocate vobis in memoriam sanctos illos in fronte cruce signatos, ne miserè lanienæ traderentur apud Ezechiel. c. 9. Si enim illi ante crucem Christi, crucis dolores patiebantur, dum viderent peccantes, quantò acerbiorem mortem portant, qui post Christi mortem de peccatis alienis dolent, dum cernunt frontes cruce signatas, impudentiâ signari luxuriæ. Equidem ob hoc, velut ferrea sartagine excruciantur, vt velut exanimes fieri videantur.

Liceat mihi in hac spirituali palæstra, quò res luce clarior appareat, pugilem vnum doloribus oppressum, cruciatibus languentem, & penè exanimem, virum fecundùm cor Dei Dauidem, lanistarum omnium & bellatorum strenuissimum, ac fortissimum, qui Philisthinorum phalangas sæpissimè fugauit, & deiecit; qui leonem, & vrsum strangulauit; qui Goliath gigantem, virum à pueritia bellatorem, toti Hierosolymæ formidabilem vicit, occidit; vobis ob oculos ponere. Dum C zelò, & tristitiâ afficeretur propter delinquentes; doloribus, anxietatibus, tortoribus circumdatus, impetitus, cederet, langueret, caderet sine viribus exanguis. Fatetur palam hanc suam infirmitatem ipsemet, Psal. 118. *Tabescere me fecit zelus meus.* Alij legunt: *Contristauit, oppressit, dissipauit, consumpsit, enecauit, cadere, labi fecit.* Ecce Dauidem principem virorum fortium labentem, cadentem, enecatum, occisum compassionis affectu. Indagate seriò quis fuerit iste zelus, quis dolor adeò vehemens, quæ perturbatio, vt in virum adeò fortem, & constantem cadere potuerit? Et respondet optimè S. Hilarius in citatum Psalmum, fuisse vitia nostra, quæ spiritu prophetico præuidebat: *Ad omnia inquit, vitia nostra, & crimina examinatur Prophetà.* Ponderate doloris, & sensus grauitatem. Maxima peccatorum acerbitas, & crudelitas, non solùm Dauidem onere premebat, fœditate cruciabat, iterato lapsu discerpebat; verùm etiâ vix adeò inuictum exanimabat. En quàm cane peius & angue detestandum est peccatū, quod homines probos, iustos, & sanctos maximoperè affligit. Et tamen nihil nos monet tantùm peccati damnum; sed ruimus quotidie in maiora peccatorum crimi-

Dauid bellatorū fortissimus.

Psal. 118.

S. Hilarius.

& gratiæ crebra patimur naufragia, minimè reuerentes Crucis sanctæ signum, in quo Dominus, ac Redemptor pro peccatis nostris passus, & mortuus est, sed veniet tempus, quando signum hoc in cælis eleuatum, nos in confusionem adducet, & quod remedium nobis esse debuit, in inexitabile supplicium conuertet.

Sic quondam obstinati Iudæi, Christum per crucem è vita tollere, & nomen eius penitus abolere studebant. Hieron. 11. rem. 11. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Hoc est, vt exponunt Origenes, S. Hieronymus, S. Thomas, Cyprianus lib. 2. aduersus Iud. cap. 15. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 12. Agamus eum in crucem, vt cum vita ipsius quoq; nomen, atq; memoria, ob summam crucis ignominiam, in perpetuum deleatur. Quod significantius expressum habetur in ipso fonte: nam Hebræum verbum, pro quo versio nostra posuit, *mittamus*, proprie significat *corrumpere*, & hoc verbo vtuntur Tugurina, & Pagninus, quibus subscribit Vatablus, simul monens esse ibi hypallagen, ac si dicatur: *corrumpamus in ligno panem eius*; vt sensus sit: ex damnatissimo crucis fato, tàm ipsum; quàm ipsius nomen, atq; doctrinam corrumpamus, atque damnemus, vt deinceps quidquid ad ipsum pertinet, inuisum, & exitiabile habeatur, & apud omnes fœteat. Verùm non respondit impijs eorū votis fortuna, & res, quam optabant, ab eorum expectatione exitum habuit alienissimum. Nam ex cruce splendidissimum Christi nomen, clarissimaq; ipsius doctrina consurrexit. Quemadmodùm de Christo in Ierusalem ad crucem, mortemq; eunte docet S. Hieronymus ad Al. gasiam q. 5. *Obstinata facie festinabat Dominus pergere in Hierusalem, vt complerentur dies assumptionis eius, & pascha celebraret, omnemq; doctrinam suam patibulo confirmaret.* Ergo ex cruce sancta robur, & fulcimentum doctrinæ Christi accessit. Hinc Origenes super cap. 11. Hieremiæ homil. 8. in Hierem. ait: *Perperam dicunt, mittamus lignum in panem eius*, & eradicemus eum de terra viuentium: sic eum interfecerunt, quasi nomen eius penitùs eradicarent, sed audi, quid dicat Christus Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terrā mortuū fuerit, nullū fructū affert.* Ergo mors Christi, spica frumenti facta est, septuplum, & multò ampliùs restituens, quàm fuerit seminatum. Quia Christi nomen, doctrina, fama, celebri-

S. Hieron.

tas,

tas, clariùs, splendidiùs, atq; fœcundiùs, A velut granum in segetem proueniens ex Cruce sancta consurrexerunt. In quam rem ita subtiliter discurrit S. Chrysosthomus, in sermone. Quod Christus sit Deus, tom. 5. *Ne timueris horum gratiâ*, quòd crucifixus, quòd flagellatus, quòd colaphis cæsus, quòd conspútus, quòd à latronibus conuitijs incessitus, quòd tyrannidis, & blasphemiæ nomine occisus. Ita se habebant res eius post mortem, & resurrectionem, vt nemo contradicat, quin summo honore antecellat. Moxq; præmens crucis mortem, vlteriùs discurrit: *Hoc autem mortis genus diademate quouis gloriosiùs est: nam Reges posito diademate, crucem suscipiunt, mortis symbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & supra solem fulget crux.* Et paulò inferiùs subdit: *Ante crucem res in luctu erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt,* IESVS *solus inter amicos comprehensus est, multi, qui crediderant, retrorsùm abierunt. At post crucem orbis ad fidem accrescit, & infiniti Martyrum populi occisi, malentes mori; quàm dicere, quod præcipuus, ille Apostolorum formidans vnius ostiariæ minas. In omni regione, ciuitate, & solitudine, & parte orbis, quæ habitationi accommoda, & quæ non accommoda, prædicamus crucifixum. Et Reges, & Principes, & milites, & Præsides, & serui, & liberi, & idiotæ, & sapientes, & insipientes, & barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes, quas sol spectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent.* Ecce sumniam confusionem: Iudæi volebant per crucem abolere nomen Christi, & hoc per eam gloriosiùs euasit, totiq; mundo inclaruit.

Crucis sanctæ quanta virtus.

Sed quid mirum, crux siquidem est redemptio mundi, Christi manifestatio, diuinitatis eius approbatio, omnisque gloriæ distributrix, cui illud, quòd solius DEI est, meritò attribuitur, nimirum ignominiam in gloriam commutare; & ideò Christum ad summam euexit gloriam suo contactu, qui ad summam de- D stinabatur infamiam. Verùm non soli Christo hanc dignitatem tribuit Crux sancta, quòd eius ignominiam commutet in honorem; sed etiam alijs hominibus. Nam talis est eius virtus, ita præcelsa, ac infinita, vt ex contactu eius, quasi alter Philosophorum, vt aiunt lapis, ex ære, ex plumbo, aurum faciat, aurum reddat, adeò vt licet plerique homines inglorij ad illam accedant, gloriosissimi postmodum ex ea fiant.

Quid magis inglorium, quàm latro in cruce pendens? quis vnquàm magis reus? & tamen vix ad Christum in cruce pendentem suspirauit, statim iudex effectus ex reo glorioſissimus euasit, simul cum Christo iudicans, & absoluens. Ait S. Chrysosthomus in cap. 13. Lucæ. *Hic fungitur vice iudicis condemnatus, & incipit de veritate censere, qui coram Pilato post multa tormenta confessus est scelera.* Ascendit ergo crucem vt latro, sed euasit in iudicem, ipsam absoluens innocentiam; imò Deum ipsum, quid gloriosius? quid augustiùs? Ante crucis tribunal Deus cum homine sistebatur, & Deus ab homine iudicabatur, & crucis virtute ille homo, qui antea erat malus iudex, impius, latrò, plùs se B amans, quàm Deum, in cruce postea plus Deum, quàm se; plùs Deum, quàm socium; integerrimè iudicans Deum absoluit, hominem condemnauit, aiens: *Neq; tu times Deum, nos quidem digna factis, hic autem quid mali fecit.* Quid putatis ampliùs dixisset, si liber, si pro tribunali, si in maiestate sederet? Vnde meritò exclamat S. Chrysosthomus, homil. de cruce, & latrone: *Vidisti libertatem in cruce? vidisti Philosophiam in tormentis? in pœna prudentiam.*

S. Chrysost.

Res stupenda, dum Christus Hierosolymis doceret populum, multi in eum crediderant; Christus tamen non se eis credidit, Ioan. 2. *Cùm* esset Hierosolymis, C multi crediderunt in nomine eius, videntes signa, quæ faciebat; *Ipse autem* IESVS *non credebat semetipsum eis.* Rationem statim subiungit Euangelista, illis verbis: *ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Id est, sciebat esse in illis hominibus fallaciam, dolositatem, malitiam, iudicium peruersum, æstimationem falsam, & ideò non se eis credebat. At verò cruci appensus, latroni iniusto, peccatori se credidit, vnde hoc? Equidem, quia & in sua fidebat cruce, & in latronis, plùs quàm in signis, quæ Hierosolymis operatus erat, quando illi homines in eum crediderunt. Considerate obsecro, quænam signa tunc fecerat IESVS? Respondet Origenes apud S. Thomam in Cathena in cap. 2. Ioan. super illa verba: *Fecit flagellum ex funiculis, eijciens ex templo vendentes, & ementes. Non enim dicitur, ait, prodigia fecisse Hierosolymis, nisi fortè cùm facta sint, in scriptura non habentur; animaduerte verò si possibile est in miraculis deputari, quòd fecit flagellum ex funiculis, & cunctos ex templo propulerit.* Crediderunt ergo illi homines, quia Christum viderunt quasi in maiestate, terribilem, flagellantem, percutientem, eijcientem mensas, numos reuoluentem, spargentem, homines velut animalia de templo expellentem, & sic perterriti credebant. Meritò proinde

Ioan. 2. Origenes.

Dominus

Dominus IESVS non se eis credidit, quia A fides illorum procedebat ex timore. At verò dum non in maiestate, sed in contemptu hominum appareret; non percutiens, sed percussus; non flagellans, sed flagellatus; non eijciens, sed eiectus; non iudicans, sed iudicatus; non manus solutas ad percutiendum tenens, sed clauibus cruci affixas, ita de cruce fidit, ita de habitu, quem tunc præse ferebat, vt de homine secum simul crucifixo, non se excusans, ante illum sistere voluerit, indemnatam suam sperans ab illo innocentiam crucifixo, dum condemnatam à liberis suspicaretur. Et profectò re- B spondit votis eius spes præconcepta, vt ingeniosè ait D. Chrysosthomus, homil. de cruce, & latrone. *Quando Petrus eum negauit in terra, latro eum confitebatur in cruce, & quando primus discipulus puellæ vilissimæ minas tolerare non valuit, latro suspensus tormenta spernens, vndiq; populum inspiciens circumstantem, clamantem, ingenti ardentem rabie omnium iniquitatum, furentem, blasphemijs inflammantem, non timuit, nec crucifixi vilitatem, quæ videbatur, inspexit, sed ipsius fidei oculis hæc cuncta transiuit, & humilibus spretis cogitationibus, cælorum Dominum exaltatum, pura mente cognouit.* O magnam crucis sanctæ virtutem, prorsùs infinitam, immensam, quæ de reo fecit iudicem, de C condemnato absoluentem, de blasphemo prædicatorem, de iniusto iustissimũ, ita vt ipsemet Deus illi fideret, ipsemet se illi committeret.

S. Chrysost.

Commutat ergo Crux sancta ignominiam in gloriam, & turpitudinem in decorem, lucidum & splendentem Dei Filium mundo exhibens, illud apud hominis efficiens in Christo, quod apud Angelos ipsa diuina essentia, vt tam decorus hominibus, & splendens Christus in cruce appareat, sicut Trinitas Sanctissima in eius inaccessa Angelis diuinitate. Vnde S. Chrysosthomus serm. 6. de Passione, tom. 3. inuestigans causam, quare D Pater æternus Filium vnigenitũ ad mortem pro homine subeundam miserit, cùm vnico verbo eum redimere posset: hanc primariam assignat, vt nobis augustior, pulchrior, amantior Deus appareret. *Primum quidem* ait, *nobis intuendum, Rex quando gloriosior, quando indutus purpurâ, diademate decorus, aspersus auro, solio, sublimis, ad pompam tamen non parat ire, sed hæc in secreto fiunt; an quando in campum conueniens, vultu, & honore vltimus, periculo primus, onustus ferro, grauis armis; pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omnium premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam bibens mortem suorum susci-*

Cur Deus Pater Filiũ suum pro nobis mori voluit.

pit ad salutem: vt maiorem contemptu mortis, quam de ipso hoste victoriam referat, & triumphum. Ergo Rex glorioſior, excelſior, pulchrior, amabilior, quando ferro onustus in campum vadit, hostesq; debellat. Ita planè Christus, nunquàm ita speciosus hominibus visus est; quàm in cruce sanguine madens, vulneribus plenus. Hoc illi sponsa tribuit Cantic. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*, duplicem naturam in Christo designans, diuinam nimirum, & humanam. Pulcher itaq; Christus est secundùm naturam, secundùm diuinam essentiam, secundùm Verbi personam: at B quibus hanc suam pulchritudinem exhibet? Angelis eum in illa inspicientibus. Decorus verò est secundùm dona gratiæ, secundùm humanitatem, secundùm depressionem, secundùm humiliationem; & in hoc decore hominibus apparere voluit, pro quibus mortuus, & crucifixus est. Ita subtiliter discurrit S. Bernardus, serm. 45. in Cantic. *Quàm es Angelis tuis Domine* IESV *informa Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus, splendor, & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus, minimeq; fucatus tandor vitæ æternæ; quàm mihi decorus Domine mi in ipsa tui huius positione decoris: etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plùs effulsit, ibi amplius gratia radiauit.* Quid elegantius dici potuit? Pulcher Christus Angelis, in splendoribus elucens sanctorum; at non minus nobis, dum decore posito, pro nostra in cruce salute penderet.

Cantic. 1.

S. Bernard.

Sed quid mirum, quòd Christus in Cruce sancta glorioſissimus euaserit, quòd tanta sit virtus Crucis sanctæ, vt deformes in formoſissimos conuertat, vt summa opprobria in maximam gloriam commutet, cùm Christus Dominus pro illa omnia sua, etiam vestes proprias permutauerit, nudus in ea pendere volens. Illud tamen admiratione dignum, quòd vestimenta Christi pro Cruce sancta permutata esse expressè ponat Scriptura Sacra. Matth. 27. *Postquàm autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius*; cùm tamen de calceamentis nullam faciat mentionem, vt non immeritò discursum moueant Authores, vtrum Dominus IESVS habuerit calceamenta? Et quidem habuisse videntur indicare verba illa S. Ioan. c. 1. *Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Ex quo loco S. Augustinus serm. 42. infert, Christum portasse calceamenta, inquiens: *Si nudus pedibus Christus ambularet, asserendum est, deceptum esse Ioannem,*

Christ⁹ pro Cruce sancta omnia sua permutauit.

Matth. 27.

Ioan. 1.

S. Augnst.

& poterat ei dici, quomodò das testimonium de illo, quem non cognoscis, an sit calceatus, an non? Aliqui censent Christum vsum fuisse calceamentis, sed non pro omni tempore, vnde dicunt, quòd Christus eo tempore, quo Apostolis præcepit, ne portarent calceamenta, & ipse non portabat illa. Cæterùm antequàm veniret ad Ioannem, censent eum portasse calceamenta. Verùm probabilius censet Abulensis q. 68. nusquàm calceamentis vsum fuisse. *Vt* inquit, *nos doceret perfectionem, opere adimplebat, quod verbis præcipiebat.* Præceperat Christus Apostolis, vt sine calceamentis orbem vniuersum percurrerent, Euangelium prædicantes, vt habetur Lucæ 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid vobis defuit.* Christus ergo supremus in perfectione Prælatus, non solum verbo, sed exemplo tàm fidelibus; quàm perfectis exemplum dedit, stans medius inter populos perfectissimus, ad Apostolicam vitam tendentibus consilium dans, vt calceamenta, quemadmodùm ipse non portent. Proinde Christus nihil præcipiebat Apostolis, quod ipse non faceret priùs: quoniam in moralibus plùs mouent facta, quàm verba. Vnde quia Christus maximè ad humanitatem instruere volebat homines, ideò pauperrimum se mundo exhibuit, & sine calceamentis: quoniam, vt ait Rupertus in Exodum: *Nudis pedibus ambulare, humilitatis maximum exemplum est.*

Christ⁹ nunquàm calceamentis vsus est. Rupertus. Caietanus. Quid per calceamenta & quid per corrigiam intelligatur. S. Gregor.

Neq; sanè obstat, quòd S. Ioannes dixerit, se non fuisse dignum soluere corrigiam calceamenti Christi. His enim verbis humilitatem suam insinuare voluit, vt explicat Caietanus in Euangelia: *Demonstrat* inquit *Ioannes se indignum ad minimum seruitium, explicatum per solutionem corrigiæ calceamenti. Quando enim aliquis vult offendere, improportionaliter alium excedere, ex communi vsu loquendi dicere solet, non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, siue calceamenta habeat, siue non.* Vnde S. Ambrosius de instit. Virg. cap. 14. per *calceamenta* interpretatur humanam naturam assumptam; per *corrigiam* verò intelligit vnionē. Quasi S. Ioannes hunc sensum facere vellet: *Non sum dignus explanationu eius mysterium declarare*, iuxta illud Apocal. 5. *Nemo inuentus est dignus aperire librum, & soluere signacula eius.* Origenes verò verba S. Ioannis ita exponit: *Non sum tanti meriti, vt causa mei descendat à magnalibus, & carmen quasi calceamentum suscipiat.* Non procul ab hac interpretatione recedit expositio D. Gregorij in Cathena S. Thomæ, qui ait: *Quis nesciat, quòd calceamenta ex mortuis animalibus fiant. Incarnatus ergo Dominus, quasi calceatus apparuit, qui in diuinitate sua morticinia nostræ corruptionis assumpsit, Ioannes ergo soluere corrigiam calceamenti eius non valet (secundùm meam sententiam) quia Incarnationis mysterium neq; ipse inuestigare sufficit.* Quasi hunc sensum S. Ioannes facere vellet: quid mirum est, si mihi Christus prælatus est, quem post me natum considero; sed natiuitatis eius mysterium non comprehendo. Tandem Rupertus lib. comment. in Ioan. cap. 1. per *calceamenta* intelligit Apostolos Christi, quia ipsi in Idumæam, & in omnes alienigenas portauerunt Euangelium, pro quo & contumeliam pati, & mori digni habiti sunt. Sanctus ergo Ioannes, præuidens in spiritu, se enarrandæ gloriæ Euangelicæ non esse seruatum, dicebat: *Non sum dignus, vt soluam corrigiam eius calceamenti.* Sciebat enim benè, quòd ante passionem Christi descensurus esset ad inferos, vt ibi quoq; suæ præcursionis officium perageret. Et ideò gemebat, quòd vel calceamenta eius portare, vel corrigiam soluere indignus esset, hoc est, ministerium redemptionis nostræ, ac resurrectionis Christi, cum sanctis Apostolis prædicare.

Rupertus.

Verùm, crediderim ego, S. Ioannem ea maximè de causa se indignum iudicasse, vt corrigiam calceamenti IESV solueret, quia diuino afflatus spiritu videbat, sanctissimos illos pedes cruci affigendos, & ex illa in tantum dignificandos, vt nulla postmodum creatura inueniretur, quæ illos contingere digna esset. Quæ omnia certò fideliq; intuitu præuidens, & vt præsentia sibi intuens diuinus Psaltes, Dei Filium ad crucem conscendendam, ita blandè allicere studebat: *Exurge Domine in ira tua: exaltare in finibus inimicorum meorum.* Quasi dicere vellet: crucem ascende, & sublimis statim, Crux S. throatq; conspicuus omnium Princeps aparebis, crucisq; tuæ fines, ita inimicorum tuorum fines, & terminos occupabunt, vt nullus ex illis possit effugere, quin omnes sese tuæ ditioni subdant. Quippè dum Christus crucifigeretur, inimici eius omninò in illum praualuisse videbantur, sed omnes eorum artes, & omnia machinamenta elusit crucifixus Dei Filius: quia tunc Crux sancta thronus regius facta est Christo, vt in illa velut in maiestate propria sedens, ab omnibus adoretur, vt Dominus; ab omnibus prædicetur, vt iudex clementissimus. Vnde S. Bernardus serm. 6. in vigilia natiuitatis,

nus regius Christi.

caris, componens Synagogam cum turpi illa, sæuaq; meretrice, quæ eum, quem filium suum esse dicebat, crudeliter apud Salomonem ad necem postulabat, inquiens: *Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.* 3. Reg. 3. ad Christum alludens, sic eam carpit: *Excussisti eum de sinu tuo, extra ciuitatem eijciens, & eleuans supra terram, tanquàm dicens Ecclesiæ gentium, pariter Ecclesiæ primitiuorum, quæ est in cælo: Nec mihi, nec vobis sit, sed diuidatur. Diuidatur inquam non inter vtrasq;, sed ab vtrisq;. Expulsum enim, & exaltatum, & eleuatum, & quid dicam modicè satiu; tamen vt nec in tuis esset mœnibus, nec in terra, ferro vndiq; coarctasti: ne fortè hæc, vel illac exideret, vt videlicet à te separatus, ad neutram peruenire illarum. Sæua nimirum matertera, abortiuum facere voluisti, dum non esset, qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profecerit, intuere, vndiq; enim egrediuntur filiæ Sion, vt videant Regem Salomonem in diademate, quo coronasti eum.* Nam Christus in Cruce sancta, regia & iudiciaria potestate coronatus est.

3. Reg. 3. S. Bernard.

Genes. 1. Quærit Caietanus, quare causam criminalem, quam Cain contra innocentem Abel commiserat, occidens eum non iudicauit Adam, siquidem constitutus erat à Deo iudex, quando Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ.* Genes 1. Quare ergo Deus causam ad se euocauit, præcepitq; ne auctor criminis à quopiam alio iudicaretur Genes. 4. *Posuit q. Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Nunquid vt expelleretur Adamus ab officio iudicis? An quia consanguineus, & Pater recusabatur? an quia crimen secretum erat, ideò renuit Deus, ne publicè iudicaretur? Minimè equidem: sed quia Adam paulò ante iam peccando, innocentiam, & iustitiam amiserat, officium iudicis exercere non poterat. Nam qui iustitiam non colit, quomodò alios in iustitia continebit? Egregiè sanè, Deus ipse fratricidam Cainum iudicare voluit, vt benignius cum illo ageret; quàm homo, qui innocentiam, & iustitiam perdiderat. Vt hinc agnoscamus, benignius esse Dei; quàm hominis iudicium, potissimùm verò in Cruce sancta, in qua se tota Dei bonitas in homines effudit. Vnde non immeritò Eucherius Lugdunensis Antistes, crucem sanctam bilancem appellat, in qua hinc hominis anima, illinc Dei vita, tanquàm pretiũ pro ea persolutum, velut in trutina suspenduntur. *In trutina ergo crucis,* ait citatus Author, *non aurũ, vel argentũ, non corpus aliquod Angelicum, sed semetipsum passus est auctor salutis appendi, vt homini, qui à statu degenerauerat, naturæ suæ dignitatem, vel ipsa pretij ostenderet magnitudo.* Pupugit hæc pretij magnitudo D. Bernardum, vt exclamaret epist. 54. *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est: grauis animæ casus, quæ non nisi cruce Christi potuit reparari.* Pupugit Diuum Augustinum, qui in Ps. 102. ex contractus ratione, & ex commutatiuæ iustitiæ legibus, quas in hominis redemptione considerat, infinitum hunc illius valorem ita elicit: *Redempta est vita de corruptione, iam securus esto, initus est bonæ fidei contractus; nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumuenit, nemo premit; egit hic commercium, iam pretium soluit, sanguinem fudit, sanguinem inquam, fudit vnicus Filius Dei pro nobis: ô anima erige te, tanti vales.*

Quare Cain de fratricidio non ab Adamo sed ab ipso Deo iudicat⁹ est. Eucherius. S. Bernard. S. August.

Meritò quidem dicit Augustinus: *Anima erige te,* quoniam non aliter, nisi per Crucem sanctam, euasisti mortem æternam. Minabatur olim Deus Hierosolymæ vastitatem Ezechiel. 9. *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vnusquisq; vas interfectionis habebat in manu sua.* Sex igitur viri ferocissimi, diuinæ iustitiæ vindices, securibus, aut gladijs armati, ad sumendas de vrbe Hierosolymitana pœnas, ad interficiendos Iudæos, ptopter exuberantiam, & copiam impiorum interficiendorum mittebantur à Domino Deo, qui non parcebant senibus, adolescentibus virginibus paruulis, iuxta diuinum mandatum, ibidem. *Percutite, non parcat oculus vester, neq; misereamini. Senem, adolescentem, & virginem, paruulos, & mulieres interficite, vsq; ad internecionem.* Paucorum tunc numerus effugit aciem gladij, seruatiq; sunt incolumes. Et quis districtos mucrones gladiorum à iugulis illorum reiecit? equidem signum crucis venerandum, quod Thau littera ostendebat, teste sacra pagina ibidem: *Omnem autem supra quem videritis Thau, ne occidatu.* Angeli enim signatorum vitam tuebatur, non signatos autem interimebant. Vultisne scire, quos signabat Angelus Domini? declarat statim sacra littera loco citato, versu 4. *Et dixit Dominus ad eum: transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Nimirum inter improbos, & scelestos Hierosolymitanæ vrbis incolas, aliqui iusti, & sancti florebant viri, sicut lilia inter vepres, sicut inter tenebras noctis lucent sidera; qui deplorandi peccata populi munere fungeban-

Ezechiel. 9

Crux ab interneciõe seruauit Iudæos.

gebantur ; columbæ in medio accipitrum gemebundo rugitu dolebant, super cunctis abominationibus vrbis. Sic interpretatur S. Hieronymus: *Gementes igitur ait, dolentesq; soluantur, qui non solùm malis non consenserunt operibus, sed & aliena planxere peccata.* Cur autem non alio charactere, aut signo signati fuerint, nisi literâ *Thau?* Ratio est : quia *Thau* insigne crucis exprimit, vt docet S. Hieronymus supra citatum Ezechielis locum inquiens : *Thau littera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur.* Et Origenes hom. 8. in Ezechielem : *Illi* ait, *tantùm hospites reseruantur, quos Thau littera, id est crucis pictura signauerat.* Cunctis igitur, qui crucis signaculum in fronte portabant, mors pepercit, & vita donata est.

En habetis Crucem sanctam, in qua Deus salutem nostram operando, totum se exuiscerauit, totum effudit in homines. Hinc illud Dei pronuntiatum. Deutor. 3 tor. 3. *Ego sum Dominus Deus tuus.* Super quæ Oleaster. verba Oleaster scribens, respondet: *Quia Deus tuus, non suus esse voluit : nam quid quæso habet Deus, quod non sit tuum? si cælum habet, tuum est, cuius influentijs viuit ; sicut & terram, quam dedit filijs hominum ; stellas verò creauit in ministerium cunctis gentibus : se moriens dedit in pretium, se regnans in premium tuum ; socius tuus esse voluit, medicus tuus est, qui secundùm tempora, & necessitates tuas, præcepta sua seruare iussit.* Hæc sacrosancta crux aderit in tremendo iudicio, ad confusionem Christi persecutorum ; ad gloriam autem verè pœnitentium. Veneremur ergo Crucem sanctam, extollamus thronum hunc gloriæ Christi, vt eius signo signati non confundamur in æternum.

EODEM DIE
CONCIO II.

Nunc iudicium est mundi.

Crux sancta est lapis Lydius, vt ex ea Christi seruitutem & patientiam discamus.

STupor me obruit, quomodò Christus nunc iudiciũ in Cruce sancta celebrari proclamat, cùm ipsemet pronũtiet, quòd nõ sit missus, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum. Si ergo in Cruce sancta salutem nostrã operatus est, quomodò iudicium in ea peragit, quod seueritatis, & rigidæ iustitiæ actus esse dicitur. An certè ante crucem Christi defuit iudicium ? minimè : nam à principio statim mundi Deus iudicauit malos Angelos, eosq; æternis cruciatibus addixit. Iudicauit Cainum fratricidam, & tot alios impiè ac sceleratè viuentes. Fateor ante crucem Christi fuisse iudicium ; sed rigoris, non clementiæ, quale nunc in Cruce sancta fieri proclamat Christus : quia eo fine institutum, non vt homo pœnam subeat, sed vt veritatem salutis agnoscat. Nam iudicium, præterquàm quod sit determinatio iuris, siue sententia iudicis, accipitur communiter pro ea animi virtute, aut sententia, quâ decernimus, quid amplectendum, quid fugiendum, & vera à falsis, vtilia à noxijs separamus, ac nos ipsos, vel etiam alios instruimus rationibus, vtrinq; discussis. Defuit certe veritas mundo, cùm homines vnum verum Deum ignorantes, vilissimis creaturis diuinum honorem deferrent. Rom. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei* : quasi diceret : diuinæ maiestatis eminentiam, volucribus, & quadrupedibus & serpentibus exæquârunt, dum lignis, & lapidibus, incommunicabile Dei nomen imponerent, vt olim fecerant Iudæi Hierem. 2. Deo ipso de ijs loquente : *Populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Quod magis adhuc exprimit sanctus Paulus, Rom. 1. v. 26. illis verbis : *Et seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori,* id est, cultum Dei totum, in homines, & bestias, aliaq; Dei opera contulerunt, non solùm illa diligendo, sed etiam illis seruiendo. Quicunq; enim alicuius creaturæ cupiditate vincitur, ipsi seruit ; & à quo superatus est, ipsius & seruus efficitur. Clementissimus itaq; Redemptor noster, solicitè laborans circa salutem nostram, Crucem sanctam nobis proposuit, vt ex illa iudicemus de veritate, quam amplecti debeamus. Propter quod S. Chrysostomus oratione in cœmeterij appellationem, & crucem tom. 6. Crucem sanctam, tenebras errorum, & ignorantiæ depellentem appellat : *Quemadmodùm enim aut si quis lucernam in domo quapiam tenebru obsita accendat, & in altum statuat, tenebras de repente fugat : sic tenebris per vniuersum orbem sparsis, Christus tanquàm lampadem quandam, crucem accendit, & in altum erexit, omnemq; caliginem totius terræ dissipauit.* Imò dixerim veriùs, Crucem sanctam esse lapidem Lydium probandæ veritatis. Quod facilè coniector ex Scriptura Sacra, vt falsum impostorem, deceptoremq; probaret Daniel, qui innocentem Susannam criminis nec cogitati insimulabant, arborem

Ante Crucẽ Christi fuit iudiciũ se. ueritatis, nunc autem Clemẽtiæ,

Hieron.

Origenes

Rom. 1.

Hierem. 2.

S. Chrysost.

borem sibi petijt indicari, sub qua admissum facinus fuerit. Daniel. 13. *Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi.* Leue forsitan quid, & facilè ab astutis senibus reijciendum, putaret quispiam propositum in hac petitione arboris. Poterant enim facilè astuti senes respondere, se inter tantam arborum syluam, quæ erat in pomario, & in tanta rei atrocitate repentè obiecta, non attendisse, nec potuisse attendere ad singularem arborem. Quomodò ergo Daniel ad tàm facilè reijciendam interrogationem de arbore singulari recurrit ? Quare non potiùs interrogauit de angulo, ex quo viderant, & de loco, in quo viderant, quibus faciliùs poterant conuinci falsitatis ? Difficilè quippè separati à pomario, potuissent locum designare, aut angulum, in quo, & ex quo, sine arborum impedimento possent videre, & non videri. Quomodò ergo his difficilioribus omissis, priùs recurrit ad arborem ? Profectò scientiâ Dei imbutus, de omnibus interrogaturus, si opus fuisset, priùs de arbore interrogabat, optimè sciens fidelibus ab arbore, & victoriam, & veritatem demonstrandam. Quoniam vna crucis Dominicæ arbor, lapis Lydius est, quo nuda veritas, & victoria patet. Audite S. Chrysostomum tom. 6. homil. in Parasceu. ita loquentem : *Circa arborem prostrauit diabolus Adamum, circa arborem debellauit Christus diabolum. Et illud quidem lignum mittebat, ad inferos ; at hoc etiam illos, qui iam eò descenderant, reuocabat. Iterum lignorum alterum Adamum iam captum, nudumq; occultauit : at hoc victorem nudum in alto omnibus ostendit.* Adamus quippè post transgressionem videns se nudum, abscondit se in medio ligni paradisi : Dei autem veritas Christus Iesvs, nudum se in alto crucis ligni constituit, vt omnibus & victoriam, & veritatem suam manifestaret : semper enim à ligno crucis, & victoria, & veritas nuda claruit. Itaq; postquàm Crux sancta apparuit in mundo, hoc emolumentum accepit homo, vt intima secreta cordis, & malitia etiam cogitationum intrinseca verè, & nudè prodiret foras, nullum facinus maneret in peccatore absconditum. Crucem igitur sanctam, velut Lydium lapidem vobis ostendam, ex qua duo potissimùm, videlicet seruitutem Christi, & patientiam discere possitis.

Ex hoc Lydio lapide, Cruce sancta discimus, nihil homini in hoc orbe sublunari viuenti, magis proficuum esse ad salutem, quam Deo seruire : per crucem enim sanctam firmissimè Deo vniti sumus, per eandem quoq; ad Dei seruitium impellimur, cùm nemo sit, qui ad conspectum crucis, se Dei seruum non recognoscat. Apparuerat Deus Abrahamo in persona trium Angelorum, Ge. Genes. 18. nes. 18. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei,* Visis ille tàm desideratis hospitibus, in domum suam humiliter inuitauit. *Quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra. Et dixit : Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum ; sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore.* Apparatur mensa splendida, impleturq; exquisitissimis ferculis : interim hospitibus vescentibus sub arbore, adstabat Abrahamus tanquàm seruus : *Ipse autem stabat iuxta eos sub arbore.* Quod Eucherius & Origenes referunt ad crucis mysterium. Neq; sanè mirum : quòd Abrahamus sub crucis imagine, dominij sui oblitus ; seruum se vilissimum exhibuerit. Quis enim dominatus, quæ dignitas, quis splendor mundialis ad conspectum crucifixi, Domini cæli & terræ Theophil: non euanescit? Hinc Theophylactus oratione de adoratione crucis monet Principes huius mundi : *Rex es, accede ad sceptrum Christi. Agnosce te seruum esse pretio magno emptum. Agnosce Dominum, tibi subiectos, vt conseruos tracta : vno enim sanguine empti sumus. Considera honoratissimum regalis dignitatis habitũ, tempore crucis illusum, coronamq; gemmis distinctam, spinis, & crucis exasperatam, potensq; tuum sceptrum & omnem speciem esse fragilem, & inanem arundinem, purpuram alienum esse bonum, & sanguine manans ; eam enim milites tibi circumdant. Genuflexiones, quibus adorans, & acclamationes æstima pleraq; fictitias, & ab ijs, qui caput tuum non modò verberarent, sed amputarent: Hæc documenta discas, tùm crucem adoras.*

Nullum proinde regale decus in Christo non apparuit ludicrum, & inane, & abijciendum tempore crucis. Purpura, sceptrum, & corona, qualia sint in se, Christus Dominus ostendit tunc temporis. vt sic quilibet homo, cuiuscunque status, dignitatis, & fortunæ sit, ad conspectum Crucis sanctæ, se Dominum esse obliuiscatur, & seruum recognoscat. Ad Hebr. 12. quod hortatur nos D. Paulus, Hebr. 12. ita scribens : *Ideoq; & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem* IESVM, *qui proposito*

Daniel. 13.

S. Chrysost.

sito sibi gaudio sustinuit crucem. Vbi igitur ipse Dominus Iesvs crucem sustinendam vidit, statim præ illa contempsit vniuersa mundi gaudia, & regna, & dominatus. Vt
S. Anselm. eleganter discurrit S. Anselmus in citatum scripturæ locum: *Proposito* inquit *sibi à turbis gaudio, dum vellent eum facere Regem, noluit ille gaudium huiusmodi suscipere, sed postmodùm sustinuit crucem, & illusiones, & opprobria: omnia enim terrena bona contempsit, vt in illo non quæreretur felicitas.* Traducebat Iesvs in cruce principatus, & potestates mundiales, & despiciens regna seruorũ, verbera amplexabatur, vt nos inde discamus, decora mundi postponere seruituti Chri-
S. Athanas. sti anæ. Quemadmodùm docet S. Athanasius orat. de Incarnatione loquens: *Signo autem crucis idola vniuersa deserta relinquuntur, omnis irrationalis voluptas conquiescit, quilibet è terra ad cælos suspicit.* Quasi diceret: vbi viuificæ crucis lignum affulget, vniuersa mundi idola, & mundiales deliciæ obtenebrescunt, ac facilè reijciuntur.
Isaiæ 33. Hinc Isaias cap. 33. de fidelibus ait: *Regem in decore suo videbunt oculi eius: cernent terram de longè.* At, in quo decore? equidem in decore, & pulchritudine passionis, atq; crucis, iuxta illud Psalmistæ: *Dominus regnauit, decorem indutus est*: quoniam à ligno crucis maximus decor Christi. Ergo viso in decore crucis Deo, statim homines cernunt terram de longè, & terrena omnia despiciunt, ad seruitutem Christi
S. Bernad. festinantes. Ait S. Bernardus serm. 4. in Ascens: *Sequere ascendentem in crucem, vt non solùm supra te, sed supra omnem mundum mentis fastigio collocetur, vniuersa, quæ in terris sunt, deorsum despiciens, sicut scriptum est, cernent terram de longè.* Fugiunt sanè omnia terrena bona ad crucis aspectum: & hoc est illud my-
Matth. 27. sterium, quòd post exspirationem Christi in cruce, Matth. 27. *Terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Quod considerans Amphilochius serm. in Sabatho sancto ait: *Heri terra commota, velut de fuga consilium iniit.* Nam vbi mysteria crucis apparent, fugæ se dedunt omnia, terrenaq; omnia despiciuntur ab hominibus, ad regalem Christi seruitutem properantibus, quando quidem seruire Deo regnare est.

Et quis obsecro Christi seruitutem, regali præeminentiâ maiorem non agnoscet, cùm Deus hominem sibi obedientem, & ad omnia parere natum ita æstimet, vt iustum, & æquum iudicauerit, filium suum vnigenitum, sibi per omnia æqualem, non solùm pro nobis dare, vt nos redimeret, vitam suam pro nostra commutando; imò quod magis stupendum, quia nos ei seruimus, vt Filius eius coæternus nobis vicem talionis reddens, non solùm in terris, sed etiam in cælis seruiat, Lucæ 12. *Amen dico vobis, quia præcinget se, & transiens ministrabit illis.* Obstupescite, quis est iste transiens? Dominus: quis ministrabit? ipsemet Deus, in quem Angeli præ verecundia prospicere non audent. Ergo homines discumbent; Deus autem seruiet illis, & pro humana diuinam exhibebit seruitutem, diuinam commutationem. Vt meritò exclamet Chrysologus serm. 24. *Expauenda conuersio seruitutis, quia parumper seruus astitit, in Domini sui expectatione succinctus, vt talionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate diuinitas.* Quasi apertiùs dicere vellet, in terris in humanitate seruiens, ipsa se dissimulauit diuinitas; at in cælis etiam seruiens non in humanitate, sed in sua diuinitate, ipsamet se dissimulat diuinitas, nimirum non recumbens, sed ministrans; non famulata, sed famulans, sed obseruiens, talionis vicem reddens, diuina pro humanis tribuens, Deum pro homine. O qualis est ipsa permutatio! hæc equidem est illa diuina Dei in cælis humilitas, quæ ibi sic animos, supremosq; inflammat spiritus, vt extra se eos præ admiratione rapiat, ac extollat. Eruditè hoc exaggerat Sanctus Thomas opusculo 63. cap. 2. §. 3. in
S. Thomas. quiens: *Est ibi inflammans animam, ad amandum Deum, scilicet diuina, humilitas: nam Deus omnipotens singulis Angelis, sanctisq; animabus, in tantùm se subijcit, quasi sit seruus emptitius singulorum; quilibet verò ipsorum ait Deus suus, ad hoc intuens, transiens ministrabit illis.* Obstupuit, & Deo talem exprobrauit quondam cõmutationem humana sapientia, quòd pro se commutasset filium. Ps: 88. n. 50.
Psal: 88. *Quod exprobrauerunt inimici tui Domine, quòd exprobrauerunt commutationem Christi tui.* id est, vt quidam Græcus Author apud Agelliũ exponit: *Mortem & sanguinem Christi tui pro redemptione datum.* Atque hanc ob causam
1. Corint. 1. D. Paulus 1. ad Corint. 1. v. 23. dicit: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quis obsecro vnquàm audiuit talem conuersationem, commutationem indicibilem, & iudicium supra filios Adæ horrendum, quos Deus ita æstimat, ita honorificat, vt illos pro seipso, pro sua maiestate, pro sua diuinitate commutet; illi verò eum non solùm pro hominibus, creaturisq; rationalibus commutent; sed quod etiam lingua dicere horret, pro irrationalibus, pro vilibus, pro horridis, pro serpentibus, pro muribus, lignis, lapidibus, & quibusque

que rebus abiectissimis. Et id quidem adhuc tolerandum esse, si hoc fieret apud gentiles, apud paganos; sed cùm apud Christianos, apud suos dilectos, talia fieri spectat Deus, quantùm offenditur, & indignatur.

Ausim concludere, cælum terramq; obtestando, quia Deus de nulla re etiam enormissima, terribilius iudicium inibit cum suis Christianis; quàm de hac turpi commutatione, propter quam in dies magis à Turcis, à gentilibus, à paganis irridetur, ac blasphematur. Quod opprobrium supra reliqua omnia grauiùs illum offendit. Dum enim hi, lumine veræ fidei destituti, audiunt talia pro nobis, Deum nostrum fecisse, talemq; commutationem, vt prò seruo Dominum, pro inimicis Filium commutaret; nos autem vident tàm ineffabilem commutationem, nihili prorsùs facere, imò potiùs contemnere, exprobrant Deo, irridentur, & subsannant, quasi imprudenter suam inaccessam maiestatem, ad humanam vsq; abiectionem demiserit. Hanc grauem exprobrationem præuidisse Re-
Incognitus. gium Vatem affirmat Incognitus: *Præuidebat Psalmista* inquit, *quòd infideles Christiani abijcerent commutationem Christi, scilicet qualiter Christus commutatus est, quia crucifixus, quia mortuus est.* Ex qua abiectione, ex qua tanti Dei beneficij vilipensione, infidi Deum irrident, quasi insipientem, Deum subsannant, quasi insanientem, Deum vilipendunt, quasi ignorantem, talia pro nobis fecisse, qui ea abijcimus, fœdamus, & velut si nihil pro nobis præstitisset, ita Deum commutamus, ac si Deus verus, & summus non esset; sed falsus, sed ligneus, prouocamusq; horrendum in nos Dei iudicium, talia scienter, non ignorantes operando.

Posuit adhuc nobis Redemptor noster crucem suam sanctam, velut Lydium lapidem, vt in illa probemus nostras tribulationes, simulq; ex illa ad sustinendas easdem discamus patientiam: quia tribulatio semen gloriæ est, quod ne corrumpatur, fouetur patientiâ, sine quo semine messem gratiæ colligere velle, magna vesania est. *Gloriamur in tribulationi-*
Ad Rom. 5. *bus*, dicebat S. Paulus ad Rom. 5. Ne enim infirmi fortè deterrerentur, à fide Christi exilijs, bonorum direptionibus, contumelijs, persecutionibus, carceribus, tormentis; ideò Apostolus his verbis ostendit, ipsas etiam tribulationes, esse glorioſas, propter magnitudinem præmij, vt hinc agnoscamus, quanta sit magnitudo bonorum cælestium, vt etiam eorum causa tribulationes gloriandi materiam præbeant. Vnde dicit S. Chrysostomus. S. Chrysost. *Considera, quanta sint futura, quòd etiam in tristibus magno animo simus.* Prudenter autem dicit Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus*, id est, si verò Deum amamus: omnis enim amator gaudet, & honorificum putat, quando pro eo, quem diligit, patitur. Non dicit verò, *gloriamur in bonis operibus*: quia vt aduertit S. Cyprianus, nihil nostrum est; talis enim gloriatio superba, profana, vana, ac sui deceptrix est, quæ veram gloriam euacuat. Sic
Pelagianorum stulta gloriatio. quondam gloriabantur Pelagiani, asserentes gratiam Dei secundùm nostra merita dari, teste D. Augustino, epist. 46. ad Valentinum; Sanctorum autem, & Dei filiorum gloriatio, debet esse modesta, vera, & diuinæ bonitatis commendatrix, ita vt omnis eorum gloria sit Christus. Proinde talis gloriatio nihil aliud est, nisi libera & patiens opprobrium sustinentia, atq; gratiarum actio sinceriſſima, & firmissima in aduersis.

Ita citato loco resoluit S. Paulus, verbis sequentibus: *quia tribulatio patientiam operatur; patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit.* Vbi reddit Apostolus causas ab effectu, ob quas in tribulationibus gloriari debeamus; quia nimirum scimus non solùm priuato instinctu, sed etiam ex doctrina Euangelij, quòd tribulatio patientiam operetur in sanctis, non suo merito, & efficaciâ, sed quia exercendæ patientiæ, quæ iam data est à Spiritu sancto, dat occasionem. Nam patientia est donum Spiritus sancti: neq; enim facilè dura, & aduersa pateremur, nisi sciremus nos habere donum in cælis,
2. Corint. 5. 2. Corint. 5. v. 1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationẽ ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Propter quod Euangelium Christi frequenter docet, tristes, flentes, esurientes, sitientes, persecutiones patientes, beatos esse. Ergo semen spei æternæ gloriæ, iuxta Apostolum est tribulatio, quoniam ex ipso benè lata, & cum patientia spes fructificat. Probante Apostolo illis verbis: *Spes autem non confundit.* Ostendens spem non frustrari legitimè sperantem, & quærentem ea, quæ sunt speranda: quia spes Christi fideliũ, non nititur humanis promissis, aut bonis, quorum incerta est præstatio; sed nititur diuina promissione, & immutabili bonitate, neq; intercidit nostra morte: quoniam qui promisit vitam æternam,

mortuos

mortuos ad eam excitat, ac deducit. Quòd si sperantium aliqui spe excide-
runt, id non spei vitio, sed ipsorum ignauiâ, contigit, qui vana spe inflati non fa-
ciunt, quæ ad finem necessaria sunt. Ita
S. August. resoluit D. Augustinus tract. 37. in Ioan. *Sperando* ait, *quis decipitur, qui dicit, bonus est Deus, misericors est, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ, spe isti periclitantur.* Vt igitur spes non confundat, necesse est, talem esse sperantem, qui spei suæ ipse non obstet.

Semen itaq; spei æternæ gloriæ, est tribulatio; patientia verò est fomentum, quo istud semen fouetur, ne corrumpa-
Chrysolog. tur. Audite Chrysologum serm. 110. hac de re eleganter loquentem: *Tribulatio* inquit *fratres, velut primam iusti viri concutit, & conturbat infantiam, sed cùm inuenerit ista patientem, ad maiora adolescentem iam bonæ indolis tunc erudit.* Quanta ergo stultitia est, dum quispiam sine semine ad fructum venire contendit, & sine fomento sperat semen posse crescere, id est, ad gloriam æternam peruenire, sine tribulatione, ac sine patientia. Erras ô homo, quisquis hac vana spe abriperis: monstret etiam tibi Deus apertam cæli ianuam, ad illamq; te inuitet, animet; stultus tamen esses, si putares, sine tribulatione ingressum tibi patefacturum. Quoniam etsi Deus inuitet, etsi ostium pandat, intrinsecè, & per se cum illa semper conditione intelligitur, vt cum patientia, & tribulationum sustinentia intres, quamuis nihil Dominus de tribulatione intimet. Hoc certè insinuare mihi videntur verba illa Iacobi Patriarchæ. Genes. 28. v. 12. quando
Genes. 28. post apertum cælum, post visionem Angelorum, post Dei familiarem allocutionem, pauens & stupens dixit, *quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Mirum est, cur terribilem appellauit illum locum, in quo tanta bona acceperat, qui si rectè appellandus erat, potiùs amænitatis paradisus dici debuit. adeò vt præ stupore exclamet Rupertus: *Et quid pauoris, vel quid terroris secundùm se locus iste poterat habere?* Vnde ergo
Rupertus. Iacobo pauor? Respondet idem Rupertus, ex mysterijs tunc ei reuelatis, nimirum futuræ Ecclesiæ, in qua Deus terribilia operatus est; *Ecclesiam* ait, *Dei futuram, & in ea terribilia Dei opera iste miratus ex-*
Caietanus. *pauit.* Caietanus verò censet, Iacobum seipsum expauisse, quòd peccator inter Angelos, & cælum versaretur, iudicium diuinum extimescens. Sic enim loqui-
A tur: *Timuit diuinum iudicium, considerando seipsum relatiuè ad diuinam præsentiam, & frequentiam, Angelorum, ne imputarentur sibi defectus sui,*
Tertullian. Tertullianus autem de fuga in persecutione cap. 1. per *scalam*, quam vidit Iacob, intelligit persecutiones, tribulationes, tormenta, martyria; per Angelos verò ascendentes, intelligit probatos; & per descendentes, reprobos Christianos. *Hæc enim, id est, persecutio, scalæ, quas somniat Iacob, alijs ascensum in superiora, alijs ascensum ad inferiora demonstrantes.* Optimæ sanè trium Doctorum expositiones, ex quibus vnam proposito nostro valdè accommo-
B dam, scilicet terribilem nimium locum illum visum fuisse Iacobo ex eo, quòd viderit mysteria Ecclesiæ, & terribilia, quæ in ea DEVS operatus est, id est, martyrum tormenta, confessorum tribulationes, persecutiones, martyria, quibus boni essent probandi, & mali reprobandi, ac proinde neminem cælum ingressurum, nisi per scalas, hoc est, per cruces, tribulationes, tormenta. Ideoq; Iacob seipsum considerans peccatorem, per similia ad cælum ascensurum, puta per diras tribulationes, cruces, passiones, & martyria, licet cælum sibi apertum vidisset, licet Deum cum incitan-
C tem, ex præconceptione dolorum, ac tribulationum sufferendarum, locum illum terribilem nominauit. Et sanè meritò totus exhorruit, vt hinc agnoscamus, licet nobis cælum pateat, licet nos Deus ad illud inuitet, nunquàm tamen nos illud conscensuros, nisi per tribulationes patienter susceptas.

S. Ambros. Hinc D. Ambrosius serm. 20. in Psal. 118. audacter videtur affirmare, neminem sine tribulatione saluandum. adnotans de morte quidem S. Ioannis Euangelistæ aliquos dubitasse; de tribulatione autè nullum. *Omnes* inquit *oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit,* Sine tribulatione nemo cælũ ingreditur.
D *quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum, si eum volo manere, quid ad te? de morte eius reliqui dubitarunt, de transitu per ignem dubitare non possumus, quia in paradiso est, nec separatur à Christo.* Ponderate penultima verba: *quia in paradiso est*, quasi ex necessaria consequentia Ioannem tribulationes perpessum inferat S. Doctor ratione fundamentali desumpta ex eo: quia Christus sanctis Apostolis, & omnibus fidelibus ita disposuit regnum cælorum, Luca 22.
sicut ipsemet à Patre illud accepit, Lucæ 22. v. 29. *Et ego dispono vobis regnum, sicut dispositit mihi Pater*: quasi diceret sicut mihi per tribulationes illud Pater obtu-
lit;

lit; ita ego per easdem vobis dispono, A
Beda. vt ingeniosè exponit V. Beda, in citatum Euangelistæ locum ita discurrens: *Sicut ergo Pater disposuit Filio regnum, quem factum obedientem vsq; ad mortem exaltauit illum; sic & Filius idem permanentes secum in tentationibus æternum ducit ad regnum.* Infert igitur S. Ambrosius, D. Ioannem per ignem transisse tribulationum, ex eius beatitudine vim argumenti eliciens, palam ostendens, etiam S. Ioannem non potuisse aliter in cælo cum Christo consedere, nisi priùs per passiones, per cruces, per ignium probationes transisset. Ideòq; quamuis de eius morte liceat dubitare; de passionibus ta-
B men nequaquam, vt hinc apertè colligamus, potiùs de morte alicuius dubitandum esse, an videlicet moriturus sit; quàm de tribulatione, an eam sit passurus.

Quòd cùm ita sit, cognoscite, quantum malum sit impatientia, quæ per oppositum efficit dissimilitudinem cum Christo patiente. Si enim Christus omnibus refertus virtutibus, non aliam, quasi propriam sibi notam habere voluit, nisi
Exodi 34. patientiam, vt meritò illi attribuatur illud Moysis, Exodi 34. v. 6. *Misericors, clemens, & patiens.* Nec quomodocunq; patiens, sed patiens ex linguis, ita vt nec
C ita legit: *Dabit in sepulturam os suum*: additverbum in tormentis loqueretur. Conferte ergo nunc impatientiam, (quæ tota est clamorosa, ac in vociferationibus consistat) cum patientia, & facilè aduertetis, neminem ita Christo dissimilem fieri; quàm impatientem. Cùm autem tota nostra beatitudo, & glorificatio, siue cum Christo conregnatio, vt loquitur Apostolus, sit cum Christi passionibus conformatio, quis non assentietur, impossibile esse, vt impatiens ad beatitu-
Impatientia est fundamentum æternæ damnationis. dinem perueniat. Imò ausim affirmare, impatientiam esse fundamentũ damnationis æternæ, quod vt concipiatis, expendite Christi patientiam, quam ita ex-
D hibuit, vt in tolerando iniurias, non solùm voluntatem vlciscendi dimiserit, sed etiam potestatem id faciendi penitùs exuerit, adeò vt omnino impotens ad illas iniurias vindicandas inueniretur. Vt fatetur ipsemet de seipso, Ioan. 8. *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.* Parce piè IESV, si omnimodam potestatem iudiciariam à Patre æterno accepisti, vt habetur Ioan. 5. *Neq; enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Si ergo omne iudicium dedit tibi Pater, quare nunc ipse non iudicas! Equidem quia de iniurijs sibi illatis, tunc

sermo erat: vocauerunt enim illum Pharisæi cùm Iudæis Samaritanum, ac dæmonium habentem; idcircò vt ostenderet, non solùm se voluntatem non retinere illas graues calumnias vindicandi, sed etiam simul nec potestatem sibi reseruasse, officium iudicis recusauit. Pa-
S. Chrysost. tri illud reseruans. Sic elucidat S. Chrysosthomus homil. 18. in Ioan. *Nobis* inquit *profectò insinuans, quantum nos patientes esse debemus, dum se adhuc vlcisci non vult, & ipse, qui iudicat.* Addam ego ampliùs: non solùm tunc Christus potestatem exuit vlciscendi, sed etiam vocem conquerendi, ita vt prorsùs elinguis esset in patiendo.

Verùm mirabitur forsan quispiã, quare Christus patientissimus, qui vsq; ad miraculum semper in suis passionibus tacuit; vltimò tamen in cruce clamauerit: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Facessat quæso admiratio: Dominus enim ac Redemptor noster, qui ita admirabiliter in tormentis, & atrocissimis suis doloribus, quasi piaculum æstimauit, si vel vnicam dolentis vocem emisisset, non solùm eâ vsus non est; sed quasi à se abdicans suffodit, & in terram sepeliuit, teste Diuo Ambrosio serm. 10. in Psal. 118. vbi illa
Thren. 3. verba, Thren. 3. *Ponet in puluerem os suum*,
S. Chrysost. que. *Ostendit quandam supra modum potentiæ taciturnitatem, vt tanquàm sepeliat os proprium, ne loquatur, & velut quodam aggere virtutum obruat, ne vocem dolentis emittat.* Quasi diceret: non solùm Deus noster os clausit in tormentis, sed etiam sepeliuit, potestatem illi eripiens, non solùm vindicandi iniurias, sed etiam innuendi dolorem. Nihilominùs in cruce sancta exspiraturus,
Christus in cruce moriens quare exclamauit. clamauit voce valida: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*, vt scilicet veram suam humanitatem ostenderet. Sic resoluit Aloysius in lib. de passione cap. 40. *Ne quis* ait, *ex tam* admirabili silentio, aut corpus illud Sanctissimum æreum putaret, aut animam lapideam sine sensu.

O mira Christi patientia, vt inter summos cruciatus fileret, & nonnisi moribundus vocem proferret, ne verus homo fuisse dubitaretur. Luctabatur quondam Iacob Patriarcha cum Angelo, Genes. 32
Genes. 32. v. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo vsq; mane qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum, fœmoris eius, & statim emarcuit.* Audite, quid post hanc luctam subsecutum est: in lucta non deficiens Iacob, dum instaret Angelus dimitti postulans, ille respondit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Bone Deus, pro sola benedictio-

ne pugnatum est, quam dum non posset Iacob eripere sanus, claudus eripuit. Vnde illi obsecro tanta confidentia? certè non aliunde, nisi ex taciturna patientia, quam Iacob sustinuit ex incredibili dolore ob læsionem fœmoris, vt ingeniosè obseruat Lippomanus inquiens: *Ex colluctatione vehementi, & tactu colluctationis Dei voluntate, non casu loco cessit, & dimota est coxa à naturali situ, & vt vulgo dicitur, dislocata, & neruus ille, quo coxa regitur, vim suam perdidit.* Quod certè sine vehementissimo dolore fieri non potuit, vt obseruat citatus Lippomanus; & tamen Iacob nec vocem dolentis emisit: imò quod magis stupendum, licet iam claudus, non tamen eadem efficacia, prout antea luctari destitit, ideoq; in eodem loco benedictionem obtinuit. Ita planè Redemptor noster, non ex eo, quia Filius Dei; non ex eo, quia sanctus, non ex eo, quia Spiritu sancto plenus, sed quia in passione, in cruce patiens extitit, benedictus acclamatur. Auctore D. Ambrosio in Psal. 118 Vbi ponderans illa verba: *Libera me à calumnijs hominum*, affirmat Christum grauissima tormenta tolerantem, à silentio ex eis triumphum reportasse. *Est* inquit, *humana tentatio, quam ferre possumus; calumnia autem grauis est, & ideò Dominus quæ sunt grauiora suscepit, & calumnijs appetitus, silentium detulit triumphale meritò equidem* triumphale dicitur silentium Christi, quia per illud de inferno, de morte, de diabolo triumphauit.

Lippoman.

S. Ambrosius

Sicut igitur patientia nos Christo similes reddit; sic impotentia facit eidem per omnia dissimiles. Nam Christus potestatem iniurias vindicandi à se eliminauit; impatiens verò licet istam potestatem non habeat, eam requirit. Christus silenti patientia omnia tormenta, & ludibria sustinuit, impatiens autem totus in clamoribus, in iurgijs, totus non solùm Christi, sed etiam sui ipsius dissimilis, totus turpis, ac in turpitudinem versus, dicam plus, ita Christo fit dissimilis, vt totus in similitudinem diabolicam transeat. Quod ingeniosè edisserit S. Chrysostomus, homil. 16. in Acta, tom. 3. ajens: *Nam quid in iracundo non turpe? oculi insuaues, os distortum, membra tremula, lingua infrenu, mens stupida, figura indicens: vide dæmoniacorum oculos, & ebriorum, & insanientium, quid differunt inter se?* Dæmoniaci quasi abreptitij fiunt impatientes, in potestate dæmonum; at verò homines impatientes peiores esse, quis non affirmabit? In dæmoniacis enim dæmon vtem impatiente nunquàm, vt proinde non minus impatientes à sua impatientia crucientur; quàm dæmoniaci à dæmonibus. Pulchrè Tertullianus lib. de patientia cap. 8. *Si parum* inquit *æquanimiter audiam dictum aliquod in me proteruum, aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem, necesse est, aut cruciabor impatientiâ mutâ.* Impatientes quippè, aut vicem reddunt amaritudinis, aut impatientiâ cruciantur mutâ, vt hinc agnoscamus, quantùm à Christo homines impatientes diffideant, & si nemo ingressurus est regnum cælorum, iuxta doctrinam Euangelicam, nisi Christo similis, impatientes à spe gloriæ mihi excidere videntur, & æternam damnationem sibi vltrò accersere.

Tertullian.

Angelus ob impatientiam damnatus est.

Quid enim primum Angelum perdidit, cur de paradisi celsitudine corruit, nisi ob impatientiam? Dum velut antelucanum sidus inter Angelorum astra fulgens eximia claritate, modum non adhibuit lucis fulgoribus, sed immodico appetitu lucendi ductus, immoderatus luminum ostentator ab exordio creationis apparuit. Quemadmodùm subtili suo ingenio expendit D. Bernardus, super illa verba Isaiæ 14. *Quomodò cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Quid est, manè oriebaris, nonne rectiùs dixisset, qui mane creabaris? ne miremini: superbiâ enim elatus, non cognouit principium, neque potentiam DEI creantis illum, ideòq; ipse, tanquàm à seipso ortus esset, vt lumen effunderet, non expectauit nutum Dei imperantis, sed sibi arrogans lucem, vt plùs luceret Angelis, omnia lumina, & splendores naturæ, atq; gratiæ alijs spiritibus ambitiosiùs ostentauit. Auctore D. Bernardo serm. 3. de verbis Isaiæ: *Bonum erat tibi, si ignifer magis esses; quàm Lucifer, nec tàm immoderato appetitu lucendi, vt eras frigidus ipse, frigidam quoq; eligeres regionem: quid festinas mane oriri Lucifer? quid gloriaris supra sidera, quibus aliquando clariùs rutilare videris? breuis omnino erit gloriatio tua.* Non igitur ardere, sed lucere satagebat Lucifer, ac vibrare in Angelos suorum luminum: ideòq; immoderatus appetitus lucendi, nimiaq; ostentandi fulgores cupiditas, principium ruinæ extitit, felix si rutilum decus aut continere, aut moderari voluisset.

S. Bernard.

An certè adhuc dubitatis, impatientes spe æternæ gloriæ excidere? Prospicite nullos ita Deo infidos esse, sicut impatientes: nullos in eius cultu ac veneratione instabiles. Impatientes enim tunc

Electi Dei maximè in aduersis Deum orant.

tunc Deum adorant, & venerantur, quando bona de manu eius suscipiunt; at verò vbi aliquid aduersi acciderit, Deum abnegant, & à se expellunt. Non hæc est Sanctorum, & Dei electorum sors, qui in vtraq; fortuna Deum adorant, imò tunc maximè, quando rebus aduersis premuntur, quando illis Deus carissima pignora adimit. Reuocate vobis in mentem Dauidem Regem, & recolligite, quid egerit post mortem pueri, quem vnicè diligebat, & obstupescetis. Nam dicit sacer textus 2. Reg. 12. quòd audita eius infirmitate ieiunauerit, seipsum in proprio cubiculo occluserit, in terram prostratus fuerit, omnem penitùs consolationē à se remouerit, amicos non admiserit, seruos expulerit, quasi cum morituro filio moriturus. At verò vbi filium mortuum audiuit, extemplò surrexit, faciem lauit, corpus vnxit, vestes solemnes induit, ac Domino Deo gratias egit. *Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, vnctusque est, cumq; mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit.* Vnde quæso Dauidi tanta festiuitas post mortem infantis? qui antea ita vehementer indoluerat, ne moreretur? quomodò tàm festinanter ingressus est domum Domini, qui antea seorsim in terra iacuerat? Profectò, quia hæc est sanctorum virorum indoles, vt magis ex patientia Dominum agnoscant, eumq; diligant intensiùs, quando pretiosa & summè dilecta eis aufert, quando amara, & tristia immittit. Hoc motiuo ductus Rex Dauid, tunc festinus, & lætus adorauit Dominum, quando charum ei pignus abstulit. Quod admiratus D. Ambrosius lib. de fide resurrectionis exclamat: *O miram sapientiam seruientu, vt nemo sibi aduersi aliquid accidisse indignè ferat, & contra meritum suum se queratur afflictum.* At impatientes è contra statim Deum deserunt, & expellunt, vbi quidpiam eis molestiæ aduenerit. Cuius rei euidentissimum documentum habemus in Philisthæis, qui postquàm ceperunt Arcam, ob summam reuerentiam in templo Deastri sui Dagonis eam deposuerunt, quasi iam augustiorem, & sublimiorem locum non inuenientes, vt obseruat Abulensis in 1. Reg. cap. 5. quæst. 1. vbi dubium mouens, quare Philisthym Arcam tangentes, morte non sunt puniti? respondet: *Quia erant nimis deuoti circa venerationem Arcæ, quod patet, quia impenderunt ei maximum honorem, quem impendere poterant, scilicet quia posuerunt eam in loco sacratissimo totius terræ suæ, scilicet in templo Dei magni Dagonu.* Si ergo ita deuoti, ita obsequentes in Arcam Dei extiterunt, cur eam à se breui post expulerunt? sanè quia eis afflictiones induxit, teste sacra pagina: *quoniam dura est manus eius supra nos, & supra Dagon Deum nostrum.* Cùm honore priùs Arcam susceperant, quia eis fuit fauorabilis, & victoriam de Israëlitis concessit, sed postquàm eos flagellauit, plagâ magnâ, illicò respuerunt eam; quoniam hæc est propria impatientium conditio, Deum quærere, dum blanditur, eumq; derelinquere, dum flagellat.

2. Reg. 12.

3. Ambros.

Abulensis.

Videte quæso, imò etiam cum lachrymis attendite, an non idem modernis temporibus faciant Christiani, *qui* (vt obseruat Beda) *videntes propter fidem Christi interdicta sibi peccata, quæ amant, ipsam fidei religionem, quantum valent, detestantur, ne huius occasione desideria, quibus pro Deo seruiunt, iubeantur extinguere.* Hinc illa Domini locutio ad Ezechielem: *Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt*, cap 8. Postquàm autem ingressus vidisset seniores domus Israël incensis thuribulis, & fumo vsq; ad cælum ascendente, adorare similitudinem reptilium, & animalium, dixit ad eum Angelus: *Adhuc conuersus videbis abominationes maiores*: statimq; intus introductus, *vidit mulieres sedentes, & plangentes Adonidem.* Res stupenda, vnde hæc maior abominatio? & quidsupra idolorum adorationem addebat planctus mulierum? vt illam abominationem maiorem Angelus vocauerit. vtiq; nulla potest esse maior abominatio idololatriâ, præsertim verò rerum vilissimarum, vt serpentum, quadrupedum, animalium, &c. Vnde ergò maior iniquitas commissa in planctu Adonidis? certè ex eo, quia per Adonidem tropologicè fœda viuendi ratio significatur, obseruante id S. Hieronymo in citatum scripturæ locum: *Adonidis* inquit *fuit amasius Veneris iuuenu, & pulcherrimus, cumq; talis esset, in monte Iunio occisus est, & anniuersariam ei mulieres celebrabant solemnitatem, in qua plangebatur à mulieribus.* Vt sic Venerem ad suas explendas turpitudines sibi propitiam redderēt. Mulieres itaq; Adonidem, quem Deus ob peccatum euitandum sustulerat, plangebant impatienter de Deo querulantes, quasi eis occasionem præclusisset delectationis, & vnde ei gratias persoluere tenebantur, inde querelas reddebant; hinc maior iniquitas, peior quàm idololatria planctus.

Beda.

Ezechiel. 8.

S. Hieron.

Rem paucis concludo, tantùm malum esse impatientiam, vt si cum DEI zelo coniungatur, eum perdat, & hominem mulctet, non Deo placendo, sed displicendo;

cendo; non sanctificando, sed vt ita loquar, dishonorando. Attendant obsecro Prælati Ecclesiæ, Pastores, & quicunq; in dignitate aliqua constituti superiores, ne dum zelantes se reputant, coram stricto Dei iudicio inpatientes inueniantur, acriterq, reprehendantur, modum, aut tempus excessisse, non ex zelo, sed ex impatientia. Daturus iussu Dei Moyses populo aquas, Num. 20. Deum in illa actione adeò grauiter offendit, vt ipsum iratus ab ingressu terræ promissionis arceret. Cùm tamen Doctores vix in illa Moysis actione peccatum inueniant, & qualenam fuerit, in varias sententias abeant. Aliqui enim dicunt Moysen peccasse, quia bis percussit petram, cùm non debuisset nisi semel. Nonnulli, quia non eandem petram, quam Deus designauerat, sed aliam percussit. Alij, quia non petræ, vt Deus mandauerat, sed populo locutus est. Alij, quia ambiguè locutus, cùm debuerit absolute loqui; alij demùm, quia aquam de petra educendam, promittenti Deo non credidit. Verùm ego non auderem peccatum incredulitatis Moysi attribuere, quomodò enim fieri potuit, vt homo ita Deo familiaris, ita Dei potentiam sibi perspectam habens, & qui maiora antea coram Pharaone patrauerat miracula, de re longè minori dubitaret. Propter quod Abulensis,

De peccato Moysis variæ sententiæ.

A Theodoretus, Oleaster, ac Lyranus Moysi solùm peccatum impatientiæ tribuunt, quâ victus non ampliùs tantam populi iniquitatem sufferre valens, simul cum Dei zelo populum reprehendit intempestiuè, ita crudè, vt populus quasi à sensibus abreptus, licet miraculum vidisset; Deum tamen non laudauerit. En quantum malũ est impatientia, vt etiam Moysi alias Deo in omnibus morẽ gerenti, meritum eripuerit, & pœnam auxerit: quia senio iam confectus, & annis, tribulationisq; immensæ onere pressus, contra rebelles impatiens mentes, tunc reprehendit, quando non debebat, tunc repressit, quãdo nõ licuit; ideòq; licet zelo feruẽs, quia tamen impatiens, opus perdidit.

Habetis itaq; Crucem sanctam, velut lapidem Lydium, ex qua iudicium ferre potestis, quid vobis Christo militantibus, maximè necessarium sit, nimirum seruire Deo in timore, in humilitate, in mansuetudine, in patientia, ac in omni virtute. Amplectimini igitur Crucem sanctam, auream Christi seruitutem, & patientiam discentes, ne dum pro Deo stare nos putamus, indiscreto zelo, & impatientia contra ipsum pugnemus, & sic cruce præeunte, in patientia regnum Dei possidebimus.

DIE SANCTI MATTHÆI.

CONCIO

Non veni vocare iustos, sed peccatores. *Matth. 9.*

Christus Matthæum peccatorem ad Apostolatum vocauit, vt pœnitudinis exemplum exhiberet.

INfelicem iustorum sortẽ posset forsan quispiam reputare, cùm Christus his postpositis, peccatoribus se totum offerat, asserens, quòd non ad uocandos iustos, sed peccatores descenderit. Nunquid magis illi cordi est iniquitas, quàm iustitia? Absit? cum enim sit ipsamet sapientia, & summa bonitas, nihil approbat in creaturis, nisi quod rationem bonitatis participat, nihil intendit, nisi quod virtutem redolet. Iustitiam ergo vt potè primariam virtutem in hominibus probis amat, iniquitatem odio habet: nihilominùs quia vult omnes homines saluos fieri, neminem despicit; sed & iustum, & peccatorem ad se pertrahit.

A Vtroq; proinde vocat; iustos vt magis proficiant; peccatores verò vt corrigantur. Sic Nathanaëlem, Petrum, & Andream, alioq; homines iustos vocauit ad augmentum gratiæ: quia cùm eos iustitiæ operibus deditos videret, nihil restabat, nisi vt illos ad profectum vitæ perfectioris inuitasset; quos autem vidit peccatis grauioribus inuolutos, eos ad pœnitentiam præteritorum inuitauit. Et ideò S. Lucas cap. 5. v. 32. ad hanc Christi sententiam: *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, addit, *in pœnitentiam*. Quod considerans D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 27. dicit de hoc additamento: *quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores, ob hoc ipsum, quòd*

Luc. 5.

S. Aug.

peccatores sunt, diligi arbitretur à Domino. O cautela opportunissima, dignissimaq;, quæ ex Lucæ Euangelio ab Augustino adnotaretur, nimirum ita erga peccatores beneuolè affectus sese Christus exhibebat, vt cautione opus fuerit, ne quisquam peccatores, ob hoc ipsum, quòd peccatores sunt, diligi arbitraretur à Domino. procul à Deo, qui summa bonitas est, de hominum iniquitate complacentia: imò quantò magis iniquitas est illi odiosa, & homiui perniciosa, tantò blandiori beneficio peccatores ad se allicit, vt in beneuolentiæ officina peccatores reformet, & in iustos refingat. Quod olim promiserat Deus per suum Prophetam Isaiæ 35. *Dicite pusillanimis: confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester veniet, & saluabit vos. Et erit tibi semita, & via, ita vt stulti non errent per eam.* Ostendens viam ad cælum, quam Christus suo sanguine complanauit, & fidei atq; gratiæ fulgoribus illuminauit; viam directam esse, quâ securè in cælum itur. Quærit Guerricus apud Tilman, si via hæc ita sancta dicitur, vt pollutus nõ intret per eam, quâ viâ polluti ibũt? & respondet: *Imò potiùs hac omnes, hac veniant, hac incedant. Immundus enim præcipuè Christus hanc viam strauit, qui venit quærere, & saluum facere, quod perierat in vijs sæculi. Quid igitur? Transibit pollutus per viam sanctam? Absit. Veniat quantumlibet pollutus ad eam; non tamen transibit pollutus per eam: quia cùm transierit, iam pollutus non erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum, quia diluit omne commissum.* Via igitur recta in cælum est Christus, quæ impollutos non inuenit, sed facit; proindè & iustos & peccatores recipit, sed vt ex peccatoribus iustos faciat. Vacuisset enim empyrea cæli gloria, nisi Christus adeò se benignum peccatoribus exhibuisset. Audite D. Paulum, qui se ineffabilis huius Dominicæ benignitatis velut ideam proponit 1. ad Timot. 1. inquit, *misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus* Iesvs *omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam.* Ad quem locum alludens S. Chrysost. homil. 2. in Psal. 50 dicit: *Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogita blasphemum, confidera Paulum prius persecutorem, postea annuntiatorem. Nolo mihi dicas: Blasphemus sum: nolo dicas: persecutor sum. Habes omnium offensiones, in quem volueris portum, confugito. Vis in nouum? vis in veterem? in veteri Dauid, in nouo Paulus.* O præclara Dominicæ benignitatis exemplaria, his proposita, qui per ipsius

Guerricus.

1. ad Tim. 1.

S. Chrysost.

Rom. 5.

patientiam, & mansuetudinem peccatorum beneuolè exceptricem, vitam æternam exambiunt! Dubium nihilominùs mouent Authores, si Christus vtrosque, tàm peccatores, quàm iustos vocat ad se, cur absolutè dixit: *Non veni vocare iustos?* Respondet Lyranus, quia Christus in his verbis voluit significare eos, qui iustitiæ Dei non sunt subiecti, sed seipsos in suis operibus iustos reputant. Quales fuerunt temporibus Christi Pharisæi, qui se per legem Moysis iustos esse arbitrabantur. Quam iustitiam vanam fuisse declarat Apostolus ad Rom. 3. v. 27. illis verbis. *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est? Per quam legem? Factorum? non, sed per legem Fidei.* Quasi in hunc modum argumentaretur. Illa iustitia, quæ præbet materiam de proprijs operibus, & virtutibus gloriandi, non est vera; sed illa tantùm, quæ omnem iactantiæ, & sanctorum operum fiduciæ occasionem amouet. Sed iustitia legis, & operum præbet occasionem gloriandi, quoniam inanis superbia inflabat Iudæos: ergo non erat vera iustitia. Nemini enim etiamsi iustus sit, licitum est gloriari in seipso: quia ex se nihil habet, sed omnia ex gratia Dei, quæ gratuita est. Vnde etiam ipsa merita iustorũ, sunt dona Dei gratuita: quoniam nõ possent esse merita, nisi vim merendi ex gratia Dei haberent. Per solam enim gratiam Dei sanctificantẽ nos formaliter iustificari, quæ est donum supernaturale inhærens animæ, docet Apostolus ad Rom. 3. v. 24. illis verbis: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, quæ est in Christo* Iesv. Vbi hanc gratiam, vocat gratiam Christi: quia Christus omnia auxilia saluti nostræ vtilia, inter quæ numeratur gratia, nobis meruit. Iustos igitur, qui se de suis operibus non iactant, diligit Christus, cùm in illis per gratiam sanctificantem permaneat, sed superbos, qui hominibus videri cupiunt iusti, cùm sint impij, odio habet; peccatores autem, qui conuertuntur, & sua peccata humiliter confitentur, vocat ad pœnitentiam de quorum numero fuit S. Matthæus, qui' se ex nimia humilitate publicanum appellauit. Quem cur Christus peccatorem: etiam ad Apostolatum vocauerit, hodiè discutiemus.

Homo per solam gratiam Dei iustificatur.

Res profectò digna consideratione, quomodò Christus Matthæum publicanum, & peccatorem, ad supremum magisterij in Ecclesia sua sancta munus obeundum vocauit, vt esset Apostolus & Euangelista: non enim à cathedra Moysi, sed à peccatorum telonio vocauit eum.

Cuius rei hanc ex omnibus optimam rationem esse reor, quia illum ad misericordiam pronum agnouit; misericordia autem summè illi cordi est. Hinc Deus supra petram Horeb stantem se Moysi exhibere voluit. Exodi 17. *Et ego stabo coram te ibi supra petram Horeb, percutiesq; petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Quid est? antea Deus nec supra fluuium, nec super mare, quando ibi fiebant signa ad virgæ tactum, steriſſe dicitur; supra petram autem Horeb stare illi placuit. Causa inpromptu est, quia petra hæc sitientes pauperes reficiebat aquis. Nam virtus hæc, quæ famelicos sitientes satiat pauperes, inter omnes alias morales virtutes Deum ad se potenter trahit. Hinc de vberibus sponsæ locutus Dominus dicebat, Cantic. 1. Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Vbi vbera sponsæ inde meliora & gratiora Deo apparebant, quòd fragrantia essent vnguentis optimis. Quod si scire desideratis quænam sint hæc optima vnguenta, quæ ita potenter cor Dei rapiunt? Respondet sanctus Bernardus serm. 12. in Cantic. esse cõtritionem, pietatem, & charitatem erga proximum *Duo* ait, *me vnguenta vobis tradidisse recordor.* Vnum contritionis, alterum deuotionis. Sed vnguentum, quod amobous longè antecedit, & hoc appellauerim pietatis, eò quòd fiat de necessitatibus pauperum, de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. Despicabiles videntur species istæ, sed est super omnia corona vnguentum, quod ex eis conficitur. Ergo charitas, quæ extenditur vsque ad subleuationem miserorum, maximè allicit Deum, illumque supra omnia aliarum virtutum aromata recreat. Hinc illa vox redemptoris nostri ad discipulos: *Euntes discite quid est: misericordiam volo, & non sacrificium.* Palam ostendens, quòd pluris faciat misericordiam, quàm reliqua sacrificia. In S. Bernardo geniosè hoc elucidat D. Bernardus citatus: *Bonum* inquit, *contritionis vnguentum quod de recordatione peccatorum conficitur. Cæterùm longè melius esse arbitror id, quod dicitur deuotionis factum de recordatione beneficiorum Dei. Porrò vtrumq; vincit vnctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit. Optimum reuera vnguentum, in cuius comparatione, cætera nec respicere se ostendit, qui ait, misericordiam volo, & non sacrificium.*

Quia igitur Christus venerat in hunc mundum, vt suam benignitatem, mansuetudinem, & misericordiam in filios mortalium abundè diffunderet, ideò prima Ecclesiæ suæ sanctæ fundamenta ponens, tales habere voluit doctrinæ suæ Magistros, qui miseris misereri, & hominum defectibus ipsimet eisdem obnoxij, compati scirent. Ita resoluit D. Basilius Seleucienſis orat. 28. vbi ad illam quæstionem, de vocatione peccatorum ad Apostolatum: *Cur Domine ad tantum magisterium eleuas homines peccatores?* respondit: *Vt offensionu similitudine magistros reddat ignoscentiores* Tantum enim valet conscientia propriorum peccatorum, ad ingenerandam animis in alios misericordiam; vt ad veniam præstandam alijs; eligantur illi, qui ob oculos possint habere peccata propria. Sic Petro committebat oues suas Dominus, qui ab vna ostiaria in domo Caiphæ coniectus erat in errorem, vt Christum turpiter abnegaret, ita eum alloquens: *Petre amas me? pasce oues meas.* Ex quibus verbis citatus Basilius hunc sensum elicit, quasi Christus diceret. Petre infirmitatem tuam sensisti? Agnouisti, quò tua deuoluta sit iactantia? Veniam concede, quâ te scis eguisse. Non depretiaberis pœnitentiæ pharmacum. cuius tu robur admiratus es. Ergo nemo meliùs peccatoribus ad pœnitentiam recurrentibus indulgere nouit; quàm qui se ante peccatorem fuisse pariter recognoscit, siquidem conscientia propriorum peccatorum nos facit misericordes in alios.

S. Basilius.

Lugebat quondam Dauid rebellem, & pernicioſissimum filium, à quo ipsemet quærebatur ad mortem: lugebat inquam clamans & eiulans. *Fili mi Absalon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.* 2. Reg. 18. Et vnde tàm pius, & iustus Rex adeò tener, & misericors in tyrannum truculentissimum factus erat, vt eius doleret vicem, vt lugens vocaret filium? Pupugit hic Dauidis planctus D. Chrysostho- S. Chryſost. mum, qui hom. de Absalone persequente Dauidem, ita discurrit: *Quid plangis gloriosè pater, quid lamentaris, quasi Absalon, quod ausus est, comprobâru? Quid fles sceleſtum, quasi eum parricidium perpetrare voluerit? Frangis gloriam victoris exercitus, nec lætitia esse poterit in victoria, si parricidæ plangitur pœna. Ille tuus non erat filius, qui sic violauit paternos affectus. Ille tuus dici non meruit, qui ius patris sanctissimi violauit. Te non contempserunt exercitus, non duces, quibus parci sceleſto mandasti. Sed illa arbor, illa te primum vlta est, illa defendit, illa læsi patris iniuriam, quæ te non audierat, vindicauit.* Vbi hoc D. Chrysostomus in paternum affectum refert: sic enim arcta est filijs cum patre coniunctio, vt etiam filij parricidæ calamitas, viscera paterna funestet. Quoniam

2. Reg. 18.

Filius est patris memoria: niam *filius* hebraicè est *patris memoria*; & ideò vbi patri perit filius, tanquàm suæ vitæ oculus, sua viscera, & anima, tunc pater quasi iam alius, velut viuum cadauer, plangit viuas sui exequias. Applaudo huic rationi; nihilominùs aliam proposito meo magis accomodam inuenio.

Habebat pius Dauid ante oculos suos tunc propria crimina, quæ tantæ cladi occasionem dederant, & ideò non poterat non misereſcere etiam truculentissimi filij, ait Carthusianus, *Ista fuit causa tanti doloris in Rege deuoto, & spirituali, quoniam sciuit se, ac sua peccata fuisse occasionem.* Sua igitur peccata diligentiùs recogitans, mirum in modum afficiebatur erga peccatorem filium, & dolebat illum castigatum à Deo. Quod facilè intelligere possumus ex alio eiusdem Dauidis facto: quando audiens à Nathano Propheta parabolam diuitis, qui ouem pauperis iugulauerat, vt hospitem suum reficeret, vehementer indignatus respondit: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* 2. Reg. 12. Ecce in raptorem vnius ouiculæ adeo excanduerat Dauid, vt illum morte damnaret; in degenerem autem filium, in raptorem totius regni ita afficiebatur, vt pro illo vellet mori. Causam reddit D. Augustinus in Psal. 50. loquens: *Morte dignum diuitem dixit, & ouem reddendam in quadruplum seueriſſimè, atq; iustiſſimè. Sed peccatum eius nondum erat coram eo: post dorsum erat, quod fecerat. Suam iniquitatem nondum agnoſcebat; & ideò aliena non ignoſcebat.* Ideò proinde tunc durus erat in alios, quia nondum se agnoscebat peccatoré; at verò vbi peccata propria suis oculis obuersantia spectauit, protinùs illorum conscientia non potuit hominem misericordẽm, & blandum in alios non reddere.

Carthusianus

2. Reg. 12.

S. Auguſt.

Hæc est genuina causa, cur Christus Matthæum peccatorem vocauit, vt scilicet is in alios peccatores misericors esset. Quippè propriorum peccatorum conscientia semper nos in misericordiam, & compassionem aliorum adducit. Quod vel ex eo non operosè coniectari possumus, quia & ipsum sacrum Euangelium, non alio eum, nisi hominis titulo honorat. *Et cùm transiret inde* Iesvs, *vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine.* Scrutemini si placet hominis etymologiam: Varro illum ab humo deducit, sed minùs competenter, cùm hoc non solùm homini, verùm etiam omnibus animantibus commune sit. Goropius lib. 2. hominem deducit à voce *Hoomoet*, quæ vox animum altissimum inesse homini indicat, liberiq; arbitrij esse ostendit. Aristoteles cum Auerroë, hominem paruum mundum appellant: quoniam teste Galeno, tantùm artificium in constructione hominis, quantum in totius mundi opificio obseruatur. Nam cerebrò hominis, in quo ratio, & mens residet, repræsentatur cœlum empyreum, vbi diuina residet maiestas. Deinde, à capitis parte imaginatiuam, & cogitatiuam continente, sphæras, atq; intelligentias; à sensitiua verò Dei ministros referri, ac indicari quis non videt? Postea tot faciei ianuæ, per quas rerum species sensus admittunt, septem planetas æmulantur. Si enim cæli oculos, solem & lunam vocamus, oculi pariter humani solem, & lunam repræsentant. Os, in quo venustas vultus consistit, Venerem refert; Iouem, & Mercurium nasus; cùm is pro Iouis sceptro, & pro Mercurij caduceo sumi possit. Saturnum tandem, & Martem aures, ob siccitatem præseferunt. Næui demùm, & cæteræ naturales maculæ, per faciem dispersæ, cæterarum stellarum octauæ sphæræ, similitudinem gerunt.

Quidquid in totius mundi opificio obseruatur, totũ in homine cernitur.

Imò castis casta loquendo, partes humanæ, per quas excrementa truduntur, illas æmulantur tenebras, ad quas malî Angeli, & improbi homines, tanquàm mundi fæces destinantur. Dicam ampliùs. Homo ex Diuo Augustino, est cum lapidibus, vegetat cum plantis, sentit cum brutis, intelligit cum Angelis. Insuper authore Georgio Veneto, dum homo diuinam interpretatur mentem, munere Angeli fungitur; dum cunctis dominatur, quibus præsidere ei concessum est, tunc Archangeli prærogatiuam participat; dum vires omnium subditorum complectens, eas vi quadam cælica attrahit, tunc munium hoc Principatibus cælestibus acceptum refert: dum virtute quadam aduersus veritatis hostes corroboratur, hanc facultatem à Potestatibus; auxilium ad familiarem subigendum hostem à Dominationibus; opem ad proprium & debitum perueniendi finem, à Thronis; lumen concipiendarum cælestium imaginum, à Cherubinis; ac tandem singularem erga diuina amorem, à Seraphinis consequitur. Propter quod etiam à D. Ioanne, *homo*, mundus fuit nuncupatus, quando dixit cap. 1. *Mundus eum non cognouit*, id est, vt exponit Lyranus, homines mundialiter viuentes, qui suum intellectum, & affectum defigunt in terrenis, & sic auertuntur à diuinis.

Ioan. 1.

Homo valenam deducatur.

Cæterùm

Cæterùm illa mihi sententia magis A placet, quæ hominis etymologiam à concordia deducit, cùm homines inter cætera animantia, concordiæ, & consortij vinculo maximoperè cõnectantur. Cum ergo Matthæus inter Euangelistas principem locum obtineat: & inter illa mystica Ezechielis cap. 1. animalia, principẽ figuram, nempe humanam sortitus

Ezechiel. 1. sit, teste Ezechiele. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris, & facies aquilæ desuper.* Meritò à Christo tanquàm homo concordiæ amans, mansuetudinem, & misericordiam colens, ad ma- B gisterium totius orbis vocatus est. Præstantissimam proinde formam inter animalia, quia humanam Ezechiel tribuit, Matthæo, & sanctum Euangelium. Videbat enim iam tunc Christus in isto publicano primum suum Euangelistam, primum suorum gestorum scriptorem. Primum planè, cui Homini aquila Ioannes, vitulus Lucas, Leo Marcus primas cedunt; quoniam is super cunctos Euangelistas caput extollit: quia primus Euangelium scripsit, reliquis scriptoribus ducatum exhibendo, quo Euangelio S. Barnabas secum illud deferens, infirmitates

S. Antonin. hominum sanabat. Adnotante id D. Antonino p. 1. tit. 6. cap. 13. vbi de S. Matthæo ita oquitur: *Apostolus & Euangelista primus fuit ad Euangelium scribendum, & B. Barnabas discurrens ad prædicandum, & secum illud deferens originale, vel transumptum, ponens illud supra infirmos, multos sanauit.*

Hanc portentosam Matthæi vocationem, eiusq; ad scribendum Euangelium euectionem, prædixisse mihi videtur Ec-

Eccles. 11. clesiasticus cap. 11. illis verbis: *Est homo marcidus, egens recuperatione, plùs deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humanitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt eum.* Marcidus e- D quidem homo erat Matthæus, imbellis, egensq; in telonio recuperatione. Sed diuinus oculus Saluatoris nostri respexit eum in bono, & erexit eum à munere publicani, & caput eius supra Euangelistarum vertices extulit, cunctorum plausu

Damianus. & admiratione. De quo pulchrè Damianus serm. 50. *Euangelista* inquit *Euangelistarum non immeritò dici potest, qui dux, & præcessor, ac primus omnium reperitur.* Quòd si inter veteris testamenti scriptores, Moyses primarium tenet locum, eò quòd primus calamum scriptoris admouerit, cur non etiam Matthæus inter Euangelistas primus censeri debet? Addit citatus Damianus: *Sicut Moyses Prophetu non absurdè præponitur, & omnibus, qui aliquid scripserunt in veteri testamento; ita Matthæus omnes iure præcellit, qui scripsisse reperiuntur in nouo. Sicut ille primus nascentu mundi texit originem; sic iste tanquàm spiritualis cuiusdam mundi orientem primus scripsit Ecclesiæ nouitatem. Vnde Spiritu sancto calamum temperante prouisum est, vt vterq; non diuersum; sed vnum idemq; suis libris præmitterent initium: Liber generationis.* Hoc solùm discrimine, vt obseruat idem Damianus: quia illa generatio, quam Moyses scripsit, filios protulit iræ; ista, quam Matthæus expressit, filios parturit gratiæ. Moyses veterem Adam, atque terrenum, veterem mundum, vetus digessit testamentum. Matthæus verò pro veteribus noua, pro terrenis spiritualia, pro temporalibus introduxit æterna. Pro Adam siquidem Christum, pro lege veteri, Euangelium, pro mundo, seu terra herbis, arboribus florente, sanctam describit Ecclesiam, diuersa spiritualium fructuum victualia germinantem.

S. Matthæus præfertur Moysi & alijs scriptoribus.

Gloriatur Christus, quòd in Ecclesia sua sancta habeat Matthæum Euangelistam, & Doctorem, illud vaticinium Isa. Isaiæ 55. iæ cap. 55. adducens: *Ecce testem populo dedi eum, ducem & præceptorem gentibus.* Audite Damianus. elegantem Damiani de eo sententiam: *Inter omnes planè sanctos* ait, *qui cælesti gloriæ, de triumphato mundo, victoriæ titulos intulerunt, Matthæus mihi videtur insignis, & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum: atq; vt clariùs dicam; nemo post Christum est, cui magis debeat sancta vniuersalis Ecclesia: Nam quòd mundus viuit, hæc est causa, quia lux nobis Euangelica coruscauit. Constat autem, quia primus omnium Matthæus hebraico stylo Euangelium scripsit. Quia igitur ad Euangelium scribendum primus iste prorupit, scribendi cæteris Euangelistis viam præcessor operuit, & tanquàm dux vexillum sequentibus prætulit. Illi ergo debemus Euangelium, quem Euangelicæ narrationis constat prætulisse principium. Et quem aliorum nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiusdam priuilegij tenere primatum.* Præclarè satis: nemini inter sanctos plus debet sancta mater Ecclesia, quàm D. Matthæo, cuius doctrina efficacius veritatem Euangelicam Christi inimicis persuadet; quàm aliorum Euangelistarũ testimonia. Hinc enim processit, quòd Hæretici Ebionitæ alijs Euangelijs exclusis, eo solo, quod est secundùm Matthæum vterentur, vt testatur D. Irenæus lib. 1. contra Hæreses, cap. 26, & lib. 3. cap 11. post medium. Quasi alia Euangelia, tanquàm amicorum testimonia suspecta haberent; hoc verò vnum,

Ebionitæ Hæretici solum Matthæi Euangelium admittunt.

vnum, quod à Matthæo, tanquàm ab inimico, quia à publicano, & peccatore profectum, verissimum iudicarent.

Illud tamen torquet multorum ingenia, quoniam Christus diuinâ & æternâ suâ sapientiâ præsciebat, Matthæum fore Ecclesiæ suæ sanctæ vtilem, benignum, mansuetum, misericordem, alienis delictis compatientem, cur illum in telonio residere permisit; quo nihil periculosius, nihil contagiosius esse potest? Rationem hanc esse censeo, vt suam omnipotentiam in vocandis peccatoribus ostenderet, cui soli competit, ex auaro (cuiusmodi solent esse telonearij) facere liberalem, B ex feroci misericordem. Et ideò dicit S. Euangelium: *Cùm transiret inde* IESVS, *vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, sequere me.* Vbi in hoc verbo, *cùm transiret*, locum, & negotium telonij summè periculosum expressit Euan-

Chryfolog. gelista, subtiliter id expendente Chrysologo serm. 28. *Cùm transiret* inquit IESVS. *Non dixit, cùm staret ibi: sed transiuit, & pertransiuit inde* IESVS, *ne Matthæus remaneret ibi: transiuit inde* IESVS, *ne Matthæus ibi taliter permaneret.* Telonij quippe locus erat olim, & nunc est, vbi publicani diu ad rapinam sedebant, vbi sordida auaritiæ commercia tractantur, vbi opulentæ vsu- C rarum nundinæ prostant, vbi vectigalia rapaciter transiguntur; talis proinde telonij locus velociter transitur, & pertransitur à Christo, quasi loci veritus sit contagionem, non sibi, sed nobis. In illo autem verbo: *Sequere me*, suæ vocationis efficaciam inclusit: protinùs enim vocem hanc Matthæus excipiens, disruptis diuitiarum vinculis, excussis sacculorum ponderibus, Dominum secutus est. *Et surgens secutus est eum.* Et vnde tanta vis Christi vocationi? vt Matthæus tot difficultatibus præpeditus, tot facultatibus pressus, incunctanter vocantem sequeretur, & quidem ardua imperantem, & ingra- D tissima humanæ cupiditati iubentem. Inde equidem: quia diligenter obseruabat Matthæus, quid vox Christi sequentibus eum antea contulerit: nimirum cæcis nouos oculos inserebat, claudos reformabat, è tumulis excitabat mortuos, liberabat à dæmonibus viuos. Ergo dum Matthæus quanta imperio obsequentes acceperint, prudenter expenderet, secuturus ruptis difficultatibus sur-

S. Basilius. rexit. Ait Basilius Seleuc. orat: 35. *Vox emittebatur, & morbus pellebatur: ibi qui manum habebat aridam, cùm reliquo viueret corpore, in vno membro manus apertam mali notam gestabat; sed vt Christum vidit, membrum recepit: eadem virtute exiliebat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens.* Vnde licet Matthæo arduæ iuberentur, videlicet relinquere commoda, sequi dura; vt tamen vidit, quanta obedientibus vox illa Christi præstiterat, obedire prompte minimè recusauit, relinquens telonium, & sequens præcipientis imperium, quod diuinæ vocationis efficacia in illo operabatur.

Vt hinc agnoscamus, hominem non aliter sæculi lucra deserere, nisi singulari gratia, efficaci vocatione, & omnipotenti Dei manu cor eius tangatur. Nimia enim habendi cupiditas, quæ expleri nunquam potest, ad ruinam hominis sic intenta aduigilat, vt facilius sit solem sistere; quàm ab auaritiæ malo hominem liberare? Intrepidus, constans, fortis populi Israëlitici animus, ita ad paucorum hominum aspectum trepidauit, vt terga vertens, turpiter ex acie dilaberetur. Vix enim prælium inierant Israëlitæ, ciuitatem Hai expugnaturi, extemplò victi retrocesserunt: *Qui statim terga vertentes percussi sunt.* Iosue 7. Talis quippè timor eos Iosuè 7. inuaserat, vt dicat Scriptura Sacra, quòd cor populi instar aquæ liquefactum esset. Et vnde tantus timor populo alioqui for- Auaritiæ magnorum malorum causa. ti, munito, & ad vincendum assueto? Profectò à sordida auaritia, quia Achan sustulerat de anathemate virgam auream, & pallium coccineum, cuius auaritia magis potens fuit ad populum perdendum; quàm sanctitas Iosue ad seruandum. Et licet sanctitas Iosue solem sistere potuit: *Steterunt q; sol & luna, donec vlciscerentur se gens de inimicis suis.* Iosue 10. Auaritiam tamen compescere non valuit, ait D. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 26. *Propter auaritiam præcipitatus Achan, in exitium deduxerat totam plebem parentum; itaq; IESVS Naue, qui potuit solem sistere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet; ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaq; stante confecit triumphum; auaritia autem procedente pene amisit victoriam.*

Eu quàm difficilis est ad curandum auaritia, vt ad eam reprimendam Deus legem statuere debuerit: quia vt docet citatus S. Ambrosius, *vetus, & antiqua est,* S. Ambros. *cum ipsis diuinæ legis incipiens, oraculis; imò propter ipsam reprimendam lex data.* Decem præcepta Deus populo ad seruandum tradidit, in quibus tota lex contenta est, & inter illa decem, vnum ad reprimendam auaritiam. Cur non potiùs ad idololatriam, aut blasphemiam exterminandã? De auaritia lex specialis à Deo data est. sed solùm ad auaritiam reprimendam?

Profectò non ideò, quasi de cætetis lex data non sit, sed quòd auaritia ita hominum animis insita sit, vt penè contra eius naturam esse videatur, aurum non concupiscere. Proinde cùm lex nullum affectum ita reprimat, quemadmodùm cupiditatè habendi, nullusq; affectus vicissim ita legi obstet; ideò S. Ambrosius ob auaritiam reprimendam, legem à Domino Deo latam esse proclamat. Addam amplius, ideò lex à Domino Deo ad reprimendam auaritiam lata est, quia hæc vnica omnia Dei præcepta infringit. Percurrite singula, & facilè veritas patebit. Primo decalogi præcepto inhibetur homini idololatria: *Non habebis Deos alienos coram te*; hæc autem sine auaritia, auriquè desiderio, nequaquam committi potest, vt docet Tertullianus lib. de idololatria cap. 1. inquiens: *Quæ idololatriæ solemnitas sine ambitione cultus, & ornatus? in illa lasciuiæ, & ebrietates complurimum ventris, & libidinis causâ frequentantur*: quæ omnia pecuniam, & sumptus postulant. Altero decalogi præcepto interdicitur falsum iuramentum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* At hoc vnde, nisi ex auaritia processit? crede mihi, tolle auaritiam, non videbis periuria. Tertio decalogi præcepto iubetur festorum obseruatio: *Memento vt diem Sabbathi sanctifices.* At quid festa ab Ecclesia sancta institura violat, nonne auaritia, & cupiditas habendi? dum eo die, quo maximè Deo vacandum esset, turpi quæstui, & illicitæ negotiationi vacamus, subditos seruilibus grauamus laboribus, ad conficienda itinera cogimus, & interim missæ, ac diuini verbi auditio temerè à nobis prætermittitur. Et quidem ferendum esset vtcunque, si profani solummodò homines talia auderent: verùm prò dolor, & pudor, etiam à personis Deo dicatis frequenter id fieri cernimus, iamq; vitium hoc adeò inualuit, vt vix clericum reperias, qui negotiationi non inuigilet, immemor illius: *Clericum negotiatorem, vt pestem fuge.* Vnde S. Gregorius Thaumaturgus, in quadam epistola, quæ habetur in Sexta Synodo, fœneratores, qui de aliorum dispendio, lucri compendium faciunt, ab Ecclesia, & paterna Dei hæreditate abdicatos pronuntiat: *De alieno* inquit *dispendio, lucri compendium faciens, à Dei Ecclesia abdicatus est.* Quæ Gregorij verba Theodorus Antiochenus ita exponit: *Sanctus dicit, quòd quisquis est auarus, est ab Ecclesia abdicatus, id est, eiectus, & alienus. Dicuntur enim abdicati filij, quando propter aliqua crimina, ab hereditate paterna alienantur.* O egenas fæneratorum diuitias! ob pecuniarum lucellum, leue, incertum, volatile, caducum, paternæ Dei hereditati renuntiat homo cupidus, à qua ob reatum auaritiæ abalienatur. Æternum perdis miser auare cælum, vt terræ tantillum lucreris. Respice Matthæum telonearium, qui ne à Dei hereditate abdicaretur, deposuit pondera, rupit vincula, lucra contempsit, vsuras abiecit, & Christum secutus est.

Auaritia omnia Dei præcepta infringit.

Clericus negotiator fugiendus est.

S. Gregor. Thaumat.

Quarto decalogi præcepto, mandatur honor parentum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; & tamen ob auri desiderium, opesq; non rarò parentes à filijs contemptos legimus, fædasq; inter filium, & patrem, lites ab auaritia exortas. Quid dicam de reliquis præceptis? Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui? vnde hæc omnia, nisi ab vna auaritia pullulant, Tolle auaritiam, non erit occasio ad homicidium: aufer à mulieribus auri desiderium, cessabit mœchatio: extingue aurum, nec furta, nec falsa testimonia inuenies. Ergo Deus meritò legem tulit ad reprimendam auaritiam, cùm sit principale crimen, summus sæculi reatus, totaq; causa iudicij, quæ difficiliùs curari potest; quàm velocissimus solis motus in cælo cohiberi.

Imò parum est: etiam mortuum resuscitare Deo faciliùs est, quàm diuitem ab auaritia eripere, quod sic demonstro. Duo ex innumeris Christus fecerat miracula Vnum, quia Lazarum resuscitauit: *Et statim prodijt, qui erat mortuus.* Ioan. 11 Alterum, quia Matthæum à telonio reuocauit: qui in sepulchro auaritiæ iacebat; quemadmodùm Lazarus. Ambo ad vocem Domini surrexerunt, cui omnia parere nata sunt. Doctè id ponderat S. Hieronymus epist. 145. ad Damasum scribens: *Quoscunq; vocauerit, statim facit subsistere. Hoc cernitur in Matthæo viuo, & Lazaro mortuo, qui statim, vt vocati sunt à Domino, & ille sepulchrum auaritiæ reliquit, & iste fœtorem mortis.* Conferte vtrumq; miraculum, & experimini, vtrum illorum difficilius? & facilè comperietis, quia Christus in resurrectione Matthæi ab auaritia, ampliorem suæ diuinitatis potentiam ostendit Nam in Lazaro solùm se Deum humanatum ostendit: plorauit enim, fleuit, ad cælum suspexit, tandem voce magna mortuum vocauit: *Lazare veni foras*, quæ omnia humanam quandam præseferunt imbecillitatem. At vero in resuscitatione Matthæi, totum se in maiestate, in diuinitate, in potentia ostendit: in primis enim eum aspexit, vt fulgor & maiestas diuinitatis occultæ, quæ Auctore D. Hieronymo, à facie refulgebat humana, oculos mentis eius peruaderet: deinde vocauit: sequere me, vt efficaciàm suæ vocationis probaret, quæ in momento, & infallibiliter operatur effectum. Ita Rupertus lib. 6. in Matthæum: *Christus* inquit, *hunc hominem vidit, & tàm efficaciter vidit, vt veraciter conueniat huic dicere: Deus tu, qui vidisti me. Quomodò, vel quibus oculis vidit? oculis gratiarum, qui secundùm Apocalypsim Ioannis, in capite vnius agni sunt.* Ergo ab illa maiestate diuinitatis occultæ, Matthæus resuscitatus; Lazarus verò quatriduanus à sola voce resuscitantis Christi. Cùm enim in resuscitando mortuo non requiratur eius voluntas; quemadmodùm requiritur in resuscitando auaro à sepulchro auaritiæ, cuius tota voluntas solet esse auaritiæ addicta; ideò multò difficilior est auari curatio; quàm mortui resuscitatio. Vt non immeritò cùm videris ex diuitiarum domo aliquem surgere, vt Christum nudum sequatur, velsaltem, vt illicitam abdicando cupiditatem, solummodò iustæ studeat acquisitioni, existimes summum à Domino Deo miraculum factum esse.

Difficilior est auaritiæ curatio, quàm mortui resuscitatio.

S. Hieron.

Rupertus.

Vocauit itaq; Christus Matthæum publicanum, diuitiarum lucro deditum, vt difficillimæ pœnitudinis exhiberet exemplum, diuitibusq; auaris normam daret emergendi. Non reijcit Deus diuites à gloria cælesti: quia & Iobum, & Abrahamum salute donauit. Ait Chrysologus: *Abraham diues, diues Iob. Et quid Abraham beatius, quid fortius Iob? Nam & Abraham post terrenos mœrores, pias animas, & reuolantes ad cælum, in gremium suæ consolationis includit. Et Iob in ipsis diuitiarum machinis, diabolum & ipse vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum.* Non reijcit inquam Deus à gloria cælesti diuites, sed illos, qui innocentes habent diuitias vt potè à Deo datas; non turpiter acquisitas: concessas ad vsum vitæ; non ad mortis vsuram. Non reijcit & illos, qui iniquè collectas diuitias possident, si ab eis more Matthæi coauertant, & more Zachæi, quos defraudârunt, cum fœnore restituant. Licet hoc difficillimum sit, & totam quodammodò Dei misericordiam profundi exigat. Igitur quoniam Christus non venit vocare iustos, sed peccatores, ad eius hodiè misericordiam confugiamus, vt nos sicut olim Matthæum publicanum, de illicitis huius mundi negotijs potenti sua dextera eripiat, & ad sui sequelam non modò temporalem, verùm etiam æternam vocare dignetur.

Chrysolog.

DIE FIDELIVM DEFVNCTORVM.

CONCIO I.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Apocal. 14.*

Deducitur quid sit mori in Domino, & cur pro taliter mortuis orandum sit.

GRauem concertationem hæc sententia excitauit apud Hæreticos, adeo, vt omnimodè negent pro defunctis orandũ esse. In primis ex eo: quia mortui in Domino pronunciantur beati; pro beatis autem nequaquam orandum est, siquidem vera beatitudo consistit in clara Dei visione, vt palam fatetur Scriptura Sacra Exodi 33. vbi cùm Moyses postularet a Domino, vt illi ostenderet faciem suam, respondit Dominus: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Ex quibus verbis euidenter constat, veram beatitudinem, ad quam conditus est homo, in Dei visione, & manifestatione sitam esse. Quem. admodùm docet Regius Vates, Psal. 25. illis verbis: *In lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, lumine, quod nobis communicabis, videbimus teipsum, qui es lumen infinitum, & inaccessibile. Idemque docet S. Augustinus in Psal. 90. qui concione 2. sic dicit: *Tota merces nostra visio est.* Et S. Ambrosius lib. 2. de officijs cap. 2. *Scriptura* inquit *diuina, vitam beatam posuit in cognitione diuinitatis.* Et S. Bernardus serm. 5. de Assump.

Exodi 33.

Psal. 25.

S. August. S. Ambros. S. Bernard.

de Assumpt. *Hæc est* inquit *merces, hic est fi-* A *nus fructus nostri laboris, visio Dei.* Ergo beatitudo vera consistit in clara Dei visione. Quod vel ipsa ratione manifestum fit: quia beatitudo vera est formalis adeptio, seu possessio summi boni, quod est beatitudo obiectiua. Sed solus actus intellectus qui est clara Dei visio, est huiusmodi: ergo beatitudo formalis consistit in clara Dei visione. Vrgent præterea Hæretici. Omnes mortui mox à morte requiescunt à laboribus, quemadmodùm in citato scripturæ loco, Apocal. 14. protestatur Spiritus sanctus: *A modò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*: ergo nulli eunt ad purgatorium, & illius cruciatus. Verùm debile fundamentum. Quando enim scriptura dicit, mortuos requiescere à laboribus, hoc intelligi debet de laboribus huius vitæ, quos iam homines iusti, & probi exãtlârunt in mortificatione passionum, in obseruatione diuinæ legis, in persecutionum tolerantia, antequàm vitam cum morte commutarent. Hi enim mox à morte, ab ijs laboribus requiescunt; verùm si quid adhuc labis habent, illud detergendum restat in purgatorio. Qui tamen in purgatorio requiescunt in certa spe salutis, & gloriæ breui affuturæ, quæ dum aderit, reipsa in æter- C nam requiem introibunt. Nam iuxta sententiam Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ sanctæ Doctorum, quatuor sunt differentiæ morientium. Alij enim moriuntur Domino, & tales sunt Martyres sancti, de quibus dicit Psalmista: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*: isti ergo statim ascendunt in cælum. Si enim fuerint infantes: in his ex vsu communi Ecclesiæ, semper martyrium valuit ad effectum iustificationis, vt constat exemplo infantium ab Herode occisorum. Neq; obstat, quòd Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 4. dicat, translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi D Adæ, non fieri post promulgatum Euangelium in statu gratiæ, sine lauacro regenerationis, vel eius voto. Quia Concilium loquitur de medijs ordinarijs contra eos Hæreticos, qui asserebant, baptismum prorsus non esse infantibus ad salutem necessarium. Hoc palam docet S. Augustinus lib. 13 de ciuit. Dei, cap. 8. ita loquens: *qui dixit, nisi quis renatus fuerit, &c.* idem dixit: *Qui me confessus fuerit.* Quasi dicere voluerit, generalem ordinationem de necessitate baptismi non obstare, quominùs quis saluetur per solum martyrium, seu per con-

Apocal. 19.

Quomodò mortui requiescunt à laboribus.

8. August.

fessionem non linguæ, sed mortis. Quòd si fuerint adulti, hi per martyrium consequuntur, imprimis ampliorem vltrà actum, & opus operantis gratiam, & emundationem ab omnibus peccatorum maculis, ac remissionem omnis reatus pœnæ. Hinc Ecclesia sancta colit Martyres, tanquàm præcellentes sanctitate. Pro his igitur, qui Martyrio obeunt, non est orandum; quemadmodùm determinauit Innocentius III. cap. cùm Martæ de celebrat. Missarum, vbi dicit: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro illo.* Et Augustinus serm. 27. de verbis Domini, tract. 34 B in Ioan. *Iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Alij sunt, qui moriuntur extra Dominum, vt pueri non baptizati: & pro his etiam nequaquam orandum est: quia naturam habent auersam à Deo per culpam originalis peccati, ita vt dicantur filij iræ. Proverb. 1. *Auersio paruulorum interficiet eos.* Proinde sunt extra omnem penitus spem, consequendi salutem, vt constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnũ Dei.* Et Marci 16. *Qui nõ crediderit, condemnabitur.* Quod ipsum ratio manifesta ostendit: quia qui caret gratiâ, non habet ius ad gloriam. Sed parC uuli decedentes in peccato originali carent gratiâ: ergo non habent ius ad gloriam. Alij adhuc sunt, qui moriuntur, contra Dominum, sicut omnes adulti in peccato mortali decedentes: & pro his similiter orare non licet, quia intrant infernum, & in perpetuum damnantur, iuxta illud Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.* Alij deniq; sunt, qui moriuntur in Domino, vt omnes fideles in gratia Dei morientes, de quibus dicit Sapiens Ecclesiastici 41. *O mors, quàm bonum est iudicium tuum homini indigenti.* Et istorum quidam adhuc intrant purgatorium, D pro quibus Ecclesia sancta orare iubet. Quid sit igitur mori in Domino, & cur pro taliter morientibus orandum sit, in hodierna concione aperiam.

Innocentius III.

Prouerb. 1.

Ioan. 3.

Mors sancta in Domino morientiũ.

Mori in Domino, nihil aliud est, nisi in Domini Dei commemoratione, inuocatione, amore, ideoq; in actu charitatis animam efflare; quòd profectò omnibus desiderandum, & reipsa faciendum est. Sic mortuus est D. Augustinus, recitans cum lachrymis Psalmos pœnitentiales in actu contritionis, qui est actus amoris Dei, teste Possidonio in eius vita. Sic S. Hieronymus obijt, exhortando suos ad amorem Dei, & proximi. Sic S. Ambrosius

ius subitò post sanctam synaxim raptus, A colloquens cum Christo Saluatore expirauit. Sic S. Antonius Patauinus animam Deo reddidit, recitato hymno ad B. Virginem, exultans in Christo. Sic B. Thomas Aquinas, eleuatis in cælum oculis, & manibus, alta voce pronuntians illa Cantic. 7. Cantic. 7. verba, vltimò à se explicata: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Moriens in cælum euolauit. Sic B. Ludouicus fixis in cælum oculis, ardenti spe & amore suspirans: *introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*, spiritum Deo & cælo reddidit. Sic B. Petrus Cælestinus, qui renuntians B Pontificatui in eremum secesserat, post magnos labores, & cruces decrepitus, Psalmum centesimum quinquagesimum instar cygni canens, vltimis eius verbis, *omnis spiritus laudet Dominum pronuntiatu*, vitam cum morte commutauit. Sic Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, in quo sanctitas cum doctrina de excessu certabat, explicatis quinquaginta proprietatibus diuini amoris, ex cantico canticorum, viua facie, ore, & corde, identidem repetens, suspiransque: *ô Domine fortu est vt mors dilectio tua*, animam amantem Deo amato reddidit. Vt ergo quispiam moriatur in Domino, viuere debet in C Domino, puta in Dei gratia, lege, & voluntate. iuxta illud Balaam num. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea, horum similia*: paulisper verba hæc vltima, immutando in hunc modum, *vt moriatur morte iustorum.* Nam quemadmodùm malam vitam mala mors sequitur; ita bonam vitam bona mors, teste Diuo Augustino.

Cantic. 7.

Numer. 23.

Maria Magdalena septies in die ab Angelis sursum eleuabatur.

Verùm feliciores centuplo, & beatiores sunt, qui non tantùm in actu, sed etiam ex actu, & vi amoris Dei moriuntur. Sic mortua est sanctissima Virgo, magna magni Dei mater, ex languore, & desiderio videndi Christum suum filium. Dicebat enim illud sponsæ in Canticis; *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Sic mortua est Maria Magdalena, quæ quotidiè vi amoris ab Angelis septies in aërem eleuabatur. Hinc quadam Dominica rapta in Ecclesiam, ibiq; contemplationi dedita, lachrymis perfusa, eleuatis brachijs, sacram synaxin à S. Maximino percipiens, ad Christum sibi dilectum euolauit. Sic S. Franciscus ex vehementia amoris crebras patiebatur extases, & deliquia, tandemq; acceptis sacris stigmatibus, in Christum crucifixum quasi trãsformatus, consumptis viribus, & spiritibus naturalibus, vi amoris diuini tabescebat, ac penè deficiens, pronuntians illud Psal. 141. *Educ de custodia animam* Psal. 141. *meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi*, expirauit anno ætatis 45. Sic præ vehementia diuini amoris vitam abbreuiârunt, mortemque sibi accelerârunt, S. Catharina Senensis, moriens in ætate florenti anno 33. S. Carolus Borrhomæus moriens anno ætatis 46. Pro his igitur, qui in Domino, id est, in gratia Dei moriuntur, sed adhuc in purgatorio requiescunt in certa spe salutis, & gloriæ breui affuturæ, quæ dum adest, re ipsa in æternam requiem introibunt, orandum est.

In primis ob pœnam damni, quæ est omnium grauissima, quia detenti in purgatorio Deum non vident, quem se breui visuros sperant, & hinc summum dolorem concipiunt: quoniam *spes quæ protrahitur affligit animam.* Prou. 13. Qui enim Prou. 13. anxio vehementiq; desiderio cor tradidit, sæuo tortore non indiget; nam cupiditatis flamma, ita durè exedit præcordia, vt longè tyrannorum supergrediatur tormenta. Inuentus est, qui ardenti rogo manum subridens admouerit, qui industriam insanientis truciq; tortoris, ad instar marmoris eluserit, qui truculentam tyrannorum rabiem imperturbatus spreuerit; non tamen hucusq; repertus est, qui vrgenti desiderio diuexatus, non clamet, non ingemiscat, non suspiret. Cogitate ferreas sartagines, sæuientes aquuleos, agglomerate quidquid hominum in homines excogitauit insania, & inuenietis plurimos non solùm patienter tulisse, sed etiam audenter prouocasse. Hoc vnicum corda virorum adurget, nimirum vehemens desiderium sui impotens, & ad concupita præceps. Hinc multa sæpenumero sunt fucis illita, pulchriusq; exteriùs bracteata, quæ si diD spiciantur intimiùs, inuenientur miserrima. Felicitatẽ externã plurimi ostentant, cùm animos gerant curis dilaceratos, & anxijs solicitudinib⁹ mersos: auro argentoq; emicant exornati; intus autem procella desæuit. Vt enim malignæ aliquando febres cor ardentissimè exedunt; cùm tamen exterior tactus fallacem mentiatur temperiem; ira multi interiùs anxij, & exteriùs culti. Non est multis solida, & sincera felicitas; sed leui illita felicitatis fuco, ipsamq; ingrauante calamitatem, rutilo fortunæ mendacio. Nitent, sed oculis imponunt: vt enim cariosa ligna auro interdum perfundimus, quo

oculis imponamus; ita plerique sub ex- A terna splendenti cultus pompâ, interiùs paupertatis adurgentur miseriâ. Quod Seneca. eleganter edisserit Seneca lib. de Prouiden. cap. 6. *Isti* ait, *quos pro felicibus aspicitis, si non quâ occurrunt, sed quâ latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecùs culti: non est ista solida, & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis.*

Si ergo in præsenti vita hoc frequenter accidit, vt de ipsa etiam felicitatis bractea crescat dolor ad exedendũ acriùs præcordia: quid enim grauiùs, quàm non posse dolorem euaporare suspirijs, & sæpientibus adurgeri tormentis? saxeum B profectò robur, & ferreum animum res ista postulat. Quid de afflictis in purgatorio animabus censebimus? Quæ præ nimio Deum videndi desiderio, dum spem istam protrahi vident, adeò cruciantur, vt meritò suspirent, ingemiscant, & gemebundæ exclament: *O vos omnes, qui transitis, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor noster.* Thren. 1. Tren. 1. v. 12. Scio benè verba hæc à Propheta sub persona Christi crucifixi prolata esse, quasi diceret: vtinam aduertatis & attentiùs in meo dolore vestrum considereretis, atq; ex his vulneribus, & supplicijs, quæ perfero, interiora vestra vulnera, meritasq; illis pœnas C deprehendatis. Ita citatum locum exV. Drogo. ponit Venerabilis Drogo: *Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem vestrum, dolor meus imago vestri doloris est. Quod attenditis in corpore meo, attendite & vos, si similis dolor non est in corde vestro, transitis à vobis ad me, transite à me in vos, & videte, si similis dolor in vobis sit, sicut dolor meus.* Quasi apertiùs in persona Christi loqui vellet: Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete filiæ Ierusalem. Nam ille dolor, quem transitis, & non attenditis, magis est flendus, quàm dolor meus, propter scelus enim vestrum percussus sum. Ad quæ verba meritò pia anima Christo loquenti re- D spondere deberet: *Fecisti Domine de corpore tuo speculum mihi. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus, faciem tuam non auertisti à conspuentibus in te, vt alapæ tuæ alapas meas remoueant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium, quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum.* O Catholici mei, si per crucis viam trãsitis, nec solùm transitis, sed etiam attenditis, videte, & miremini Dei Filium adeò desertum, atq; derelictum, vt ad Patrem clamauerit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Considerate verò latronem, qui ab omni non modò fauore, verùm etiam solatij spe derelictus esse meruerat, hilarem, atq; triumphantem, cælesteq; regnum in manibus habentem, ex immutabili Christi assecuratione, Lucæ 23. *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.* Luc. 23. Quodsi causam scisciteri volueritis, respondet citatus Drogo: *Fecisti de corpore tuo speculum animæ meæ.* Quasi diceret: quia latronis causam, atq; personam, cuius chirographum cruci affixerat, agebat in cruce Dei Filius, ideò latro in corpore Christi innocenter patientis, sua scelera agnoscens, pro illisq; verè pœnitens, cùm videret se Christi liuore sanari, hilaris exultabat. Sic resoluit S. Cyprianus serm. S. Cyprian. de cœna Domini ad finem. *Ipse* inquit, *Dominus noster, derelictorum personam gerens in cruce, se quæritum, & ne desperarent etiam in vltimo constituti, festinans adiutorium illicò adest, & re in arcto posita, non differt beneficium, sed repentè indulgentiæ celeris documentum eisdem statuit, & exemplum latroni inquiens: Hodiè mecum eris in paradiso.*

Verùm locus hic non incongruè animabus in purgatorio existentibus applicatur: videns enim anima alias iam in portum æternæ libertatis eliberari, ad illamq; empyream sedem, ad consortium beatarum mentium, ad familiare Angelorum colloquium, ad æternam cum C Christo conuersationem, ad inamissibilem Dei in essentia, trini in personis claram visionem feliciter ascendere, spem tantæ felicitatis sibi protrahi videns, cum ingenti dolore exclamat: *O vos omnes, qui transitis, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Quasi diceret: videte quibus sauciata periculis, quibus afflicta sum tribulationibus, quibus subiaceam passionibus. *Quoniam vindemiauit me Dominus in die furoris sui*, reliquijs peccatorum meorum in mortali vita nondum plenè condigna satisfactione expiatis exacerbatus, ita vt iam ipsa mihi auxilium ferre nequeam. D Vos ergo qui transitis per viam, id est, qui adhuc inter mortales agitis, vestigia Christi sequentes, videte si est dolor, sicut dolor meus, & vestris suffragijs, vestris orationibus mihi succurrite: torquentur enim viscera mea, quia differtur libertas videndi eum, quem diligo.

Orandum præterea est pro animabus fidelium defunctorum, ob pœnam sensus, quam ab igne purgatorij patiuntur, quæ omnes cruciatus excedit, teste D. Augu- S. Auguſt. stino lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 18. vbi dicit: *Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita.* Nunquàm in carne inuenta est A tanta pœna, licet mirabilia passi sint martyres, vt Laurentius in craticula ignita vstulatus, Bartholomæus pelle crudeliter sibi detracta membratim cæsus, Apollonia cui in primo iuuentutis flore candenti forcipe dentes extracti sunt; his tamen omnibus ignis purgatorij incomparabiliter grauior est. *Illud scitote*, ait S. Bernard. S. Bernardus, de obitu Humb. *quia post hanc vitam in purgatorijs locis centupliciter, quæ fuerint hinc neglecta, redduntur vsq; ad nouissimum quadrantem. Scio ego, quam durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verbosa silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius, B & multò durius erit, futuras illas molestias tolerare.* Quoniam in purgatorio carcere centupliciter hic neglecta redduntur. Quod prophetico spiritu vidit Daniel: *Aspiciebam* inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Fluuius igneus rapiduſq; egrediebatur à facie eius: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Daniel. 7. Daniel. 7. Multi multa super hoc Emissenus. fluuio, sed optimè Emissenus homil. 3. de Epiphania, hunc prætereuntem fluuium de igne purgatorio interpretatur, ita de animabus purgatorij scribens: *Hi verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quòd non exeunt inde, donec reddant nouissimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Propheticus sermo commemorat.* Et C paulò post addit: *Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseundi mora: quantum adcreuerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis disciplina: & quantum stulta iniquitas gessit, tantùm sapiens pœna desæuiet.*

En quàm durus ignis purgatorij, vbi flammæ rationabilis disciplina est, & sapiens pœna, culpas acerbè vindicans, dum animas igne decoquit, ad culpas detestandas erudiens, & ad omnem probitatem viuos etiam informans. Erudiamur obsecro, de purgatorij gymnasio hac flammæ rationabilis disciplinâ? *quantum stulta iniquitas gessit, tantùm sapiens pœna desæuiet.* Nisi enim quisq; dum superstes est in hac mortali vita, peccati noxas, & residuum pœnæ reatum pijs operibus redemerit, durum purgatorij ignem sustiNyssenus. nere debebit, de quo præclarè Nyssenus: *Vel* inquit, *in præsenti vita precibus, sapientiæq; studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus ad pristinam vellet redire felicitatem.* Nimirum flammæ rationabilis disciplina, cum præterit, qui in hac vita orationibus, & eleëmosynæ precibus, aut sapientiæ studio satisfecerit.

Imò dicam audacter ignem purgato- D rij, etiam ipsis infernalibus damnatorum pœnis duriorem esse. Licet enim damnati pœnas æternas sine vlla spe salutis obtinendæ patiantur; animæ verò fidelium solùm ad tempus. Nihilominùs quia damnati iam sunt in termino, sciuntq; quòd in inferno nulla sit redemptio, beatificam visionem minimè appetunt, vt potè obstinati in intellectu, & voluntate; animæ verò in purgatorio detentæ, adhuc quodammodò peregrinantes à Domino, misericordiam Dei expectant. Illi blasphemabunt viuentem in sæcula sæculorum, istæ Christum Dominum cum certissima spe ardentissimè quam primùm videre cupiunt. Vnde cùm etiam in momento desiderent, consistere in termino visionis beatificæ, & hoc iuxta suum desiderium assequi non possunt, vt pote in vinculis pœnarum detentæ, ideò multò acerbiùs patiuntur, quàm damnati, cùm non solùm eas spes protracta videndi Deum, supra modum crucier, sed etiam ignis subtilissimus per potentiam obedientialem eleuatus, omni tormento per humanam industriam excogitabili grauiùs torqueat.

Ignis purgatorij durior infernali.

Propheta Hieremias Thren. 1. lugubri planctu Hierosolymitanum deplorãs excidium, postquàm Iudæorum strages, & exilia commemorauit, hæc lachrymis perfusus subiunxit: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & eruditi me.* Dionysius Car- Dionysius Carthusian. thusianus doctè hunc locum ita commentatur. *De excelso misit ignem in ossibus meis, id est, de sublimitate suæ iustitiæ, & de censura suæ altissimæ sapientiæ, misit Dominus per Chaldæos acerbissimam tribulationem in robustioribus partibus corporis mei, quæ tribulatio nomine ignis exprimitur. Et eruditi me per ista aduersa, vt vexatio daret intellectum auditui, sicq; peccatorum meorum enormitatem perpenderem, diuinam iustitiam considerarem, veritatem prophetalium sermonum pensarem, & de cætero cautior essem.* Nimirum tribulatio illa à Domino Deo im- D missa, partim consumebat ciuium Hierosolymitanorum corpora angoribus, partim intellectum eruditione nutriebat, vt tot supplicijs damnata natura, & daret corpore ignis pabulum, & mentis acciperet incrementum. Vnde fit, vt hominis castigati viscera, calamitatis doloribus obnoxia, acerbis cruciatibus consecrata, ignis arbiter depasta non deuoret; verùm ad hoc conseruet, vt mens pœnalissimis flammis excocta, vitium dediscat, & discat pietatem. Si ergo metaphoricus tribulationis ignis, ita potens est, vt de illo etiam impijssimi, quales

fuerunt

fuerunt Hierosolymitani, ediscant virtutem eruditionem, & licet corpus doloribus exæstuet; animus tamen ad vitiorum tædium, & ad virtutis ardorem sapienter erudiatur. *Illa enim non casualis, sed rationalis, & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere,* dicit Emissenus. Emissenus homil. 1. ad Monach. Si inquam Metaphoricus tribulationis ignis ita potens est ad erudiendum hominem, vt nemo pro se allegare possit, se rudem esse, & intellectum tardum ad tribulationis magisterium, propterea quòd vexatio det intellectum. Quid censebimus de igne purgatorij, qui non corpora, sed ipsas animas potenter adurit, quem obsecro non erudiet, vt vitam suam ita instituat, ita ad omnium obseruationem virtutum componat, quomodò etiam proleuissimis defectibus satisfacere possit, ne flammas illas pertranseat.

Orandum insuper est pro animabus fidelium defunctorum, ob summam earum afflictionem, dum nihil penitus subsidij à nobis referunt. Quod sublimi spiritu tetigisse videtur Dauid Propheta, verba illa dolore plena proferens Psal. 68. Psal. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.* In cuiusnam persona tristem hanc lamentationem protulerit, disceptant interpretes. Quidam censent, quòd in persona Christi Domini, dum acerbissimis cruciatibus à Iudæis dilaniaretur: tunc enim fratres appellabat, quos non immeritò appellare potuisset duríssimos carnifices ac tortores. Vt hinc intelligamus propter impiorum hominum in Christum crudelitatem, Christi Domini charitatem in homines non extingui, sed maiores in flammas amoris erumpere, quò maiores in flammas furoris sacrilegi homines excandescebant. Res profectò consideratione digna, Christus Dominus antequàm ab hominus extremas iniurias actus in crucem patere- tur, suum populum patruelis nomine appellabat: *Cantabo dilecto meo cantium Patrueli.* Isaiæ 5. Isaiæ 5. quæ cognatio remotior est, quàm fraterna: quoniam patrueles filij sunt ex fratribus, non fratres. At verò postquàm ab hominibus iniquissimè tractatus est, & ad turpissimam crucis mortem, condemnatus; tunc cum omne vinculum necessitudinis antea cum homine contractæ, propter tàm insignem perfidiam rescindendum videretur, maiori æstuauit affectu, & arctiori cum homine cognatione se constrinxit; nec iam patruelem vt antea, sed fratrem vocauit. Auctor enim salutis humanæ, inquit Apostolus, per passionem consummatus: *Non confunditur fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Hebr. 2. Et nos equidem etiam capitalissimos hostes miti vocabulo fratres appellare debemus; quemadmodùm fecit populus Israëliticus Deum consulens circa bellum contra Beniamitas suscipiendũ, Iudic. 20. Iudic. 20. *Debeo* inquit, *vltra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin, fratres meos, an non?* Super quem locum Lyranus ingeniosè discurrit: *Per hoc* inquit, *quòd fratres vocarent illos, quos impugnabant, ostenditur, quod licet vitia sint punienda; natura tamen est diligenda.* Lyranus. Siquidem, ne hostiles quidem iniuriæ fraternam in animo charitatem debent obliterare.

Verùm insistendo historiæ sacræ, facilè comperiemus hæc verba Dauidem in persona Absalonis protulisse. Bellum immemor naturæ contra Dauidem parentem suum mouerat Absalon; in ipso autem conflictu, cùm vtrinq; exercitus strenuè concertarent, mulus cui Absalon insederat, ingressus subter condensam quercum, & magnam, vbi capilli capitis ejus adhæserunt quercui. Iuuamen à præterentibus requirebat, de vita sua desperans, sed frustra: quia nemo periclitanti succurrere voluit. Interim vidit Ioabum pertranseuntem, iamq; certus auxilij sibi affuturi, præter spem præconceptam, tribus lanceis ab illo confossus est. Perpendite, quomodò Absalon extraneus fratribus suis, & peregrinus filijs matris suæ factus sit: Ioab enim & Absalon, teste Abulense filij patrueles erant; & tamen vnus in alterum odium plusquàm vatinianum exercuit. Absalon itaq; inter cælum, & terram quercui affixus pendens, quid aliud designat, nisi purgatorij animas, è cælo terraq; subsidium expectantes. Expectat pater à filio, filij à patre; sed naturâ iam in pessum degenerante, immisericordes his temporibus producit Ioabos, qui loco suffragij, per surreptionem testamentorum, vel executionem eorundem protractam, & legatorum solutionem non adimpletam, magis adhuc illas excruciant, ita vt meritò anima purgatorij, omni fratrum, & amicorum subsidio destituta, clamet ad Deum: *Extranea facta sum fratribus meis, & peregrina filiis matris meæ.* Ioab & Absalon filij patrueles.

Dives ille infeliciter felix, delicijs splendidè adsuetus, erga Lazarum extrema mendicitate opulentum, durè immisericors; in barathrum gehennæ æternum

num vstulandus postquàm corruisset, eleuans oculos suos in tantis illis cruciatibus, vidit Abrahamum à longè, & Lazarum in sinu eius, gemebundusq, exclamauit: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremũ digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Res stupenda: diues igneis globulis incandens, hiantibus ardore faucibus perenniter æstuabat, & tanta sedulitate aquæ guttulam sitiebat, cælos quodammodò clamoribus inquietans, vt vel guttâ aquæ respergi ad refrigerium posset. Nunquid vnica aquæ guttula tantam incendij vastitatem absumere potuisset. Proijciat quispiam guttam aquæ in vehementissimum incendium, & videbit eam in momento absumi, cùm resistere non valeat ob improportionatas vires. Ergo errauit damnatissimus hic epulo, cùm tàm leue faucibus refrigerium expeteret, plus de aquæ guttâ votis præsumens, quàm quod reuera præstare potuisset. Cæterùm quod in damnato epulone votiua præsumptio fuit, hoc in animabus purgatorij viuorum suffragijs verè præstatur. Qua de re ita S. Paulinus ad Delphinum scribit Episcopum, commendans illi animam fratris sui: *Fac inquit, vt orationibus tuis condonetur tibi: & illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat.* Ecce quòd diues ille damnatus inani & falsato desiderio præsumebat, hoc defunctorum animæ, quæ purgatorio igne exæstuant, & votiuè exoptant, & verè experiuntur, dum viuentium sacrificijs, eleëmosynis, & orationibus adiuuantur. Quod ergo fuit in damnatis præsumptio, hoc in purgatorij animabus veritas est; *dum illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat.* S. Paulinus. S. Hieron.

Agnouit hoc perbellè D. Hieronymus, qui ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris ita scribit: *Cæteri mariti* inquit, *super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq, purpureos. Pammachius noster S. Fauillam, ossaq, veneranda eleemosynæ balsamis rigat: his pigmentis atq, odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scripturam: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Talibus suffragijs iuuandæ sunt defunctorũ animæ, non indefessis lachrymis pertinaciter irrigandæ, vt docet S. Ambrosius in epist. ad Faustinum de obitu sororis: *Itaq, non tàm deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor, aut mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam.* Importunæ enim viuentium lachrymæ, animas charorum mœstificant; suffragia verò, preces, eleëmosynæ eas exhilarant, & gratum expetitumq; refrigerium conciliant. Mœstitudinem, quam lachrymis defunctorum euaporas, in ipsorum animas, quas refrigerare studes, propè regeris? Quid earum pœnas quodam modò exaggeras? sat acerba patiuntur cruciamenta. S. Ambros.

Verùm dum animæ fidelium defunctorum, hanc à nobis non referunt gratiam, non experiuntur vlla suffragia, iustè à Domino Deo vindictam in nos expetunt, cum gemitu suspirantes: *Domine responde pro me*, quia vim patior ab amicis, à successoribus, à tenutarijs bonorum meorum, de quibus iustus Iob querulatus est: *Quare carnibus meis saturamini?* Iob 19. Guilhelmus vertit: *Quare bonis meis saturamini?* Guilhelmus. An fortè dubitatis querelas earum Deum non exauditurum? quinimo in momento exaudiuntur, quod vnico & recenti exemplo illustro. Post mortem cuiusdam mariti, dum anima eius à coniuge propria superstite requireret subsidium, nec posset impetrare, exclamauit in cælum cum ingenti dolore, *iustitia iustitia.* Hæc audiens coniux, & vilipendens obdormiuit, postea expergefacta (scribit Bernardinus de bustis) risit, & expirauit: *quia venerunt super illam maledictiones.* Bernardinus de bustis. Perpendite, quantum valeant piæ fidelium defunctorum animæ in purgatorio, contra amicos, & consanguineos querulantes: *Domine responde pro me, quia carnibus meis saturantur.*

Cùm ergo animæ purgatorij teste D. Augustino epist. 122. in terra captiuitatis constitutæ, nec ferre oblationem ad altare Dei possint, nec iuuenire sibi sacerdotem, per quem offerant Deo, id à viuis anxiè postulant. Ideò ne & nostram ingratitudinem animæ illæ incusent, festinemus ad succurrendum eis per bona opera, vt pijs orationibus, atq; suffragijs in campum felicis æternitatis, & beatificæ visionis, eas educere valeamus, eandem pietatem à nostris successoribus aliquando experturi.

EODEM DIE
CONCIO II.

Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.

Ioann 5.

Aperiuntur causæ, propter quas Deus

Christo non vt Filio Dei, sed vt filio hominis, potestatem iudiciariam contulit.

TOrsit nimiùm capita Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ proposita sententia ex sancto Euangelio, quomodonam de Christo Domino intelligi possit, iudiciariam potestatem ei specialiter attribuendam esse, an solùm vt homini; num etiam vt Deo. Aliqui intelligendo locum Euangelij, de iudiciaria potestate perfectissima, & suprema, censent iudicandi potestatem specialiter conuenire Christo, vt Deus est, idq; non per proprietatem, sed per appropriationem. Huius autem appropriationis elegantem rationem affert S. Thomas 3. p. q. 50. ar. 1. Quia ad iudicium faciendum requiruntur tria, in primis potestas coercendi subditos, iuxta illud Eccles. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Deinde, rectitudinis zelus, vt nimirum Iudex, non ex odio, aut timore, sed ex amore iustitiæ proferat iudicium. Quemadmodùm dicitur Prouerb. 3. *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Insuper sapientia, secundùm quam iudicium debet formari, vt innuit Salomon Eccl. 10. *Iudex Sapiens iudicabit populum suum.* Et quidem potestas & rectitudo, habent se velut prærequisita quædam ad iudicium; at verò sapientia, est quasi propria ratio, à qua iudicandi actus dimanant. Cùm ergo Christus secundùm diuinitatem sit Sapientia genita, ac veritas à Patre procedens, ipsumq; perfectè repræsentans, ideò potestas iudicandi illi specialiter attribuitur Vnde S. Augustinus lib. de vera religione, cap. 31. dicit: *Hæc est immutabilis illa veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artifitis. Vt autem nos, & omnes animæ rationales, secundùm veritatem de inferioribus rectè iudicamus, sic de nobis; quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas iudicat. De ipsa verò nec pater: non enim minor est, quàm ipse.* Hinc locum illum, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* S. Chrysosth. ibidem homil. 38. Theophylactus, Euthymius, Hilarius lib. 7. de Trinit. Athanasius serm. 4. contra Arrianos, & Tertullianus lib. contra Praxeam, cap. 16. intelligunt de Christo secundùm diuinitatem. Quod confirmat S. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. *Omne* inquit *iudicium dedit Filio, dedit vtiq; generando, non largiendo.* Et Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 140. vbi dicit: *vs verbis ostendisse Christum, se esse verum Deum.* Quod ex eo colligit, quia cùm Euangelista præmisisset, Iudæos ea proprer concepisse odium in Christum, quòd se faceret æqualem Deo, subiunxit, Christum apertiùs suam diuinitatem, & omnipotentiam prædicasse, quam non à se, sed à Patre habet per æternam generationem, alloquens Iudæos: *Amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunq; enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Quæ verba non possunt verificari nisi de diuinitate Christi. Verùm nulla ratione possum in hanc sententiam propendere. Si enim in his verbis: *Pater non iudicat quenquam*, fit sermo de communicatione supremæ potestatis iudicandi per æternam generationem, certè licet Pater hanc Filio dederit: non tamen sibi illam ademit. Ac proinde in hoc sensu dici non potuit: *Pater non iudicat quenquam*, cùm opera sanctissimæ Trinitatis ad extra, sint indiuisa. Neq; sufficit, quod per appropriationem iudicium tribuatur Filio: quia etiam omnipotentia tali modo appropriatur Patri; & tamen per hoc non potest de Filio negari. Et profectò quomodò potest verificari, Patrem non iudicare quenquam? nonne Angelos iudicauit per se immediatè iudicium exercendo, omnesq; homines, qui ante Christi aduentum mortui sunt. Imò etiam Christo iam in terris conuersante, populumq; docente, Patri potestas iudicaria ab ipsomet tribuitur, Ioan. 8. *Ego non iudico quenquam, est qui quærat, & iudicet.* Verius itaque putauerim, allatum pro themate Euangelij locum, intelligi de Christo, vt homine, cui datum est, vt in humanitate, & per humanitatem iudicium exerceat animarum. Proinde intelligitur hic locus de iudicio vniuersali, & sensibili, quod fiet in extremo die iudicij, sic enim facilè concipitur, quomodò Pater non iudicat quenquam: quia licet illud iudicium sit etiam à Patre, & à Spiritu Sancto, tanquàm à prima, & principali causa, habente primariam authoritatem iudicandi, cuius vices gerit Christus vt homo; non est tamen à Patre, vt à persona immediatè ferente iudicium; hoc autem modo iudicabit Filius tanquàm propria persona, in qua subsistit illa humanitas, per quam iudicium fit. Ita citatum locum Euangelij exponit S. Augustinus loco supra citato, & tract. 21. in Ioan. S. Hieronymus in cap. 22. Isaiæ. & supra illa verba Psal. 74. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

Ad iudiciũ tria requiruntur. Eccles. 7. Prouerb. 7. Eccles. 10. S. August. S. Ambrof. Cyrillus Alexandrin. Ioan. 8. Psal. 74.

dicabo. Atque hanc expositionem veram esse, S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum cap. 33. ex eo deducit. Quia Iudæi calumniabantur Christum, quòd in Sabbatho curasset paralyticum; Christus autem vt se ab illa calumnia vindicaret, respondit. *Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor.* Palam profitendo se esse æqualem cùm Patre, & tacitè ostendens, non debuisse reprehendi, quòd in Sabbatho miracula fecisset. Tum quia cum esset Deus, erat supra omnem legem, ipsiusq; sabbathi Dominus: tum quia cùm illud opus esset immediatè à persona Filij; ab humanitate autem, non nisi vt ab instrumento coniuncto diuinitati, non poterat non esse rectum, & gratum Patri Nam cùm persona Filij sit æqualis Patri, æqué cum illo omnia operans, ac disponens, inde sequitur eum etiam per voluntatem humanam, non posse quidquam, nisi ex beneplacito Patris operari. Hanc enim consecutionem manifestè indicant verba sequentia: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Quæ verba non possunt rectè diuinitati accommodari, quoniam Filius vt Deus, non habet ex dilectione Patris, quòd Pater omnia opera sua ei demonstret, sed per naturalem generationem. Cùm ergo Christus causam reddat ex dilectione Patris, ideò loquitur secundùm humanitatem. Cur itaq; Deus Pater potestatem iudiciariam dederit Christo, vt omnes hominum præuaricationes iudicet, & in fine sæculorum iuxta mensuram delictorum, condigno supplicio mulctet; & non potiùs quia Filius Dei est, causas inuestigabimus.

Multi multas, easq; pro varietate sui ingenij, varias assignant rationes, cur Christo vt homini potestas iudiciaria à Deo Patre collata sit. Clemens Alexandr. hanc rationem assignat: quia Christus primus ex omnibus perfectissimam humilitatem, & obedientiam impleuit in assumpta humanitate, ideòq; vt homini data est potestas iudiciaria, quò faciliùs ad humanitatem & obedientiam suo exemplo homines alliciat. Sic de illo fatur Scriptura Sacra ad Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Humiliauit inquam semetipsum ex propria voluntate, & nulla vi coactus humiliationem crucis amplexus est, vt tandem homines per superbiam è paradiso exulantes, ad humilitatem reduceret. Cuius veritatis magnum dedit argumentum in vltima cœna, quando morti iam proximus, sciens à Patre in manus suas omnia tradita esse, surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua; acceptoq; linteo præcinxit se. Ioan. 13. *Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Mysterium hoc perscrutans subtilis Chrysologus, serm. 23. ita fatur: *Veniant huc* inquit, *veniant, qui discutiunt potestatem Christi, & tunc de eius potestate contendant, cùm potuerint tantum capere, loqui, æstimare pietatem: nec iam calumnientur si se in nostro corpore Patre minorem dicat, qui non dicto, sed facto, cùm pedes lauat seruorum, se subdidit, & subiecit pedibus seruulorum.* Statimq; citatus Author ostendit, ita Christum humanæ salutis amantem esse, vt dum homo in seipsum crudelis existit, enormiter peccando, & damnationem æternam sibi accersendo, ad pedes eius prouoluatur, vt tandem sibi homo impius parcat, seq; in æternum non perdat: *Homo* inquit, *iam tibi parce, quia vt tibi parcas, tuos Deus lauit, tuos tenuit, tuos amplexus est pedes.* Quasi diceret; quemadmodùm solet reus sceleris conscius, ac supplicij prouidus, ad pedes personæ offensæ supplex prouolui, vt obsequij submissione, illatæ iniuriæ veniam extorqueat; ita cùm homo toties in seipsum peccet, tot iniurias sibi irroget, quot delicta committit; tot pernicioſa sibi cupiat, & noxia aduersus se moliatur, quot noxas admittit, nec vllam sui misericordiam habens, inteſtinæ hostilitatis vota mutet. Christus Deus, vt homo ipse sibi indulgenter parcat, ad eius genua supplex aduoluitur, pedesq; eius votiuè amplexatur, si fortè ab homine impetret, vt homo sibi parcat. O effusam Christi bonitatem! ô pertinaciter brutam hominis malitiam! ne tibi homo noxia cupias, pernicioſa inferas, supplex tibi Christus, tuos votiuè pedes amplexatur. Idcircò exorabilis Christo Deo, tibi pro te supplici, tibi pro te ad pedes prouoluto tuos, vt exorabilis tibi existas.

Christus factus est obediens. At quomodò? respondet S. Thomas: *Non voluntate diuina, quia ipsa est regula, sed voluntate humana, quæ regulata est in omnibus, secundùm voluntatem paternam?* vt loquitur ipsemet, Matth. 26. *Verùm tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et cur se Christus ad tantam obedientiam demisit? Equidem, quia prima præuaricatio facta est per inobedientiam, quæ fuit grauè peccatum contra speciale mandatum Dei, per quam constituti sunt peccatores multi, nimirum omnes

Ioan. 13. Chrysolog. Ad Phil. 2. Chrystus nõ diuina sed humana voluntate factus est obediens.

omnes Adæ posteri, qui dicuntur constituti peccatores, id est priuati iustitiâ, & auersi à Deo, & metu pœnæ, & pollutione naturæ, & rebellione passionum contra rectam rationem, atq; passionibus obnoxij, & mortis rei constituti sunt. Vt probat S. Paulus Rom. 5. v. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranssijt, in quo omnes peccauerunt.* Ostendens peccatum originale per vnum hominem intrasse in mundum, puta per Adamum, qui solus fuit caput generis humani. Vnde particula *per*, denotat causam, & instrumentum, quoniam peccatum originale passiuè sumptum, reperibile in posteris Adæ, est effectus peccati actualis Adami; quemadmodum docet Concilium Trident. sess. 5. Decreto 2. ex ea ratione, quòd omne peccatum habituale, sit effectus alicuius actualis, proinde & peccatum originale, sit effectus peccati actualis Adami, in quo nostræ voluntates inclusæ fuerant, respectu illius pacti quod Deus fecerat cum Adamo: *Si seruauerit legem meam, & tu cum posteris tuis in iustitia conseruaberis; sin secus, morte morieminí.* Sicut ergo ex pacto Dei, obseruantia legis fuit in Adamo, & posteris eius, causa conseruandæ iustitiæ originalis; ita ex eodem pacto, amissio eiusdem iustitiæ, est effectus inobedientiæ legi. Proindè quia Adam peccauit, & vt persona priuata, & vt persona publica, seu vt caput generis humani, ideòq; & suo, & nostro nomine, propterea & in se, & in posteris suis priuatus est iustitia originali. Christus itaq; vt in nobis repararet, quod per inobedientiam perdidimus, obediens vsq; ad mortem crucis extitit. Sic censet Clemens Alexandr. l. Pædagog. cap. 8. ita scribens: *Qui solus ex obedientia potest discernere inobedientiam.* Scilicet, non Deus Pater, non Spiritus S. sed corporatum Dei Verbum, Christus Iesvs de experientia cognouit, quàm graue sit, obedire mandatis, ideoq; mitius forsan de inobedientia iudicabit: quoniam homines eius exemplo ad obediendum diuinis præceptis efficaciter alliciuntur. Cùm nullus Princeps possit efficacius reddere suum imperium, quàm ipsemet legibus obediendo. Ait Iobius lib. 3. de Christo incarnato, apud Photin. in Bibl. *Qui creaturam per semen refigens, & primus leges implens, templum nobis degendæ vitæ seipsum præscribit: quam vtam facile est rectè instituere, si modò in Principem, & manu ducentem respiciamus, Optimus quippè legislator ille, qui non verbo modò, quid agendum, sed actione ipsa potiùs præit.*

Ad Rom. 5.

Peccatũ habituale est effectus peccati actualis Adami.

Clemens Alexandr.

Iobius.

Quasi indubitatam sequelam deducens, meritò sperandum fore, quòd omnes sint Christo obedientiam præstituri, quando & ipse legibus obediuit.

S. Augustinus

S. autem Augustinus serm. vltimo de verbis Domini secundùm Ioannem, vrgens illam causalem, *quia filius hominis est*: respondet, Christo vt homini potestatem iudiciariam datam esse, quia cùm humanitas sit visibilis, in ea assumpta Christus cum hominibus facilè iudicium vltimum celebrabit, dum omnes palam videbunt, in quem peccârunt. *Quia* inquit, *hominem ab hominibus oportet iudicari.* Quod sic concipite: licet Dei Filius, quâ Patris sapientia est, non tam iustitiæ, aut potentiæ; quàm bonitatis Dei imago esse, signatè esse dicatur in Scriptura Sacra. Sapient. 7. v. 26. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vnde ipsum ad miserendum omninò inclinari necesse sit; ne tamen diuinæ indignationis vinum in homines merum effunderetur, sed calix mixto sit plenus, consultissima ratione Deus voluit, ipsammet bonitatis suæ imaginem hominem fieri, & humanitatem assumere, vt tanquàm *botrus in vineis Engaddi*, humanitatis succum sibi sugeret, & imbiberet, illumq; in iræ vinum transfunderet. Vnde S. Bernardus serm. 73. in Cantic. ait: *Deniq; ipse Pater Deus, dedit Filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. ô verè Patrem misericordiarum? vult per hominem homines iudicari, quò in tanta perturbatione, & trepidatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo.* Præclarè admodùm: nam hominum errata ita punienda sunt, vt humanæ fragilitati, terrenoq; figmento, non nihil sit donandum, seu remittendum. Siquidem ea de causa, Angelum æternæ damnationi post peccatum fuisse addictum; hominem verò breue, & moderatum subijsse supplicium, quòd vt ille nullâ carnis illecebrâ delinitus cecidit; ita hic è terra procreatus, fragilitati obnoxius extiterit, docet citatus Bernardus. Qui ponderans illa verba Gen. 3. *In sudore vultus tui vescêris pane, donec in terram de qua sumptus es reuertaris.* ita discurrit: *Pessimus ille Angelus, de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus, propterea non habet donec. sed ignis ei paratur æternus.* Postquàm autem Deus homo, iudex viuorum & mortuorum constitutus est, extemplò homo humanè ab illo iudicari cæpit.

S. Bernard.

Genes. 3. S. Bernard.

Atq; vtinam etiam Principes, Magistratus, Iudices, vitæ neciſq; ius in homines habentes, homines se esse meminerint, dum pro tribunali sedent: non quidem vt iustitiæ iura infringant, sed vt seueritatem moderentur, duritiamq; mitigent: quoniam & ipsi circumdati sunt infirmitate. Quæ enim laus hominis ad nimiam seueritatem nati, qui omnia ad viuum resecat, clementiam nescit, omnemq; humanitatem, ac pietatem omninò exuit. Talem se olim hominibus exhibebat Elias Propheta, qui planè totus ardenti zelo feruens, & exæstuans, nonnisi ad pœnas sontibus irrogandas, victricibusq; flammis eos consumendos, & gladium in eorum ceruices vibrandum factus esse videbatur. Verùm nimiam eius austeritatem, & acre ingenium leuiter sugillare volens Dominus, impiam Iezabel in eum debacchari permisit. Videns autem Deus Eliam, illum ferocientis fœminæ furorem metuentem, eiusq; gladium fugientem vsq; ad montem Horeb, sic eum allocutus est: *Quid hic agis Elia* 3. Reg. 19. Quasi diceret, vt exponit D. Chrysosthomus homil. de Elia, & Petro. *Cur tu aufugisti? vbinam est tua in loquendo libertas?* Et certè cùm Elias Deo scisciranti, ita responderit loco citato: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Quis non videt Eliam, non ex eo solùm aufugisse, quasi vnicus ipse fuerit relictus, sed quòd humano more Iezabel Reginam timuerit. Addit S Chrysosth. *Quid ad hoc Deus, statim illum redarguens: non propterea inquit fugisti Elia: non enim tu solus es Baal non adorans.* Statimq; subiungit: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal.* Redarguit itaque illum Deus, quòd non ob eam causam fugisset, sed propter mulieris timorem.

3. Reg. 19. S. Chrysost.

S. Chrysost.

Ponderate, quò hæc diuina redargutio tendebat? nonne vt Elias propriæ infirmitatis memor, atq; ex humana ergà seipsum charitate, propriæq; vitæ amore viuentibus innato, aliorum misereri, & compati disceret. Quasi illum in hunc modum instrueret, Itane Elia? & tu etiam tibi ipsi charus es? gladiumq; fugere, ac mortem declinare nosti? Discè ergo ex teipso clementiam, aliorumque infirmitatibus compâti, ac in eos misericordia commoueri. Hic est discursus Theodoreti supra cantica, ad illud: *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea.* vbi sic dicit: *Elias quoque, cùm Iezabel minas admodùm formidaret, in solitudinem*

Theodor.

aufugit, quærens adiutorem. Ac sapiens piorum Magister, & remunerator apparet ei; & tanquam ignarus fugæ causam exquirit, non illudens, sed docens eum, cur ipsum fugere permisisset, monensque, cùm homo esset, & humanis affectionibus tangeretur, vt humanitatem, & clementiam coleret. Cùm æqui iudicis sit, non secus de alienis; quàm de proprijs defectibus iudicare, teste Seneca lib. 1. de ira, cap. 14. *Neq; enim æquus iudex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam fert.* Statimq; ad hanc rem accommodatè loquitur: *Quantò humanius? mitem, & pacatum animum præstare peccantibus, & illos non prosequi, sed reuocare. Errantem per agros ignorantia viæ, melius est, ad rectum iter admouere, quàm expellere. Corrigendus est itaq; qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aspere: meliorq; tàm sibi, quàm alijs faciendus non sine castigatione, sed sine ira.* Hoc mihi optimè percaluisse videtur Elisæus, dùm indigressu à suo magistro Elia, duplicem Eliæ spiritum dari sibi postulasset: *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2. v. 9. Nec certè audiendi sunt Procopius, & Theodorethus, quasi Elisæus in illa duplicis spiritus petitione, duplo maiorem sibi concedi postulauerit seueritatem, quam habuit Elias, animumq; qui vix ad pietatem inflecti posset.

Seneca.

4. Reg. 2.

Ego profectò existimo, bipartitum Eliæ spiritum, inter seueritatem & mansuetudinem, iustitiam ac lenitatem, Elisæum sibi postulasse. Quasi diceret, opto tui spiritus heredem me fieri, at nolim esse per omnia seuerus, atq; ad vindictæ iura semper propensus; sed admixtum clementiâ, & lenitate habere spiritum. Fiat ergo in me spiritus tuus; non tamen simplex, sed in iustitiam, & lenitatem diuisus, quod subtili suo ingenio assecutus D. Ambrosius serm 87. de Elisæo Prophe- ta exclamat: *O hereditas pretiosa, in qua plus heredi relinquitur; quàm habetur, plùs consequitur, qui consequitur, quàm possideret, qui largitur. Igitur Elias, cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit.* Quippè ipsemet Elias, vnica zeli, iustitiæq; laude præditus erat; duplicem verò iustitiæ, & clementiæ gloriam Elisæo promeruit. Addit citatus Ambrosius: *De Elisæi autem meritu quid dicamus, cuius hæc prima laus est, quòd patrem voluit gratiâ superare, dum dari sibi amplius postulat, quàm scit apud eum esse, qui possidet? Auarus quidem est in petendo, sed idoneus in promerendo. Dum enim à Patre plus exigit, quàm habebat, facit eum meritis suis plus præstare, quàm poterat.* Et certè rem ita se habere, conijcite ex ijs, quæ post acceptum duplicem spiritum Elisæus populo Dei præstitit.

S. Ambros.

In primis

In primis post raptũ Eliam curru igneo, A venerat Eliseus in Hiericho, cumq; rogaretur à ciuibus illius ciuitatis, vt in eadem persisteret ciuitate dixerunt ei: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis? sed aquæ pessimæ sunt, & aqua sterilis.* Quo audito Elisæus, præcepit sibi dari vas facilè, & recondito in eo sale, veniens ad exitus aquarum, proiecit in aquas dicens: *Hæc dicit Dominus, sanaui aquas has & non erit in eis vltra mors, neq; sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsq; ad diem hanc, iuxta verbum Elisæi, quod locutus est.* Hoc ipsum docet Iosephus lib. 5. de bello Iudaico c. 4. *Lagenam fictilem salis plenam, in profluentem a-* B *quam misit iuxta ripam, deinde ad cælum dexteram extendens, fontiq; immergens blanda libamina, ipsum fontem precabatur, vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret; Deum verò, vt fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat.* En habetis in Eliseo iustitiæ amaritudinem, sale conditam, & temperatam, ne omnia ad mortem & sterilitatem exigerentur, sed benignitate atque clementiâ temperarentur. Et si parum vobis videtur, aduertite, quomodò se postea Eliseus cum exercitu Regis Syriæ gesserit, qui Deo, & Prophetæ maximè infensus erat. Cùm enim Syrus, exercitus sui robur misisset, vt locum, in quo Eliseus com- C morabatur, obsideret: ipse à Deo precibus primùm obtinuit, vt hostes cæcitate ita percuteret, vt ignari, quò tenderent, in medium Samariæ forum progrederentur. Cùm autem commodam hanc occasionem nactus Rex Samariæ, illos quasi in retia conclusos trucidare vellet, obstitit sanctus Propheta, inflictumq; eis supplicium, eo clementiæ Sale condiuit, vt cibo potius refectos in patriam remittendos suaserit Regi: *Non percuties: neq; enim cepisti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias: sed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad Dominum suum.* Quid aliud Redemptor no- D ster expetijt, nisi vt cùm Deum Patrem, vnum spiritum zeli, & implacabilis iræ habere videret, ipse homo factus, duplicem spiritum, iustitiæ pariter & misericordiæ acciperet, vt sic hominum delicta iudicando, humanè cum illis se gereret.

Cæterùm, optimam, & proposito nostro maximè accommodam rationem, cur Deus Pater Christo vt homini potestatem iudiciariam contulerit, assignant S. Theodotus: quia Christus per Incarnationem factus est cognatus noster, ideòq; iudicandi potestatem illi concessam attribuit; vt nobiscum benigniùs procedat: neq; enim potest esse maior felicitas, quàm in consanguineũ iudicem incidere. Sic quondam iratus Iacob Patriarcha; mansuetudinis tamen, & benignitatis suæ memor, aduersario suo Labano, iniustissimo persecutori, iudicem obtulit non ex alienis, sed de fratribus suis electum, aiens: *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum, sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem suppellectilem meam? Quid inueneristi de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me, & te.* Iacob ergo egregius bonitatis & clementiæ cultor, erga hominem naturâ agrestem, & sibi inimicum, non alienum, sed cognatum iudicem postulauit. At verò infinities Iacobo benignior, & beneficentior Deus, qui cùm ab æterno constitutus esset iudex omnium, etiam cognatus noster fieri voluit, vt in iudice cognatum agnoscentes, non tàm metu, quàm amplexibus eum prosequamur. Ait S. Theodotus hom. 2. de Christi natiuitate, habita in Concilio Ephesino: *Cùm* inquit *Deus esset, voluit homo fieri propter suam in nos clementiam, quò nos creatorem, & iudicem, perinde ac cognatum deinceps complecteremur.* Huc traxit Deum immensum clementia, atq; benignitas eius, vt homo fieret, quò in illo iudicem perinde, ac cognatum nostrum habentes, minimè de salute desperemus. Concludit S. Bernardus serm. 73 in Cantica: *O verè Patrem misericordiarum, vult per hominem homines iudicari, quò in tanta trepidatione, & perturbatione malorum, electa fiduciam præstet naturæ similitudo.* Nõ potuit igitur Dei misericordia in nos magis diffundi, quàm dum nobis æternus Pater, eum iudicem præficeret, qui non esset alienus, & extraneus, sed vnus ex cognatis, & fratribus nostris, vt sic de iudicis cognatione, in districto illo iudicio, quod cum vniuerso mundo peragetur, liceat nobis aliquid sperare. Quid enim non speraret reus, si fratrem causæ suæ iudicem nactus esset?

Fateor in iudicio humano nonnunquàm euenire, vt filius à patre, frater à fratre iniquè iudicetur, & contra ordinem ac præscriptum iuris absens etiam. non interrogatus, non conuictus damnetur. Ob quod Sapientissimè carpebat Herodem Egesippus lib. 1. de excid. Hierosol. cap. 41. Accusati erant coram Herode duo filij eius, Aristobulus, & Alexander, quasi de eripiendo Patri regno cogitarent. Quid ergo Herodes egit? Filios longissimè à se ablegauit, vinculis tradidit

Eliseus aquas Hiericho pessimas sanauit.

Iosephus.

Precibus Elisei exercitu Regis Syriæ cæci facto punitur.

S. Theodot.

S. Bernard.

Herodes suos filios iniquè iudicauit.

tradidit asseruandos, & in absentes, in- A defensos, inauditos; concilium Magnatum coëgit, & iudicium tractauit. *Sed quæ iudicij species,* Egesippus ait, *vbi rei adesse sibi non permittebantur, & absentes accusabantur? obijciebantur à Patre insidiæ sibi paratæ, probatio nulla deferebatur, nulla indicia tentamentorum, hærebat accusator, quem nullus redarguebat. Destitutis vndiq; congregabat inuidiam, contumeliarum, inuidiarum genera, quæ grauiora morte, ab his, qui consederant, æstimarentur. Sed nemo discutiebat, nemo examinare audebat, quod à Patre arguebatur, à Rege imperabatur. Præiudicabat pietatis species, interrogabat sententias, securus victoriæ, scenæ enim species erat, non iudicij disci-* B *plina, condemnare absentes, condemnare sine teste, sine iudice, solo naturæ priuilegio, quod ad salutem magis, quàm ad periculum deriuari soleret.* Equidem meritò scenæ speciem, non iudicij disciplinam vocauit, in quo sub paterni fori priuilegio in salutem inclinante, extremam reorum perniciem tractabat Pater. Quid magis tyrannicum cogitari potest? sub patris priuilegio impleri, quod maximè horrendum, & execrabile est in crudelissimo, & exlege tyranno, nimirum absentes, & indefensos damnari. Vbi enim quispiam inauditus, & indefensus damnatur, ibi non temperatur iudicis rigor, sed ita potius exacerbatur, vt ex- C tremam tyrannidem sapiat. Non sic Redemptor noster, iudicium nobiscum inibit, quia neminem damnabit absentem, inauditum, indefensum, teste D. Paulo ad Rom. 2. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut defendentium, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Reddet itaq; teste Apostolo vnicuiq; nostrum testimonium propria conscientia coram iudice Deo: quia nunquàm in Dei iudicio admittitur accusatio, & aditus occluditur defensioni, simulq; vt accusates cogitationes audiuntur, spectantur & defendentes, si quæ esse possunt. D

Et hæc est causa, quòd Christus Saluatoris potiùs nomine, quàm iudicis compellari voluerit, licet constitutus sit à Deo *iudex mortuorum, & viuorum.* Actor. 10. v. 42. quia ad saluandum hominem, eiq; opem ferendam, potiùs quàm ad iudicandum, & vlciscendum procliuis est, Hinc à Salomone, non iustitiæ, aut alterius attributi, sed diuinæ tantùm bonitatis, signatè imago appellatur, Sapien 7. v. 26. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vnde illa Christi Domini ad Nicodemum sententia, Ioan. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Superiùs autem eodem capite v. 14 dixerat: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filiũ hominis.* Vt se à Moyse maximè differre ostenderet, quòd Moyses, quâ Dei famulus, ad legem ferendam; ipse verò quâ Dei Filius, ad salutem homini præstandam, & mortem pro ipso subeundam, venerit. Vt eruditè obseruat Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 52. *Quoniam* inquit *Filium Dei se liquidò* B *nuncupauit, idcirco à qualitate, magnitudineq; rerum quasi firmissimo quodam testimonio id comprobat. Non enim inquit, missus sum, vt lege orbem terrarum, quemadmodum Moyses damnem, nec vt mandata in redargutionem peccatorum tradam, nec vt seruili ministerio fungar, verùm vt per misericordiam Deo conuenientem, tanquàm Filius, ac heres Patris, à seruitute homines vindicem, damnãte lege in iustificantem gratiam commutatã, & sic à peccatorum vinculis genus humanum eripiam. Ad saluandum ergo, non ad damnandum veni.* Palam ostendens, quòd eum mansuetudo, lenitas, & maior ad benè faciendum; quàm ad vlciscendum propensio summa dececat: quia cùm sit Filius Dei, & Filius hominis, non venit animas perdere, sed saluare. Lucæ 9. v. 55.

Illud tamen me terret, quomodò Christus non venit animas perdere, sed saluare; qui tamen reapse quidem omnes iudicaturus, sed non omnes efficaciter saluaturus aduenier, iuxta illud: *tunc qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.* Cuius non aliam rationem video, nisi quia non omnium peccata bibit in cruce sancta, dum sitienti acetum offerretur: dicit enim S. Hilarius epist. ad Oceanum. *Felle, & aceto potatus est, vt in nobis tam nec fellis amaritudo, nec aceti esset asperitas.* Acetum, vt scitè, & eleganter obseruat S. Hilarius Can. 33. in Matthæum, humanam naturam significat per peccatum corruptam, in pristinam dignitatem per Christi passionem restituendam: siue vt clariùs loquar, significat peccata nostra, quorum amaritudinem in se, ac si ea biberet, Christus, vt ea expiaret, suscepit. Cæterùm non aliter sub aceti vmbra Christo, peccata redemptorum hominum propinata fuisse, nisi etiam simul hyssopi herba ad grande mysteriũ ipsi apponeretur, refert S. Ioan. cap. 19. v. 29. *Vas ergo positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circum*

Egesippus.

Ad Rom. 2.

Actor. 10.

Sapien. 7.

Ioan. 3.

Cyrillus Alexandr.

Lucæ 9.

S. Hilarius.

Ioan. 19.

circum ponentes, obtulerunt ori eius. Volens innuere Christum ea solùm peccata in se suscepisse, quæ cum pœnitentia, & lachrymis sibi expianda ab hominibus offerrentur. Nouimus enim hyssopum medicinalem herbam esse, de qua dicit S. Augustinus tract. 119. in Ioan. *Pectus purgat*, ideòq; cùm dicitur Psal. 50. *Asperges me hyssopo*, auctore eodem D. Augustino: *In mysterio mundandi cordis de ea similitudo sumpta est.* S. Augustus.

Hoc ipsemet Christus innuere voluit, clamans in cruce sancta, Lucæ 23. v. 46. *Et clamans voce magna* IESVS, *expirauit*: emittens enim Dominus magnum illum clamorem, id nobis significauit, se diuina tunc cognitione præuidisse, plures futuros esse homines, quorum ipse peccata, ob eorum duritiam, & impœnitens cor non poteret. Adnotante id S. Hilario supra citato: *Spiritum* inquit *cum clamore, & voce magna emisit, dolens non omnium se peccata potare.* Vnde S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, cap. de aceti oblatione, & potatione IESV, cùm ad mentem Hilarij dixisset: *Ergo acetum bibitur, hoc est, corruptæ per Adam immortalitatis culpa aboletur in calamo, vt de corpore absorberetur humano*, ita concludit: *Nos quoq; vitia nostra per incuriam mentis, corporisq; concreta transfundamus in Christum; transfundamus per baptismum, vt crucifigamur in Christo; transfundamus per pœnitentiam, vt ab illo nobis vini, sanguinisq; cælestis incorrupta sinceritas refundatur.* S. Hilarius. S. Ambros.

Idem docet S. Prosper, in responsione ad articulos falsò impositos Augustino, maximè in responsione ad primum, vbi dicit: *Cùm per vnam omnium naturam, & omnium causam, à Deo nostro in veritate susceptam, redempti omnes rectè dicantur; non tamen omnes à captiuitate sunt eruti. Redemptionis proprietas haud dubium penes illos est, de quibus Princeps huius mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Tandem paulò inferiùs, sic infert. *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit.* Ergo Christus non omnium peccata in cruce sancta bibit, sed illorum tantum, quos fore pœnitentes præuidebat, ideòq; omnes iudicaturus, sed non omnes efficaciter saluaturus aduenit. Non bibit peccata Iudæ proditoris, quia futurum cor eius impœnitens cognouit: non bibit peccata sinistri latronis, quia blasphemijs, & improperijs peccatum spectauit: non bibit peccata omnium reproborum, ob incoërcibilem eorum malitiam. Hos igitur omnes iudicaturus, sed non saluaturus aduenit. S. Prosper.

Quod pulchre adumbratum video Exodi 28. sacer textus. *Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israël.* Vt Aaron vmbra esset Christi, languores nostros ferentis, & iniquitates nostras portantis, si tamen earum verè nos pœniteat. Audite Radulphum in Allegorijs Gotfridi in hunc modum loquentem: *Neq; sanguis Christi expiat omnes: neq; fides sola sufficit, vt inter eos, quos expiat, numeremur, nisi sanguinis Christi vtilitatem congruæ pœnitentiæ satisfactione meremur. Vnde scriptum est. Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, &c. Aaron quippè noster, Dominus* IESVS *eas tantum fidelium iniquitates portat, & passionis suæ supplicio expiat, quarum confessionem Deo obtulerint, & sanctificauerit eas, hoc est, digna emendatione correxerint.* Ecce tibi Catholice passionem Christi, si te peccatorum pœniteat, completam; sin secus, tuâ negligentiâ mancam, seu tibi tuâ causâ inefficacem, quòd impœnitens, & ingratus cùm sis, fideiussori tuo pretium sui sanguinis reparare, & rependere renuas, ipsumq; cum validoclamore, & lamentabili gemitu tibi exprobrare cogas. Quæ vtilitas in sanguine meo? quid profeci tibi, dum descendo in corruptionem. Hoc considerans sapiens Eccles. 29. v. 21. dicit: *Repromissorem fugit peccator & immundus.* Lectio Tugurina vertit: *Beneficium fideiussoris prauè compensat scelerosus.* Ex qua vtraq; lectione sensus iste elicitur, peccatorem maximè ingratum esse, quòd debita, pro quibus misericors Dominus in eius gratiam fideiussit, soluere nolit, & noua peccata pro gratia rependat. Ideòq; subdit vlterius Sapiens: *Bona repromissionis sibi adscribit peccator, & ingratos sensu derelinquit liberantem se.* Quasi diceret: Ita sibi liber, & debitor immunis videtur, quasi Christi bona, id est, sanguinis passio, & merita non tàm sibi communia, quàm propria sint, & quæ ipse ad libitum expendere, imò ijs etiam ad perditè, & voluptariè viuendum, quin alicui subinde obligationi sit obnoxius, vti possit. Rodulphus. Exodi 28. Eccles. 29.

An non ita passim faciunt, moribus & conuersatione mali Christiani, qui dum libitu suo licentiosè viuunt, & quidquid libet, ac placet, sine timore Dei faciunt, Redemptorem suum fideiussorem derelinquunt, ita vt Christus magna voce exclamare cogatur: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Matth. 27. v. 46. Quæ verba non more humano propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce, sed propter homines qui ipsum pro Matth. 27.

pro eorum peccatis morte sua sponderem derelinquunt, nolentes pœnitentiâ, & vitæ probitate pretium remdemptionis ei rependere, à Christo prolata esse, docent Origenes & S. Bernardus tract. de passione cap. 12. his verbis: *Dominus præuidens aliquos, imò plurimos in corpore suo, qui ab vnitate Ecclesiæ suæ per hæreses, siue peralia criminalia peccata erant recessuri, illorum personam in se transfigurando clamat, vt quid dereliquisti me.* ac si diceret, quare aliquis eorum abijt retrorsùm, vt pereat ab vnitate corporis mei, qui tanto cruciatu mihi sunt vniti. Magnis & ingentibus cruciatibus Deus sibi redemptos homines vniuit, & quid putatis, quantò mœrore afficitur, quantò dolore tangitur, dum hi immemores huius inæstimabilis beneficij, eum deserunt peccando. Quis enim inficiabitur, rectè dici, Filium Dei tunc ab illis conculcari, & sanguinem testamenti pollui, qui gratis mortem subijsse, & sanguinem profudisse patiuntur, nec salutari sanguinis medicinâ, in oblationem peccatorum per veram pœnitentiam frui volunt. Hæc est expressa S. Pauli doctrina ad Hebr. 10. vbi dicit: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur. Quantò magu putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo & sanctificatus est, & spiritus gratiæ contumeliam fecerit.* Profundè locum hunc explicat S. Ambrosius, dicens: *Sicut enim ea, quæ conculcamus, nullius momenti pendimus; sic & qui liberè peccant absq; timore, & absquè pœnitentia, Christum nullius momenti æstimant; nec eum iudicem futurum formidant.* Statimq; subiungit, de peccatore Christum deserente: *Factus est per gratiam corpus Christi, & seipsum facit corpus diaboli, sanguinem Christi pollut, in eo, quòd mundatus est, & ad vomitum rauertitur pristinum, & seipsum per pœnitentiam iterum mundare neglexerit, spiritum gratiæ iniurians:* Pendant hæc, & expendant apud se homines; & vt peccati faciem, seu turpitudinem in Christo crucifixo, in cuius carne reum egit Deus peccatum, cognouêre; ita in eadem Christi passione, & morte, horrenda peccatis imminentia supplicia, quæ non nisi cum ipsiusmet vnigeniti Filij Dei passione, & cruce, vnâ, atq; eadem lance librantur, non modò cognoscant, & animaduertant; sed expauescant & horreant, maturaq; pœnitentiâ satisfacere contendant. Origenes. S. Bernard. Ad Hebr. 10. S. Ambros.

Hac de causa animæ fidelium defunctorum, quibus sanguis Christi ad salutem profuit, quòd non sufficientem in hac vita egerint pœnitentiam, reliquias adhuc pœnarum exoluentes, acerbissimis cruciatibus purgatorij torquentur, vt meritò hodiè nostrum implorent auxilium: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Si enim durum est in tenebricoso, & fœtido carcere, hominem ferreis catenis constrictum detineri, quantò magis acerbum, in igne intensissimo, animam æternitati destinatam, tamdiu torqueri, donec minima debita satisfaciendo exsoluat, iuxta illud Christi monitum. Matth. 5. v. 20. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Quem locum communiter S. Patres, & Expositores de purgatorio exponunt, à quo, velut è durissimo carcere interdictus est exitus, quousq; reatus pœnæ atrocissimis doloribus expungatur. Ait S. Bernardus de obitu Humb. *Illud scitote, quòd post hanc vitam in purgatorijs locu, centuplicitter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur vsq; ad nouissimum quadrantem. Scio ego, quàm durum sit, homini dissoluto apprehendere disciplinam, verbosò silentium pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, & multò durius erit, futuras illas molestias tolerare.* O grauissimum, & acerbissimum supplicium, in purgatorio carcere, hic neglecta, centupliciter reddere. Vt non immeritò Venerabilis Beda purgatorium, iram Dei appellauerit, in Psal. 37. ita scribens: Quidam committunt quædam peccata venialia grauiora, & leuiora; ideò necesse est, vt hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne. Bene equidem, quoniam in carcere purgatorij centupliciter redditur, quod hic neglectum est, meritò in ira corripi dicitur. Putaret non nemo, rem hanc terribilem, atq; horrendam, & reatui veniali minimè proportionatam. Sed audiat, quæso Seuerinum Boëtium, lib. 4. Prosa 2. Boëtius. *Nullane* inquit *supplicia animarum post defunctum morte corpus relinquu? & magna quidem: quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoriâ clementiâ exerceri puto.* Ergo grauissimus venialis negligentiæ reatus, condignus non est pœnali gehennalis flammæ acerbitate. Verùm licet in purgatorio carcere centupliciter vsq; ad vltimum quadrantem reddatur; atq; tàm acre, & diuturnum supplicium, ira Dei nominetur; hanc tamen centupliciter iram, purgatoriam ego clementiam, censeo vocandam esse, cùm ibi detentæ animæ infallibilem habeant certitudinem de sua salute, & ex communibus Ecclesiæ sanctæ suffragijs, magnum solatium referant. S. Bernardo. Purgatorium est ira Dei.

Quòd si Deo nihil gratius, quàm refrigeri-

frigerium animabus purgatorij præstitum, vt ipsemet docuit, quando tres pueros in fornacem ignis Babylonici proiectos, vt flammis omnia vorantibus absumerentur, suâ præsentiâ incolumes conseruauit, & nec semiustulatos per medium fornacis incedere fecit. *Tunc hi tres, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace.* Quod audiens Nabuchodonosor Rex obstupuit, & prospiciens in fornacem, vidensq; quatuor viros ambulantes, ait optimatibus suis, Nonne tres viros misimus? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis: *Et species quarti simile Filio Dei.* S. Hieronymus nomine Filij Dei, vult intelligi Angelum: quoniam expressè dicit Scriptura Sacra, quòd Angelus Domini descenderit cum Azaria, & socijs eius in fornacem. Daniel. 3. Tertullianus autem, Irenæus, Hyppolitus, & S. Augustinus, Christum seruatorem, & Redemptorem nostrum significari nomine Filij Dei censent, ex eo fundamento. Quia cùm fornacis, aut camini vocabulo, passim purgatorium appelletur, optimè Redemptori similis esse putatur, quisquis fidelium animabus, in purgatorij fornace existentibus refrigerium affert, cùm eas orationibus, & eleëmosynis fideliter redimat. Ne ergo ab hac similitudine Filij Dei recedamus, succurramus afflictis illis animabus, omnibus pietatis remedijs, & nobis pariter Redemptor noster succurret in vltimo vitæ de corpore mortali egressu, vocabitq; ad iucundum æternæ beatitudinis refrigerium, nos alloquens:

Venite benedicti Patris mei, possidete regnum ab initio mundi vobis paratum: quidquid enim vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.

Daniel. 3.

DIE SANCTI MARTINI.

CONCIO.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.

Deducitur oculum simplicem, esse intellectum de Deo, & proximo rectè sentientem, & os cum corde adunantem.

NOn immeritò quispiã Christi Euangelistæ succenseret posset, inprimis, quòd ex parte inferat totum, scilicet ex oculi simplicitate totius corporis lucem, candorem, & quandam perfectionem, cùm tamen iuxta doctrinam Phisophorum, à parte ad totum, vel vt illi loquuntur, à toto secundum quid, ad totum simpliciter, non valeat consecutio. Vitiosa certè argumentatio esset: *In vna Ecclesia Cracouiæ pauci homines: ergo & in omnibus alijs Ecclesijs. Inter Apostolos vnus Iudas, qui Christum prodidit, fur & latro erat: ergo & cæteri Apostoli tales, absit eiusmodi illatio.* Præterea, quòd Euangelista, oculum cæteris membris, ac sensibus anteponere videatur, cùm ex eius operatione, de toto corpore iudicium ferat, immemor forsan solum oculum in corpore humano à sapiente, maximæ nequitiæ instrumentum vocitari. Eccleſiastici 31. *Oculo quid nequius creatum est.* Quasi diceret: nihil prorsus. Oculus quippè suâ nequitiâ superat, quidquid iniquum est, Sed vnde obsecro tanta oculo nequitia? cùm præciso consensu, sensus innoxius sit. vt patet ex illis Christi Domini verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matthæi 5. v. 29. Vbi Auctore S. Ambrosio, serm. 16. in Psal. 118. *Oculum absoluit, mentem ligauit.* Non enim dixit adulterauit eam in oculo, sed in corde: nam in oculo solus visus est, in corde peccatum. Cur ergo tanta oculo nequitia tribuitur, vt nihil illo nequius à Deo creatum affirmetur? crediderim, quia licet in illo peccatum non sit; amplissima tamen peccandi materies per illum, in animum importatur. Vndè ingeniosè S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 13. concludit: *Non vidisse crimen est, sed cauendum, ne origo criminis sit.* Quid enim aliud Euam matrem nostram, in vetitum pomum contra Dei mandatum induxit, nisi oculus? teste sacra pagina Gen. 3. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Rupertus exponit: *Vidit mulier,* id est,

Matth. 5.

S. Ambros.

Genes. 3.

Rupertus.

id est, considerauit, *diligenter intuita est, curiosiùs attendit, & iudex eorum, quæ audierat, ipsa esse voluit.* Audierat, quoq; serpentem è contrario dicentem: *Nequaquam moriemini.* Inter hæc anceps, naturam ligni proprijs sensibus dijudicare voluit, vt sciret, cui potissimùm, Deone an serpenti palmam veritatis concederet. Atq; vtinam solius Euæ fuisse crimen hoc, tolerabilius vtiq; malum. Verùm etiam Adam facinus fecit: quia videns pomum, à muliere accepit, & comedit, propter quod Deus illum allocutus est: *Ecce* Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum, id est, & iustitiam originalem, in qua creatus fuit, & peccatum atque mortem: nam iustitiæ originalis amissionem simul cum peccato, loco hereditatis, vt caput totius generis humani in nos omnes transfudit ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes pertransijt.* Quid Dinam filiam Iacobi Patriarchæ eò perduxit, vt castitatem simul cum flore virginitatis amiserit? nonne oculus? *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, quam cùm vidisset Sichem, rapuit vi opprimens virginem.* Gen. 34. Quod si parum adhuc est, perpendite, quid Dauidem regem virum secundùm cor Dei, ad polluendum alienum thorum impulit, nonne oculus? Fortitudinem eius spurius ille gygas, totius populi Israëlitici, & veri Dei blasphemus irrisor, in stadio certaminis infringere non potuit, sed in funda & lapide Dauidis ingloriè victus cecidit. Persequebatur eundem Saul inuidiâ percitus, & maleuolentiâ tinctus, ita vt nec in obscuris terræ finibus permitteret eum viuere, imò nec sustineret commorari. Beneficus Dauid, & totius regni Israëlitici non ita pridem gloriosus Saluator, velut Reipublicæ pestis, montibus exul exerrabat, delitescebat lyluis, & stupens vagabatur campis. Verùm, quia strenuè militabat solicitis curis vexatus, quia palpitantibus præcordijs viuebat, ideo imminentia pericula euasit, vigilans promeruit coronam, nomenq; suum, & famam æternis sæculis consecrauit. Dum Saul manifestè agnoscens, Deum à partibus Dauidis stare, exclamaret: *Nunc quia scio, quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël, iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me* 1. Reg. 24. v. 20. Inauguratus Rex in castris, qui pene exauguratus erat in curijs, eo tempore, quo Reges procedere solent ad bella, Dauid in Ierusalem ciuitate pacis remansit; pollucibili mensa otium captabat, & qui alibi coronatus est armis, ibi suis iacebat prostratus oculis. *Accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, viditq; mulierem se lauantem ex aduerso supra solarium suum; erat autem mulier pulchra valde, missis itaq; Dauid nuncijs, tulit eam.* 2. Regum 11. Vbi obsecro putasses fortunatiorem Dauidem? campisne oberrantem, an regijs solarijs otia capientem? Equidem ad speciem Dauid felicior videbatur, cùm lautâ vteretur mensâ, cùm defecatis vinis potaretur, cùm purpurâ splenderet, & diademate redimiretur. Et tamen fortunacior erat inter inuidias, & discrimina: hostilibus enim armis vexatus, & regnum adeptus est, & immortalis famæ lucratus elogium: at verò otio indulgens, in graue adulterij peccatum prolapsus est. Audite Basilium Seleucien. orat. 17. *Cùm aduertisset ipsum à recto paululum oculos deflexisse, subitò venustate mulieris obiecta confixit: cùm enim regiè Dauid epulatus esset, ac pollucibili mensâ emollitus animo, meridiana sese oblectaret deambulatione, tunc diabolus animi, curæq; neruum remissum conspicatus, & mentem passionum aurigam indulgenter frænis succinctam, à paruula quadam sui parte nudatam ab armis, optimatem furtim cecidit ipsis iusti oculus vsus pro telo, & momento à via virtutis abreptum, in adulterij præcipitium deturbauit.* Ergo felicior Dauid sub dio recumbens, quàm in aureo dormiens strato: hìc enim calamitatum factus est præda, ibi calamitatum victor coronatus est gloriâ Victus est in pace, qui in bello triumphator extitit, idq; per oculum; ita vt parum obfuerit, quin otio indulgens amitteret regnum, qui armis insistens, acquisiuerat principatum. En quàm verum, oculo nihil nequius creatum esse, adeò, vt iustus Iob, non cum manibus rapinæ assuetis, & homicidijs; non cum pedibus, periculosa & illicita aliquando loca obambulantibus, sed cum oculis strictum fœdus inire voluerit: *Pepigi fœdus cum oculis meis; vt ne cogitarem quidem de virgine.* Iob 31. Verùm difficile est, culpare euangelistam Spiritu Sancto locutum: non enim oculus malus est, sed oculi abusus in lasciuiam, teste Salomone, Ecclesiast. 15. *Oculus ad mala malus* Proinde considerabimus, quidnam significet oculus simplex, ex quo in totum corpus lumen diffunditur.

Ad Rom. 5.

S. Basilius.

Genes. 34.

1. Reg. 24.

2. Reg. 11.

Iob 31.

Circa oculi significationem, variæ sunt sanctorum Patrum sententiæ. Inprimis Sanctus Hieronymus per *oculum* intelligit

S. Hieron.

git lumen animæ, quod est ipse intellectus, qui illuminatus gratiâ sanctâ, suas operationes inferiores benè dirigit. Vnde dicit: *Hoc totum transfert ad sensum, quomodò enim corpus totum est in tenebris, si oculus non fuerit simplex; ita si anima principalem fulgorem perdiderit, vniuersus sensus, vel sensualitatis pars in caligine commorabitur, vnde dicit: si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, id est, sensus, quod lumen animæ vitio caligatur, ipsa pura caligo tenebris absoluetur.* Rectè equidem per oculum intelligit lumen animæ, id est intellectum, gratiâ fidei supernaturalis illustratum, sine quo lumine homo nihil penitus eorum, quæ ad salutem necessaria sunt, cognoscere potest. Finis enim noster ad quem tendimus, est visio Dei: ergo necesse est, vt ad eum tendamus per fidem internam actualem, tanquàm per imperfectum, ad suum perfectum, iuxta illud Isaiæ 7. *Nisi credideritis: non intelligetis.* id est, nisi hic in via veram in Deum fidem habueritis, eundem in patria non cognoscetis. Ad quod pulchrè alluſit Iob cap. 24. *Auditu* inquit *auru audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Et ratio hoc ipsum euidenter suadet: quia cùm fidei succedat visio, tanquàm dispositioni forma: ergo omnibus adultis destinatis ad visionem Dei, necessaria est fides interna actualis ex ordinatione diuina. Præterea, quia intellectus noster in patria eleuatur per lumen gloriæ vsq; ad comtemplandum intuitiuè Deum: ergo iustè diuinitus exigitur, vt in via idem intellectus captiuetur necessariò in obsequium fidei diuinæ. Hinc videmus Hæreticos magno intellectus errore laborare: obfuscato enim semel in eorum intellectu lumine fidei ab hæresi, Deus bone, in quàm horrenda incidunt mala, in quàm enormia prolabuntur peccata. Vt intelligamus, quantum malum sit veræ fidei luminis amissio, ita vt tales extra vmbram DEI commorantes, ad quod vult, ad quod desiderat, veluti bruta animalia, sine vlla resistentia diabolus impellat: quod in ijs minimè præstare potest, qui veram fidem retinent. Peccant fateor Catholici (atq; vtinam non peccarent) sed tamen viuunt sub protectione Dei; & ideo licet peccant; tamen cum syndresi, non semper effrenatè, & vltimò ex efficacia Sacramentorum, non in profundum descendunt, ac abyssum peccatorum, vt deplorati Hæretici. Quibus optimè adaptatur Euangelica sententia: *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt.* Matth. 6. Vbi S. Hieronymus & Caietanus, per *tenebras* intelligunt errorem, & quodlibet peccatum. *Si ratio tua* (ait Caietanus) *fuerit simplex, absq; admixtione alicuius erroris: errant enim omnes, qui operantur malum, vniuersa opera tua lucida erunt, vt pote sub lumine rationis rectæ; si autem errauerit, etiam opera tua tenebrosa erunt, vt pote lumine rectæ rationis priuata.*

Matth. & S. Hieron. Caie. anuas.

Author verò imperfectus, quemadmodùm per *tenebras*, intelligit ipsam carnalem naturam peccatricem; per *oculum* autem animam lucentem in gratia, ab ipsa natura incitatam, sed quæ ei valdè resistit: vt accidit in homine iusto, ex quo talem elicit consequentiam. *Si enim in viro iusto contradicente sibi rationali anima, semper caro surripit animam, & quod suum est agit, quantis putas in homine malo iniquitatibus se inuoluet caro, quando anima quæ contradicere illi debuerat, consentit ei consimilia concupiscens.* Profunda satis doctrina, & maximè omnibus peccatoribus, ac potissimùm sæcularibus expauescenda: si enim contradicente iusto, ac renitente, totisq; animæ viribus obsistente, ex concupiscentiæ obsidentiâ, ac mali appetitus pruritu, vix peccata euitat. Quid faciet homo peccator quid in mundo sæcularis, qui nullam opponit resistentiam, qui mille peccatis irretitus est.

Auctor Imperfect.

Non abnuo bonas esse allatas interpretationes; optimam tamen præ illis iudico, S. Hilarij, qui per *oculum* intelligit bonam conscientiam, quæ si bona fuerit, lumen immortalitatis in resurrectione corpori refundet; si mala, totum corpus reddet tenebrosum. *De officio luminis oculi*, ait, *lumen cordis expressit, quod si simplex, & lucidum manebit, claritatem æterni luminis corpori tribuet, & splendorem originis suæ corruptioni carnis infundet, scilicet in resurrectione; si autem obscurum peccatis, & voluntate erit nequam, vitijs mentis natura corporis subiacebit.* Perpendite verba hæc vltima S. Hilarij, & facilè cognoscetis, deformitatis, atq; corporum damnatorum iniquæ sortis originem: inde enim corpora damnatorum deformissima erunt, putrida, malè olentia, ita vt vnicum solùm damnati corpus, sufficiens esset ad vniuersum corrumpendum mundum; idq; ex eo, quia vitia mentis in corpus refundentur, ipsisque subiacebit. Vnde sicut ex virtutibus animæ beatæ, eiusque gloria dotes præstantissimæ corpori refundentur; ita ex vitijs, & malis habitibus, ac peccatis damnatorum animæ, in eorum corpora, infelicissimæ refundentur miseriæ, atque pœnalitates. Huic interpretationi subscribit

S. Hilarius.

Corpus damnati suo fœtore totũ mundũ inficere posset.

D. Augustinus de serm. Domini. A seu adhærescens, cuius beneficio vndiq; totus oculus consistit, sibique cohæret, quæ etiam alba à colore nominatur. Musculi autem septem dati sunt oculis ad hoc, vt globum ad aspectum facilè conuertant: è quibus vnus sursum, alter deorsum, duo ad dextram, & leuam trahunt, alij duo circumferunt, septimus sustinet oculum, atq; illigat. Tandem duo nerui à cerebro proficiscũtur, vnus à dextra parte, alter è sinitra, sed aliquantulum progressi inter se coëunt; & iterum antequàm subintrent, separantur, vt mediante humore crystallino recipiant species, ac lumen. Vnde quales species recipiuntur in oculo, talis efficitur visio; nam cuius coloris sunt, eiusdem obiectum repræsentant.

Musculorũ officium in oculis.

En habetis oculum simplicem, non alium, nisi intellectum rectè de Deo sentientem, quem Deus vt auctor, gratiæ, quinq; tunicis corroborauit, scilicet quatuor virtutibus cardinalibus, *iustitiâ*, vt perpetuam, & constantem voluntatem habeamus, ius suum vnicuique tribuendi. *Prudentiâ*, quæ nos tanquàm recta ratio agibilium dirigat, vt non nisi ea eligamus, quæ maximè diuinæ voluntati conformia sunt. *Temperantiâ*, quæ excessum, & nimiam vim nostrarum passionum, vel affectuum refrænet, ac moderetur, ad debitamq; temperiem reducat, *Fortitudine*, tanquàm virtute coërcitiua timoris, & audaciæ moderatiua instantibus periculis, vt honesta pericula & fortiter sustineamus, & fortiter aggrediamur, præsertim dum honor Dei, & amor patriæ id requirit. Tandem timore filiali, & casto, vt potiùs timeamus culpam, quam pœnam. Adiecit huic oculo septem musculos, id est, septem Sacramenta, quibus mediantibus homo DEO reconciliatus, in superna eleuetur, in eiusq; amicitia stabilis permaneat. Insuper duos neruos opticos addidit, *Spem*, quæ est habitus infusus, per quem voluntas firmiter tendit in Deum tanquàm in bonum arduum futurum; consequi tamen possibile, ipsius Dei auxilio, propterea, quòd ista possibilitas ad hanc consecutionem requisita, non innitatur viribus naturæ, sed meritis, & operibus, diuinâ gratiâ, & auxilio factis: & ideo spes non quomodocunq; respicit Deum, sed connotando eius auxilium. Ex duobus autem ista spes redditur firma, *primò* ex Dei promissione, qui omnibus benè operantibus pollicitus est gratiam, & gloriam, & ad hoc vt benè operentur, sufficientia

Deus quinque tunicis intellectum vestiuit.

Oculus mẽtis habet 7. musculos & duos neruos.

Variæ sententiæ de visione quomodo fiat.

Oculi structura mirabilis.

Tunicæ in oculo sunt quinque.

tia auxilia, quæ interdum in pœnam alicuius peccati denegantur. Atq; ex hac parte spes admittit hæsitationem atque timorem, cùm nemini certò constet de suis meritis, & perseuerantia in illis. Alterum neruum addidit *charitatem*, quæ nos inclinat ad amandum Deum supra omnia amore amicitiæ.

Obiectum simplicis oculi sunt mandata Dei.

Obiectum ergo simplicis oculi non aliud Deus per istos neruos homini in prima eius creatione proposuit, & immisit, nisi mandata sua sanctissima, alloquens eum: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata mea.* Species ab hoc obiecto cecidit in oculum hominis, iustitia originalis, totum hominem reddens simplicem, ac rectum: ergo vt oculus sit simplex, necesse est hominem legum diuinarú amatorem, & veræ, non fucatæ iustitiæ obseruatorem esse: quoniam lex diuina data est nobis ad rectam institutionem. Nam vbi non est vera iustitia, ibi nec oculus simplex, sed malignus: siue vt exponit Ruffinus, *malo igne plenus*, quem Deus abominatur Psal. 5. *Neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Ex diuersitate igitur specierum, diuersus denominatur oculus, à speciebus iniquis malus, & malignus; à iustis autem simplex, & rectus. Hinc illud monitum sapientis: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedent gressus tuos.* Prouerb. 4. Stupenda locutio: cur enim recta præscribit videre Sapiens? num certè in manu hominis est, recta esse, quæ videt? Quid si illa reapse distorta, & inflexa sint: suone intuitu homo ea dirigere, & recta facere poterit? Illa quidem, quæ ad subiectum proprium spectant, iure homini, dum aspicit, præscribuntur; sequs autem, quæ ad obiectum pertinent; proinde rectè potiùs; quàm recta videre monuisset Sapiens. Cæterùm optimè subsistit locutio Salomonis, non solum rectè, sed etiam recta videre admonentis. Causam istius admonitionis reddit S. Ambrosius lib. de bono mortis. cap. 9 *Vidisti meretricem, captus es vultu eius, & formâ decoram putasti? errauerunt oculi tui, peruersa viderunt, aliena nuntiauerunt.* Ergo sicut non satis est, hominem iusta facere, nisi illa & iustè fiant; ita non satis rectè videre, nisi etiam ea tantùm, quæ recta sunt, videat.

Quid faciendum ne oculi erret.

Quod si tanti Doctoris sententiæ repugnare volueris, instando, nullum crimen esse, dum animo renuntiant oculi, mulierem pulchram, atq; decoram esse, quam Deus formosam fecit. Quis enim oculorum error est, quod reuera pulchrum est, pulchrum videre. Audi citatum Ambrosium, statim ita se explicantem: *Nam si verè vidissent,* (puta oculi) *vidissent deformem meretricis affectum, inhorrentem procacitati, indecentem impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluuionem, animæ vulnera, conscientiæ cicatrices.* Ecce habes, cur errauerint oculi, & aliena, ac falsa de meretricis forma nuntiauerint, nimirum quia non ad externam rei cutem, quæ pulchra, dextraq; videbatur, sed ad interiorem animi faciem, ad peccati fœditatem, ad vindictam crimini respondentem intueri debuerant; vbi nihil vidissent pulchrum, nihil gratum, nihil dextrum, sed omnia fœda, turpia, & horrentia. Recta igitur videre à Salomone monemur, propterea, quòd ea, quæ sese nostris oculis ingerunt, suis momentis examinare; & animo non nisi, quod ab illis rectum, dextrumq; resultat; id est, peccati turpitudinem, & virtutis decorem, ac præmia, siue supplicia ijs respondentia, nuntiare debeamus. Hinc etenim fiet, vt homo non modò rectè videritsed etiam illud ipsum, quod in se obliquum, seu distortum est, rectum viderit, siue cognouerit, dum cogitationem, & affectum eò ducit, vbi non exterior rerum facies, sed veritas, & rectitudo vocauerint. Quod patefacere volens S. Ambrosius, post adducta illa Domini verba: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. ita subijcit: *Vides, quòd iste falsum quæsiuit, qui non veritatem, sed adulterium requisiuit: videre enim quæsiuit, vt concupisceret, non vt verum cognosceret: errat igitur oculus, vbi errat affectus. Affectus ergo deceptio, est deceptio visus.*

Et certè rem veram manifestò argumento cognoscite. Voluptarius ille, diues epulo benè pastus, delicateq; vestitus, impletis horreis, felicem ac beatum se esse reputabat; famelicus autem Lazarus, pauper & inops, vulneribus saucius, ante fores eius iacebat, micas panis de mensa diuitis impetrare non valens. Equidem si externis solùm oculis vidisses vtrumque, felicem æstimasses diuitem, infelicem Lazarum. Verùm, si id animo tuo renuntiasses, errasses toto cælo, & vehementer errasses: nam si rectè & recta videre velles, diuitis opes, delicias, fastum, vegetamque valetudinem; inopiam, famem, inanitatem, extremamque miseriam: è contra Lazari vulnera, ac nuditatem; purpuram, abundantiam, & summam felicitatem facilè agnosceres. Vt enim Lazarus thesaurum in vase fictili

fictili habebat, iuxta illud 2. ad Corint. 4. v. 7. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*; ita diues, cui aureum calicem Babylonia meretrix propinabat, Hier. 51. v 7. purpurâ suâ confouebat, & æternæ famis, ac infelicitatis venenum perhibebat, eruditè id adnotante Fulgentio epist. 2 ad Gallam, de statu viduali cap. 9. *Attende* inquit *duos, vnum in diuitijs, & sanitate miserum; alterum in egestate, & vulnere multùm beatum; diues ille, qui induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè, quàm inanis fuit in illo epulo, quàm pauper in multitudine diuitiarum, quàm nudus in pulchritudine vestium, quàm infirmus in sanitate corporis, quàm famelicus in saturitate veneris, quàm miser in gaudijs, quàm desolatus inter amicorum colloquia, quàm deiectus inter obsequia seruulorum. Attende quoq; Lazarum in paupertate diuitem, in miseria beatum, in infelicitate felicem, in vulneribus sanum, & quidem sine domo, sed non sine Domino; sine veste, sine bona valetudine corporis, sed non sine robore charitatis; sine cibo, sed non sine Christo; canibus oppositum, sed socium Angelorum, qui non accipiebat de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed cœlestem panem visceribus eruditabat interno.* Fallit ergo plerumq; externus aspectus, & nisi oculus fuerit simplex, rectè & recta videns, facilè eum decipit.

His olim technis, & malis artibus, aggressus fuerat tentator Christum Matt. 4. v. 8. *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum dicens: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Ponderate illud, *gloriam eorum*, & diligenter considerate, quantæ tunc calamitates vniuersum mundum premebant, quanti luctus, labores, bella, atq; miseriæ sub externa illa gloriæ cute latitãtia inerant: imò, quod caput rei est, quàm acris sempiternæ gehennæ pœna illi correspondebat; & tamen his omnibus vndiq; contectis, ac silentio pressis non nisi externam rerum faciem callidus hostis ob oculos ponebat. Quia nimirùm optime nouerat, eatenus vires & efficacitatem, suæ tentationi, atq; machinis subesse, quatenùs illa solùm, quæ dulcia, & ad faciem iucunda, atq; grata sunt, ostenduntur, & considerantur. Sed in vanum abijt conatus eius, quia oculus Christi fuit simplex, purè & singulariter videns res, vt sunt in se; ideoq; Christum astutus tentator, externâ illâ & apparenti rerum ostensarum gloriâ, vano, & fucato colore minimè decipere potuit. Quia vt dicit Sapiens Prouerb. 12. v. 21. *Non contristabit iustum, quidquid acciderit, ei; impij autem replebuntur malo.* LXX. vertunt: *Non placebit iusto quidquam iniustum.* Chaldæus exponit: *Non erit pulchra vlla iniquitas.* Quibus verbis egregium inter iustum, & peccatorem; seu sapientem, & stultum, dum hic peccatum amplectitur, ille verò repudiat, ostendit Salomon discrimen; quòd iustus illecebrosa peccati pulchritudine conspecta, non modò non hæreat in externâ, atq; fucata illius superficie, ad eum modum, quo monet S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 13. loquens: *Bonus pudor, qui ipsos corporis oculos sic premere consueuit, vt sæpè non videamus, etiam quod videmus; etenim specie aspicere videmus, quidquid occurrerit, sed si non misceatur animi intentio, hic quoq; secundùm carnis officium noster aspectus vanescit; ita plùs videmus animo, quàm corpore, & si viderit caro ignem, non alligemus in sinu, hoc est, in secreto mentis, animiq; arcano. Non implicemus ignem hunc ossibus, non ipsi nobis nodos injiciamus.* Ostendens necessum esse, vt homo sapiens ab externa apparentia, ad internam, & veram rerum faciem interiores mentis oculos transferat, & tetram, atq; execrabilem peccati turpitudinem, æternosq; illi gehennæ cruciatus respondentes attentiùs consideret, illamque vt maximè noxiam, & exitiosam horreat, & auersetur. Cùm è contra insipiens ad id solùm, quod oculis pulchrum, iucundumq; floreſcit, attendat, & externâ cutis venustate delinitus, omnes cogitatus in vna corporis voluptate contemplanda, & exaggeranda, quin mentis aciem in cælestia bona, siue æterna mala perpendendo defigat, stultè collocet.

Infigne Doctoris est oculus simplex.

Si ergo Salomon pronuntiat, sapientis oculum, non ad externam solùm speciem, sed etiam ad internam respicere debere, quis non fatebitur, simplicem oculum, Doctoris, & Sapientis hominis insigne esse, iuxta illud Cantic. *Oculi tui sicut columbarum.* Quibus verbis Doctores designari fatetur Gillibertus serm. 23. in Cantic. vbi dicit: *Oculi eius Prophetæ, oculi eius Apostoli, qui vel futura prædicunt, vel iam facta prædicant: oculi eius sunt vtrorumq; interpretes, & Doctores populorum, quorum officia spiritualia animæ, vel commoda, vel scandala & cernimus, & discernimus.* Attende Doctores oculis columbinis signari, & cur non aquilinis? cùm aquilæ irreuerberatis palpebris solem aspiciant, oculisq; inconniuentibus solares radios discernant: aquila enim auis regia est, quæ & volatus pernicitate cæteras superat, & visus perspicaciâ antecedit. Columba autem pulchra quidem oculis est, gratiosa conspectu; sed non adeò volatu celer, nec visu perspi-

Fulgentius. S. Ambros.

Matth. 4. Prou. 12.

Matth. 5. S. Ambr.

S. Ambros. Prou. 4.

perſpicax. Ergo ſi oculorum pulchritudinem dignis voluit Salomon laudibus celebrare, non columbæ, ſed aquilæ eos aſſimilare debuit. Verùm agnoſcite myſterium, & immortalem Salomonis ſapientiam. Aquila lucem ſolarem ſpectat, ſed cadaueribus inhiat, teſte ſacra pagi-
Lucæ 17. nâ Lucæ 17. v 37. *Vbicunq, fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Idcirco veſtigijs non munda, imò putridis, & fœtidis ſæpè ſæpiùs cadaueribus maculata apparet, & licet plenâ fruatur lucis vſurâ; non tamen caret cadauerum maculâ, atque hanc ob cauſam Salomon Doctores aquilæ non comparauit. Cùm autem columba detrectet cadaueribus inſidendo maculare veſtigia: refugit enim montium lutoſa obtinere præcelſa. Hinc ex arca emiſſa, quia cadaueribus inſidere refugiebat, iterùm ad arcam confugit, ramum oliuæ floridum ore geſtans.

Ergo aptiùs Salomon Doctores columbæ, quàm aquilæ comparauit: quia plus iuuat mediocris ſapientiæ cenſus, morum puritate coniunctus; quàm ditiſſimus ſcientiæ theſaurus, culpabilibus vitæ actionibus contaminatus. Videt acutiùs aquila, ſed veſtigia conſpurcat fœdiùs; columba autem lucis amica eſt, vt pote ore ſurculum geſtans oliuæ, & veſtigijs minime attaminata. Doctores itaq; oculis columbæ comparantur, vt nouerint & immaculatos ponere greſſus, & ore mineruæ proferre fructus. Loquatur hic facundus, & ſubtilis Chryſoſthomus,
Genes. 8. S. Chryſoſt. qui ſuper illud Genes. 8. *Cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad arcam,* ita diſcurrit: *Non ſimpliciter dixit: non inuenta requie; ſed appoſuit pedibus ſuis, vt doceat nos, quòd licet deſierant ex parte aliqua aquæ, & cacumina montium apparuerint; ſed adhuc ob abundantiam aquarum, quæ ingruerant, cœno, & limo plena erant, etiam ipſa montium cacumina; & ideo columba non dum ſtare, neq; conuenientem ſibi cibum inuenire valens, reuerſa eſt.* O quàm præclarum, & appoſitum Doctorum, virorumq; ſapientum inſigne, ſimplex oculus columbarum, vt ne minima fœcis mundanæ labe contaminari velint, nec cadaueribus, ſcilicet auaritiæ, corruptionibus, defunctorum legatis, teſtamentorum falſificationibus, adlaborent, aut tacito, ſiue expreſſo conſenſu cooperentur.

Qui enim aliena appetit, oculum ſimplicem non habet: oculus quippè ſimplex vnitatis amans eſt; oculus autem auari, diuiſionis cupidus. Hinc Sapiens
Cantic. 5. Cantic. 5. oculum ſimplicem columbæ comparat. *Oculi* inquit *eius ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Viris ſinceris, & Deum timentibus, lactis lotionem ita accommodans, quòd ſic ſe erga rem communem, atq; publicam gerant, & in fluenta intueantur, vt nolint ab ipſis peculiarem faciem ſibi reddi; hoc eſt, aliquem, aut aliquid ex tota re, ac publica ſigillatim ſibi reſponderet, vt non quaſi vnus ex omnibus quiſque ſit; ſed quaſi cum omnibus vnus, Quod conſiderans S. Gregorius initio cap. 31. in Iob, verſans illa verba Iſaiæ 60. v. 7. *Qui ſunt hi, qui vt nubes volant, & velut columbæ ad feneſtras ſuas*; ita diſcurrit: *Columbæ ad feneſtras ſunt, qui per ſenſus corporis exteriora quæq; non reſpiciunt intentione rapacitatis.* In quam ſententiam propendet Tullius lib. 3. offic. dicens: *Ergo vnum debet eſſe omnibus propoſitum, vt eadem ſit vtilitas vniuſcuiuſque, & vniuerſorum, quam ſi ad ſe quiſq; rapiat, diſſoluetur omnis humana conſociatio.* Quod paulò ſuperiùs clariùs adhuc expreſſit illis verbis: *Vt ſi vnumquodq; membrum ſenſum hunc haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſſet. Sic ſi vnuſquiſq; noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq; quod cuique profit, emoluments ſui gratiâ ſocietas hominum, & communitas euertatur, neceſſe eſt.* Non ſolùm ad res, verùm etiam ad perſonarum vſum, & amicitias prædicta verba accommodans, cùm plures reperiantur, qui ſibi tantùm ipſis aliorum conuerſationem, vtilitatem, & beneuolentiam velint.

Iſaiæ 60. S. Gregor.

Sed cheu, iam hiſce infeliciſſimis temporibus, euanuit iſti boni publici amor, omnes priuatum comodum ſpectamus, & publicum bonum negligimus; imò quod magis dolendum, etiam primæuam illam, à maioribus noſtris acceptam ſinceritatem, & animi candorem perdidimus, dum aliud ore loquimur, aliud cordе premimus: immemores inter linguã, & cor magnum humanæ conuerſationis geri ſacramentum. At verò inter prudentes huius ſæculi (vaferrimè potiùs aſtutos dixeris) nihil tàm longo interuallo diſtat; licet munus linguæ, ſit fidele cordis miniſterium, & interpretis vices propiùs præſtare. Nam aliud corde abſcondere; aliud autem ore promere, ita hodiè frequentatum eſt, vt ſi mens ori reſpondeat: inter viros numerari vix, aut ne vix quidem mereris: neq; aliâ certius viâ, pectori concredita ſcies; quàm ſi tacitus tecum cogites, quid aduerſetur verbis. Hinc vbi videris proli-

Promiſſa fit mana vt plurimum fallunt.

xè omnia ſpondentem, opulentiſq; verbis promiſſa diuitantem, & vltrò operam ſuam deferentem, contraria omnia cogites, neceſſe eſt. Talis quippè amicum ore refert; hoſtem verò circumfert animo. Facilè amicos etiam complexus dabit, & decreſcet infra genua: verùm ſi prudens es, fuge Iudæ, & Ioabi oſcula, factiſq; animum metiri, non verbis ſcias. Diſſimilis eſt cordi frons; & cognatum mendacij deprehenſi ruborem, etiam vrbanè fruſtratur. Porrò modernis catholicis datam fidem fallere, mille etiam iuramentis firmatam, elegantiæ quoddam genus apud ipſos eſt; ſiquis autem veris aſſuetus, ſimplicioris ingenij eſt, & ſemel totus videtur, inter fatuos computatur, ineruditoque cenſetur ingenio. O tempora! ô mores! contemnitur candida veritas, & turpi mendacio omnis fortuna defertur.

Penes oculos imperiũ cæterorum ſenſuum natura poſuit.

Hiccine eſt oculus ſimplex: vtiq, Deus hominem rectum creauit, caput verſus cælum erexit, vt ſimplicitatem corporum cœleſtium æmulans homo, falſitates ac mendacia fugiat: oculis eum clarè proſpicientibus donauit, vt his veluti ducibus, ac primarijs membris, animus in cognoſcendam veritatem propendeat. Vt ingeniosè Philo Iudæus de ſpecialibus legibus diſcurrit: *Sicut* inquit, in corpore principatum natura dedit capiti, cui ſummum locum, tanquàm Regiam attribuit; ita inter cæteros ſenſus imperium penes oculos eſſe voluit, ideò hos quoq; in ſublimi collocauit, vt principes. Simplicitas ergo oculorum in cognitione veritatis, ac ſummi Dei conſiſtit, concludente citato Philone. *Hoc ſummum generis humani bonum*, (puta cognitio Dei & veritatis) *acceptum fertur oculis; quos dignatos opinor eo priuilegio, quia ſunt dilucidiores cæteris ſenſibus, & magis illuſtrant animam.* Deflexit pauliſper Protoparens noſter Adamus oculos ſuos à veritate, falſa ſuadenti ſerpenti annuens, & ecce ſtatim ſimplex Dei oculus vltor omnis iniquitatis, qui ſpeculator deſuper adſtat, omnes noſtras fraudes, & occultiſſima etiam crimina notans, ſeuerè in eum animaduertit, in iudicium tanquàm peccatorem vocans: *Adam vbi es? cui ipſe non ſine graui metu reſpondit: vocem tuam audiui in paradiſo, & timui; eò quòd nudus eſſem, ideò timui, & abſcondi me.* Rectè profectò: timuit Adam, erubuit, trepidauit ante diuinos oculos apparere, dum nudus omni virtute, omniq; decore ſpoliatus eſſet; ideoq; timuit iudicium, ſupplicium, repulſam, condemnationem. Ait Anaſtaſius Synaita lib. 10. Anagoic. contempl. *Adam factus eſt tenebroſus, & inornatus, atrum peccatum omninò indutus.* Obſtupeſcite, poſtquàm Deus iudicium iniuit cum Adamo, poſtquàm pœnam inflixit, poſtquàm puluerem, cinerem, ac labores plurimos comminatus eſt, quibus ob peccatum miſer homo addictus erat, tunc maximum eis beneficium præſtitit. *Fecit quoq; Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* O immenſam Dei clementiam! nudi acceſſerunt peccatores ad iudicium, omninò ſupplicio digni; & tamen ex iudicio exierunt veſtiti, & quidem veſtiti ab ipſo Deo, qui prius fuerat iudex ſeueriſſimus, ſutor eorum fieri voluit, vnde hæc metamorphoſis? Ne miremini: Deus eſt, & non homo, qui tunc amplius miſericors apparet, quando magis homo miſericordia indignus redditur. Audite citatum Anaſtaſium: *Ideo* inquit *eos veſtiuit, quia ex amore, ex dilectione, ipſe pro illis ſe denudare volebat, ſuper illos ſuum expandens amictum.* Optimè ſanè: ideò veſtiuit, quia nudi erant; ideo veſtiuit, quia eos in filios aſſumpturus erat, ſuo eos veſtimento induens, ipſe ob illos ſuum deſerturus: ergo tunc maximè in eos miſericors exſtitit, quando illi maximè miſericordiâ indigni inuenti ſunt.

S. Anaſtaſius

Hæc eſt vera ſimplicitas oculi, miſeros miſericorditer intueri, & accepta à Deo beneficia, gratâ ſemper memoriâ recolere. Sic cæli continuò rotatu Dei in nos benignitatem loquuntur: quot fructibus, tot terræ linguis Dei clementia annuntiatur: aër teſtatur ſe de theſauro Numinis ad alendam hominis vitam productum: ſtellarum motus, ſolis curſus, Lunæ ſæpè variatus aſpectus humanæ militat ſaluti, & quidquid ſub cælo eſt, hominis commoditati deſeruit. Ita profectò eximia, & frequentiſſima ſunt DEI in homines beneficia, vt niſi cum brutis commutauerint ingenium, non exhibere officium nequeant. *Vitioſi oculi ſunt*, dicebat Seneca lib. 3. de beneficijs cap. 1. *Qui lucem reformidant, cæci qui non vident, & parentes ſuos non amare impietas eſt, non agnoſcere inſania. Quis tàm ingratus eſt, quàm qui quod in prima parte animi poſitum eſſe debuit, & ſemper occurrere, ita ſepoſuit, & abiecit, vt in ignorantiam verteretur.* Quaſi diceret: ſolus qui laborat inſaniâ, parentes poteſt non agnoſcere: nam ſi agnoſceret, vel inſanus non poſſet non honorare: hoc vnicum ingratis effugium eſt, pro acceptis beneficijs non referre gratiam, ſed inſanire,

Omnes creaturæ diuina beneficia prædicant.

Seneca.

insanire, & extra rationem agi. Dum enim mentis compotes sunt, beneficia obliuisci nequaquàm valent, nec non exhibere obsequia.

Quando Iosue optionem dedit populo, velletne Deo inseruire, an idolorum figmentis ministrare? statim beneficiorum memores se legi firmiter adhæsuros responderunt: *Respondit populus, & ait, absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus dijs alienis, &c. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, & Patres nostros de terra Ægypti, de domo seruitutis, fecitq; videntibus nobis signa ingentia. &c. seruiemus igitur nos Domino: quia ipse est Dominus Deus noster.* Aduertite, quomodò Israëlitæ gratâ memoriâ recolebant, quanta acceperant beneficia, statimq; rationabili consequentiâ testabantur, se non posse non præstare Domino obsequia. Nam beneficiorum recordatio vel ingratissimos animos ita impulit, ita nobili violentiâ coëgit, vt palam faterentur, se non posse à iustitia resilire, dum tot se beneficijs illigari recognoscerent. Quod ingeniosè aduertens Abulensis, q. 11. dicit: *Reddunt rationem Israëlitæ, quare colere debeant Deum, & arguant ex beneficijs receptis, scilicet quia eduxit eos de terra Ægypti: tenetur namq; naturaliter quilibet benè pastus pro beneficio.* Forsan affectus Israëlitarum illecebris prouocabatur: verùm animus beneficiorum recordatione detinebatur: dum ergo vigeret beneficiorum memoria, legis floruit obseruatio. Erubescite hic Catholici, qui tot collatis in vos à Deo beneficijs non sosùm circumdati; sed velut mersi memoriam industriè fugitis, ne benefactori vestro seruiatis. Dicebat Seneca, Epist. 42. *Multa possum tibi ostendere, quæ acquisita, acceptaq; libertatem nobis extorserunt: nostri essemus, si ista nostra non essent.* Et reuera, si leo ob cibum cogitur, ad patientiam: mitigata toruitas præbet obsequium, quæ minatura videbatur periculum; libertatem extorquent accepta beneficia, & qui accepit, iam non tàm sui, quàm benefactoris censetur. Sanè deterior belluis est, qui post magna beneficia accepta, libertate vtitur, & dùm sibi seruatur, ingratissimus in benefactorem euadit.

Reflectite vestros oculos in prodigum illum filium, & facilè deprehendetis, nihil in mundo frequentiùs obuenire, quam præstitorum beneficiorum ingratitudinem. Ardebat ille filius prodigalitate notus cupiditatum febribus, dariq; sibi censum, vitiorum irritamentum deposcebat: cupiebat viuendi libertate gaudere, nolebatq; patri seruire. Petente igitur vno, vtriq; fratri substantiam totam mox pater diuisit, vt sciret seruatas fuisse diuitias non auaritiæ desiderio, sed amoris consilio; manere censum pignoribus cupiens differebat elargiri, ne prudentiæ exortes acceptum gestiuerint dissipare. Ditatus minor natu filius præcipiente cupiditate in longinquas terras se contulit, ibique transacto non modico tempore, cœpit nudus sordere: fames patrem docuit recognoscere, cui copia tulerat sentire genitorem. Meliora tandem sapiens famelicus; quàm ditatus, paternam repetijt domum, & propensum patris vltra spem suam expertus est affectum. Casune an consultò senior frater patrem adijt, qui symphoniarum cantus audiens, vsq; ad insaniam exarsit: fratris delicta liuore cæcus eulgare cœpit, liberalitatē patris condemnans, & nihil se accepisse conquestus, ac omnium beneficiorū prorsus oblitus, hæc exprobrans: *Nunquàm dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Et cur non meminit diuisi census, cur amplam se accepisse dissimulauit hereditatem? nimirum, vt posset fratris mores, ac parentis pietatem linguâ pestifera abrodere, accepta beneficia memoriâ curauit expungere, & obliuione artificiosa abolere, quasi non valeret in se à patre collata beneficia memoriâ retinere, maluit in patrem, & fratrem stomachari maleuolentiâ. Ait Chrysologus serm. 4. *Fratri inuidus animus, gratus esse non potest patri, & paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis: hædum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit.* Nonne hæc prodigi filij affectata ignoratio, nostram condemnabit ingratitudinem? ille quidem molitus est beneficiorum recordationem expungere, quò faciliùs posset facinora perpetrare; at verò nos procaciùs delinquimus, dum tot à Deo beneficijs onusti, ne minimum ei gratitudinis reddimus, sed in dies tantò enormiùs peccamus, immemores oculi simplicis esse proprium munus, semper in Deum eleuari, eiusque beneficia grato animo reuoluere.

Produxi igitur vobis, oculum simplicem non alium esse, nisi intellectum rectè de Deo sentientem, & sanctissima eius mandata seriò trutinantem, aliena minimè appetentem, nec aliud ore, quàm corde prementem. Quare si vultis totum corpus vestrum lucidum reddi sentite de Domino in timore, & humilitate, loquimini de proximo in charitate, & sic inaccessâ illâ æternæ beatitudinis, ac diuinæ præsentiæ luce perfruemini.

Abulensis.

Seneca.

Chrysolog.

DIE SANCTÆ CATHARINÆ.

Quinq; ex eis erant prudentes, & quinq; fatuæ.

Per quinq; virgines prudentes, prædestinatos nostræ considerationi obyci, & per fatuas reprobos, declaratur.

VErissimum esse illud commune prouerbium: *Non omnium est sibi, & alijs sufficere*, docuit suo exemplo superbus Aman, primus de Principibus Assueri Regis; qui cùm Regem sibi extremè infensum agnosceret, dicitur miser ad Reginam Esther confugisse rogaturus pro anima sua. Cui Esther ne vllum quidem verbum fauorabile respondit: quia totis viribus tunc in id incumbebat, vt pro se, & pro populo suo Regem deprecaretur: proinde non vacabat illi pro alijs orare: quoniam non omnium est, sibi & alijs sufficere. Quid ergo factum? dicit sacra pagina Esther 7. *Aman surrexit, vt rogaret Esther Reginam pro anima sua: intellexit enim à Rege sibi paratum malum, qui cùm reuersus esset de horto nemoribus consito, & reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere me præsente in domo mea.* Deus bone vnde hæc phantasia Regi? miser Aman ad supplicandum surrexit Reginæ pro anima sua, & Rex inquit, quòd vellet eam opprimere, cùm nec per suam cogitationem hoc Amano illuxerit. Necdum satis, vix verba hæc protulit Rex, & subitò mandauit Eunuchis, vt occideretur: *Appendite eum in ea. Suspensus est itaq; Aman in patibulo.* Non pro nece Iudæorum; sed quia opprimere voluit Reginam, vt Rex putabat, licet falsò: ergo ex vana solùm imaginatione Regis perdidit & statum, & vitam. Vt hinc agnoscamus, vitreum esse statum, & fragilem fortunam, solo fauore Principum quæsitam. Enimuerò non est in rerum natura res magis possibilis, quàm speciem aliquam in mentem alicuius falsam erroneamque aduenire, & præcipuè regum, quibus nunquàm veritas innotescit, quibus semper contra amicos iacula immittuntur vera, vel falsa. Cùm enim status eorum obiectum omnis sit inuidiæ, teste Petro Chrysologo serm. 122. *Est enim* inquit *graue illu malum, puta cæteris, qui illo carent gradu, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.* Ob quod, vt dicit Æmilius Probus in vita Chabriæ, nil libentiùs agunt, quàm illis detrahere, & vt sic loquar vellicare. *Ob hoc commune vitium* ait, *in magnis, liberisq; ciuitatibus, vt inuidia comes gloriæ sit, & libenter de his detrahant, quos emergere vident apertiùs.* Vnde tanquàm axioma certum pronuntiauit Iosephus lib. 10. Antiquit. c. 14. *Mordentur semper, qui quosdam apud Principes plus quàm se valere conspiciunt.* Addit Lucianus: *Aures, & oculi regum multi sunt, qui non solum vera vident, sed semper aliquid addunt, ne conijcere videantur.* Si ergo semper mordentur, intrinsecusq; dilaniantur, consequens est, vt semper etiam cogitent, quomodò apud Principem illum dilanient, conuellant, in malamq; adducant opinionem. Hinc contra illum calumniæ, verborumq; iacula, quæ licet hodiè cor animumq; regis non feriant; cras tamen ferient: semel autem immissa, illaq; apprehensa specie contra amicum, etsi falsâ, illicò actum est de amico, de amicitia, de statu, de vita, de domo, de familia, vt penitus deleatur. Hanc rationem reddidit ipsemet Rex Assuerus, cur in Amanum, & Amanitas, sententia mutatâ ita atrociter desæuierit: Esther 16. v. 2. & 3. *Multe* inquit, *bonitate Principū, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solùm subditos regibus nituntur opprimere; sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.* Quibus verbis Assuerus Rex, intolerabile atque odiosum, agreste & barbaricum, proponit genus humanum, qui cùm à Principum liberalitate multis sint ornati beneficijs, & amplissimis honoribus cumulati, eorum acceptorum abusu, impudenti ingratitudine ita insolescunt, & arroganter efferuntur, vt etiam eos, à quibus ornati, aucti, ac sublimati sunt, & vix non de stercore erecti, hostiliter insectentur, acceptisq; beneficijs potētes facti, acceptam inde potentiam, aduersùs beneficos largitores impotenter obarment. Vnde qui ingratis beneficia confert, robustiores illis vires suppeditat.

Iosephus.

Esther 16.

Ingratis beneficia præstare periculosum.

Auctore Patriarcha Photio, qui apud Antonium in Melissa lib. 1. serm. 21. ita scribit: *Qui largiuntur indigno, quæ digno conferre debebant, tria committunt absurda: nam & ipsi iacturam faciunt, & in bonos contumeliosi sunt, & malos roborant materiâ vitiorum suppeditatâ.* Plutarchus. Rationem reddit Plutarchus: *quia malo benefacere, idem est, ac serpentem alere.* Assuerus itaq; dum largiùs Amano benefaceret, inprimis gratiam beneficiorum sumptuosiùs perdidit propudiosâ iacturâ. Deinde erga dignos, ac bonos contumeliosus extitit, quos malorum prælatione culpabit: malorum enim prælatio, bonorũ dehonestatio est, virtutis iniuria, & insigne reprobationis argumentum. Insuper vitiosam ingratorum malitiam aduersùs semetipsum roborauit, ac hostiliter armauit, dum pernicioſam illi materiam suppeditaret; quoniam malo benefacere, & serpentem alere, idem est. Quod hodiernum Euangelium comprobat, quinq; fatuas virgines, à quinque prudentibus oleum impetrare non valentes introducens: *Ne fortè* inquit, *non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes.* Matth. 25. quia non omnium est, sibi, & alijs prospicere. Equidem per virgines prudentes, prædestinati nostræ considerationi sistuntur; per fatuas verò improbi, qui licet totis viribus conentur regnum cœlorum ingredi, minimè possunt. Vt hinc & felicissimam prædestinatorum sortem considerantes, de hac gratuita Dei liberalitate non insolescamus: & infelicissimam reproborum sortem perpendentes, simul exhorrescamus. Quod nobis pro themate erit.

Occasione quinq; virginum prudentum, & quinq; fatuarum, disceptant Authores, æqualisne fit numerus saluandorum, ac damnandorum? Et quidem plures esse prædestinatos; quàm reprobos, triplici fundamento, volunt stabilire. Inprimis, quia Apocal. 7. dicitur: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Vbi S. Ioannes loquitur de prædestinatis. Similiter Matth. 8. *Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.* Tandem Isaiæ, 54. dicitur: *Multi filij desertæ* (id est gentilitatis) *quàm eius, quæ habet virum*, id est, populi Iudæorum. Ex quibus locis inferunt, multò plures fore saluandos; quàm damnandos. Verùm omnes istæ authoritates solùm significant numerum saluandorum per se consideratum esse maximum, in comparatione tamen ad numerum damnatorum, minimum prorsùs reputari.

Conantur præterea stabilire suam sententiam altero fundamento: quia Deus saluandos prædestinauit ante opera præuisa: ergo inquiunt plures sunt prædestinati, quàm reprobi: quoniam sua voluntate libera eos prædestinauit. Alias si post opera præuisa prædestinasset, non mirum videretur, quòd prædestinati pauciores reprobis essent. Sed & hoc fundamentum debile: nam ex parte ipsiusmet Dei, duplici de causa pauciores sunt prædestinati, quàm reprobi. In primis, vt pretiosior fit apud homines diuina gratia: tum quia hoc fuit magis conforme rerum naturæ. Similiter etiam ex parte hominis, duplex potest assignari causa. *Prima*, ex parte naturæ humanæ, quæ relinquenda erat suæ libertati, vt eligat, quidquid illi placitum fuerit. *Altera*, quia vt plurimùm natura humana à fine improportionato est defectibilis. Potissimam autem istius rei causam, Christus Dominus refundit in voluntatem Patris æterni, Matth. 11. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Matth. 11.

Tertio adhuc fundamento nituntur stabilire suam sententiam. In Angelis inquiunt, plures sunt prædestinati, quam reprobi: ergo pariter & in hominibus. Angeli perfectissimi & in gratia creati sunt. Verùm, quàm debilis consecutio, facilè quisq; iudicabit: non enim eadem ratio militat pro hominibus, quæ pro Angelis. Nam Angeli erant perfectissimi, & in gratia creati, vt docet S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 3. & S. Augustinus lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 9. & communiter sancti Patres super illud Ezechielis 28. vbi de Lucifero loquitur Propheta: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Rationem reddit S. Paulus ad Hebr. 1. vbi solum Christum filium Dei naturalem appellat, & heredem, per hoc innuens, Angelos omnes, initio suæ creationis fuisse filios DEI adoptiuos; hæc autem filiatio non potest esse sine gratia sanctificante. Tum quia Angeli initio suæ creationis fuerant viatores supernaturales, tendentes ad supernaturalem beatitudinem: ergo debebant habere, principiũ istius tendentiæ, quod est gratia sanctificans. Vnde Angeli vnico actu meruerunt beatitudinem, neque habuerunt vllam resistentiam ad bonum, quam nos habemus. Et sic non mirum, quòd plures ex Angelis; pauciores autem ex hominibus prædestinati sint, cùm se Deus accommodet naturæ omnium.

Nihilominùs in sententia omnium Theologorũ indubitatum est, numerum reproborum multò maiorem esse, quàm prædestinatorum. Hoc palam fatetur Scriptura Sacra, Ecclesiastæ 1. *Stultorum infinitus est numerus.* Et Matth. 7. *Quàm angusta porta. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Quidnam autem per portam, quid per viam significetur, varij variè exponunt: aliqui enim per *portam* intelligunt Christi fidem; per *viam* autem, legem Euangelicam: his enim duabus veluti rectis semitis ad felicissimam illam æternæ beatitudinis gloriam incedimus. Alij per *portam*, & *viam*, intelligunt ipsummet Christum, iuxta illud Ioan. 14. v. 6. *Ego sum via veritas, & vita.* Et cap. 10. v. 9. *Ego sum ostium per me si quis intrauerit, saluabitur.* Alij per portam *angustiam*, Christum, per *latam* diabolum putant significari: quia Christus est angusta porta per humilitatem; diabolus verò lata per superbiam. Sed optimè præ omnibus D. Chrysosthomus, & Euthymius, per *portam*, ac per *viam*, idem significari volunt, nimirum præcepta Euangelica, quæ meritò portæ nomine veniunt, quoniam per illa ad cælum intratur: meritò & via dicuntur, quia per illa ad cælestem beatitudinem rendimus. Et quidem hæc præcepta Euangelica, dicuntur angusta via, quia difficilè est carni, & carnali homini per illa incedere, & per illa intrare. Ioan. 14. Reproborũ maior numerus, quàm prædestinatorum.

Illud tamen difficultatem auget, quomodò præcepta Euangelica dicantur via angusta, & arcta, cùm Christus Ioan. 11. v. 30. dicat: *iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Respondet Abulensis quæst. 29. etsi præcepta Euangelica grauia sint, quatenùs sunt opera virtutis; propter duo tamen fieri leuia, scilicet & propter præmij considerationem, & propter adiutorium gratiæ. Quod Christus in citatis verbis profundè inclusit: postquàm enim sua præcepta dixit *portam*, dixit *viam*, licet difficilia: quia tamen ea non vocauit aut terminum, aut ciuitatem, æternitatem significantia; sed *portam*, & *viam*, finem & transitum duntaxat exprimentia, consequenter leuia dixit. Quoniam omnis labor, qui finem habet, leuis est, neq; nomen laboris meretur, qui cum vita finitur, & terminum habet. Vt ingeniosè obseruat S. Chrysosth. sic loquens: *Sed cùm postea dicat, iugum meum suaue est, & onus meum leue, qualiter hic angustam viam esse ait, & arctam? sed & hic monstrat eam lenem esse, & suauem, quoniam via est, & porta est; sicut & altera, quæ lata, & spatiosa dicitur, ipsa via, & porta est; harum autem nihil man-* Ioan. 11. Præcepta euangelica propter duo leuia dicuntur. S. Chrysost.

surum est, sed omnia pertranseunt; transire autem labores, & sudores, & in bonum finem deuenire, scilicet in vitam, sufficiens est mitigare eos, qui agones patiuntur. Præclarè satis: nam labores, & afflictiones Euangelicas in obseruantia mandatorum, atq; omnia, quæ per virtutum opera tolerantur, vere dici labores non posse, ex eo constat, quia & finem, & præmium habent.

Legite Catholici mei, catalogum laborum, afflictionum, angustiarum persecutionum, quas S. Paulus refert 2. ad Corint. 11. *In laboribus* inquit *plurimus, in carceribus abundantiùs, in mortibus frequenter*, & dubio procul obstupescetis. Recurrite adhuc in eadem epist. ad cap. 1. vbi dicit v. 8. *Supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*: & magis obstupescetis, dum Paulus talem fuisse affirmat persecutionem, & laborem, vt tæderet illum etiam viuere. Considerate animum Pauli, considerate capacitatem, considerate desiderium eius pro Christo laborandi, atq; patiendi ita efficax, vt ab ipso principio suæ conuersionis, pro Christo mori necessarium sibi iudicauerit: & ideo Christus statim illi reuelauit, quanta pro nomine eius passurus esset. Actor. 9. v. 16. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Cumq; auditis nunc ipsummet Paulum dicere, talem ac tantam fuisse persecutionem, vt etiam tæderet eum viuere; quàm magna illa, quàm intolerabilis fuerit, nolite aliud exquirere documentum. Verùm tamen hic idem Paulus ita afflictus, ita vitæ suæ pertæsus, qui supra vires grauatum se antea dixerat, totum illum persecutionum cumulum, atq; grauissimum pondus, leue & momentaneum subintulit, 2. ad Corint. 4. v. 17. *Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Trutinate diligentiùs verbum illud, *corrumpatur*. Non dixit S. Paulus, patiatur, afflictetur, maceretur, sed corrumpatur; quid est corrumpi? nisi mori desinere, putrescere; & non hominem, sed cadauer fieri per labores, ac persecutiones. Et tamen cùm hoc esset, tantum illud pondus tribulationum propè infinitum, quod etiam ad angustias mortis, ad putrefactionem redigebat eum, leue dixit ex eo, quia momentaneum, quia non æternum, quia finem habet: hinc non solùm totum illud pon- 2. ad Corint. 11. 2. Corint. 4. Omnes tribulationes sunt leues, quia finem habent.

dus erat leue, ex hac consideratione: A sed commutata sorte, ex pondere tribulationis fiebat intus *æternum gloriæ pondus*, vt mallet mori, quàm sine tribulatione viuere. Palam ostendens, etiam immensum pondus tribulationum, quod corpus atterit, & putrefacit, ex gratia diuina ita leue fieri, vt in æternum gloriæ pondus adhuc in terris commutetur.

Audite hæc carnales homines, audite sensuales, audite mundiales, qui post delicias ambulatis: audite qui spatiosam, & amplam inceditis portam, arcta est Christi via, arcta Christi porta, plus quàm dici potest; sed quia porta, & via, B quia finem habet, non solùm in altera, sed quod maius est, etiam in ista vita. Non finem inquam, quasi iusti sine laboribus remaneant, sine afflictionibus, cùm potiùs mori desiderent; quàm sine illis remanere: sed finem, quia vt loquitur S. Paulus loco supra citato, *non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*; id est, non temporalia, sed æterna meditantibus, totum illud pondus tribulationum exterius, vertitur ex hac consideratione, ex gratia Christi, ex eius amore, in gloriæ pondus interius adhuc in hac vita. Quemadmodùm è contra, licet vita hominum mundialium sit ampla, sit præ- C grandis, sit spatiosa, sit delicata; porta tamen & via est; id est, finem etiam habet, sed non æternum gloriæ pondus; verùm tristitiæ, mæroris, afflictionis, idque non solum in alia, sed etiam in præsenti vita, in animabus illorum operatur. Ait

Salmeron. Salmeron: *At hæc lata porta, & spatiosa, quæ ducit ad interitum, pluribus ac maioribus angustijs circumsepta est; quàm iustorum via: namvt omittam conscientiæ tormenta, quæ pax, aut quies potest esse in mundi huius honoribus, delicijs, aut diuitijs, quas Christus spinas vocat? aut quis maiores cruciatus, quàm spectare hæc ipsa nobis de manibus eripi, & ipsum possessorem infinitu curu, & pericula affligi. Si igitur conferantur angustiæ, & D difficultates vtriusq; viæ, minores multò sunt, & leuiores, quæ iusti patiuntur, gratiâ Dei subleuati, & spe æternorum bonorum; cùm tamen impij, & viam latam consectantes, vel serò tandem etiam nolentes confiteantur, lassati sumus in via iniquitatis.*

Sapien. 5. Sap. 5. v. 7.

Angusta igitur est via præceptorum, arcta via mandatorum Dei; vt tamen illam ingrediamur, hortatur nos Christus Dominus, vel hac vnica prægrandi ratione, quia vna solùm est via ad cælum arcta, altera ampla, quæ ducit ad mortem, tertia ampliùs non datur. Quod probè sciens diabolus, hominibus tepidis, qui in vnum Christi, & mundi viam coire volunt, mediam partim strictam, partim amplam proposuit. Sed hæc est inuentio carnalium hominum, hæc est tepidorum fallacia, hæc est fictio diaboli, vt quos palam decipere non valet, apparenti saltem pietatis specie cicumueniat. At verò Christus æterna sapientia, non eam agnouit: si enim agnouisset, haud dubiè proposuisset; quid ni? Exinaniuit semetipsum Christus, viliùs sceleratissimis etiam quibusuis tractari voluit, sauciatus atrocissimis vulneribus, & magnis pressus doloribus peribat, vt sic loquar, vt hoc modo homines ad salutem euehe- B ret. Ergo certè si in diuinis decretis aspexisset mediam aliam viam, inter amplam, & angustam, proposuisset eam, vt sic infiniti, ne dicam omnes saluarentur. Cùm autem non viderit, ideò solùm duas proposuit, amplam, & angustam, vtq; per angustam intremus hortatus est, quoniam ampla ducit ad interitum, angusta ad vitam. Hæc est summa omnium rationum, hæc est summa omnium veritatum, hæc est summa & infinita veritas, quia ampla via ducit ad perditionem; angusta verò ad vitam. Nihilominus cùm insipientium sit infinitus fermè numerus, ideò multi sunt, qui per amplam C intrant, pauci qui angustam inueniunt.

Hoc ipsum multa alia Scripturæ Sacræ loca euidenter monstrant, vt 1. ad Corint. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis.* 1. Corint. 9. Non enim satis est currere; sed ad metam indefessis conatibus peruenire. Nam qui in stadio currunt, & præmium, & laborem perdunt, si mediâ viâ aut defatigati hæserint, aut cursus perniçitatem minuerint. At ita currendum est, vt comprehendatur brauium, palmaq; obtineatur præmium. Ita exponit S. Anselmus. *Licet inquit, omnes ibi sint in cursu, & labore similes, tamen omnes inaniter currunt, præter illum solum, qui accipit brauium, quia fecit omnia, quæ pertinent ad cursum, & abstinuit ab omnibus, quæ impediunt.* S. Anselm. Ergo non nisi, qui fecerit omnia, & prior ad metam peruenerit, victrici palmâ coronatur. Equidem Catholici mei, stadium hoc, in quo omnes debemus currere, significat octauam partem miliaris, constans passibus 125. In hoc numero omnis perfectio diuini amoris designatur: in centenario, qui numerus est perfectus, doctrina Euangelica, in 20. decem præcepta decalogi, quæ liberaliter, & spiritualiter sunt implenda: inquinq; demùm, quinq; sensuum delectatio

Quid per stadium in Euangelio significetur.

tio refrenanda intelligitur. Qui ergo in A uali stadio currit, brauium, id est, remunerationem coronæ incorruptibilis accipit. De qua Apocal. 2. dicitur: *Dabo tibi coronam vitæ.* Verùm in hoc cursu, non qui prior incepit, sed qui celerior perficit, & ad metam peruenit, meretur coronari.

Apocal. 2.

Euidens istius rei documentum habemus, Genes. 38. v. 27. Duo fratres in materno vtero athleticè colluctabantur, Zara & Phares. Ille manum protulit, fratris conatum feliciter anteuertens: *Protulit manum in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: iste egredietur prior.* Verùm, cùm iam B certaminis palmam prensaret, retractâ manu fratri cessit, & qui cœperat tardior, ortum consummauit celerior, addit sacra pagina: *illo verò retrahente manum, egressus est alter.* Vicit Phares, quia prior in lucem prodijt; Zara autem licet prior inceperat; quia tamen iterùm retroactus præmium amisit: quia corona non debebatur incipienti, sed orto: nec primogenituræ gloria manum producenti, sed nato. Et si rem magis illustrari desideramus, reuocemus nobis in memoriam, ad sepulchrum Christi piè lachrymantem Magdalenam: vbi enim corpus eius in sepulchro non inuenit, furtim subla- C tum credens, triste nuntium Apostolis detulit. Quid tunc? Petrus, & Ioannes cursum monumentum versus arripuere,

Ioan. 20. Ioan. 20. v. 4. *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit Petro, & venit citiùs ad monumentum, & cùm se inclinasset, vidit posteà linteamina; non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat supra caput eius, non cum linteaminibus; sed separatim inuolutum in vnum locum: tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum.* Porrò in hac tàm exacta cursus, & aduentus desitione, ar- D canum ac figurale mysterium latere docet magnus Gregorius, nimirùm in Ioanne adumbrari synagogam, in Petro Ecclesiam: sic enim dicit homil. 22. in Euangelia. *Currunt ambo simul, quia ab ortu sui temporis vsq; ad occasum pari, & communi vitæ, etsi non pari, & communi sensu gentilitas cum synagoga cucurrit. Venit synagoga prior ad monumentum; sed minimè intrauit, quia legis quidem mandata percepit, prophetias de Incarnatione, ac passione Dominica audiuit; sed credere in mortuum noluit.* O miseram synagogam, quæ tantum cursum iuxta metam herens frustrauit, quæ ne vel gressum vnicum adderet, sudorem tantum deperdidit. Equidem

Magnus Gregor.

miser, qui ad Dominum non accurrit, sed multò miserabilior, qui post longos celeresq; gressus, iuxta metam ignauus amplissimos amisit fructus. Et Ioannes & Petrus ad Dominum cursum arripuerunt: & licet Ioannes prior metam attigerit, hæsit tamen à socio superari passus; Petrus verò, qui spatio tardior, termino cursus felicior. *Citiùs cucurrit (synagoga) & tamen ante monumentum vacua stetit.* Non ergo glorietur synagoga iactabunda decursu, cùm ante metam infelici substiterit gressu: neq; etiam Ecclesiæ tarditas imputanda quoniam de glorioso ad sepulchrum aduentu tarditatis maculam deterxit, & immarcescibilem, ac triumphalem, cursus gloriam accepit. Finis certè coronat opus, glorioſum parum iuuat exordium, nisi ad debitum finem perueniat; imò adauget ignominiam, sicut fortunatus finis lentæ inceptionis notam detergit.

Et certè multò maiorem esse numerum reproborum, quàm prædestinatorum, probat Euangelista Matth. 3. illis verbis: *Et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Vbi comparat prædestinatos tritico; reprobos autem paleis: ergo quantùm palæ excedunt grana, tantum prædestinatos reprobi. Comprobat Propheta Domini Isaiæ 17. à v. 5. *Et erit sicut congregans in messe, quod restiterit, & brachium eius spicas leget: & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur in ea sicut racemus, & sicut excussio oleæ.* Vbi explicatur iustorum paucitas per *racemos* & *spicas*, quæ remanent post vindemiam, & messem factam. Proinde voluit Propheta indicare, quòd dæmon colligat ex mundo vindemiam, ac messem reproborum; postea verò Deus recolligat racemos quosdam, & spicas quæ remanserunt post vindemiam, & messem. Idem docet S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium Grammaticũ, c. 46. vbi dicit, quòd sicut grana frumenti per seipsa multa sunt, sed in comparatione palearum pauca: & sicut stellæ cœli in se multæ sunt, sed comparatione arenæ maris sunt paucæ; ita prædestinati per se considerati multi sunt, sed in comparatione damnatorum pauci. Hinc Gabriel Biel. in sua concione in septuagesimam, probat ab Adamo per singulas ætates, plures esse incomparabiliter damnatos; quàm saluatos. Cuius rei hanc vnicam rationem assignat S. Bonauentura in summa Theologica, quæst. 18. art. vlt. vt sic appareat, quod omnibus debebatur,

Matth. 3.

Numerus reproborũ maior est, quam prædestinatorum.

S. Bonau.

debatur, quoniam omnes ex peccato digni eramus pœnâ æternâ. S. etiam Thomas 1. par. quæst. 23. art. 7. in responsione ad tertium, duas ponit rationes eiusdem rei, *vnam*, quia finis supernaturalis nostræ beatitudinis est improportionatus naturæ humanæ, & ideò pauci sunt, qui illum assequuntur. *Alteram*, quia natura nostra prona est in malum, & corrupta propter peccatum, ita vt mirabile sit, quòd ex tali natura aliqui saluentur.

S. Thomas.

Cæterùm, stante hac indubitata veritate, quòd numerus reproborum longè excedat prædestinatos, dubium adhuc nouum consurgit, an saltem ex fidelibus, qui sunt in gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & in fide Christi moriuntur, maior numerus fidelium saluetur; an verò pereat. Et quidem sancti Patres sentire videntur, ex fidelibus plures damnari, quàm saluari. Nam in primis S. Gregorius super illud Matth. 20. *Multi sunt vocati; pauci verò electi.* Homil. 19. ait: *Ad fidem multi veniunt, sed ad cœleste regnum pauci perduntur.* Similiter S. Chrysost. homil. 65. super citata Matthæi verba, dicit: *quòd ex ipsismet Christianis, qui apparent boni, & habent aliqualem curam salutis, medietas perditur.* Et iterum hom 40. alloquens populum Antiochenum Christianum, sic ait: *Quot esse putatis in hac ciuitate nostra, qui salui fiant? infestum est, quod dicturus sum, dicam tamen, non posse in tot millibus centum inueniri, qui saluentur, imò & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus malitia? quantus & senibus torpor?* Vnde ex sexcentis millibus populi Israël, qui transierunt mare rubrum, vt peruenirent in terram promissionis, duo tantùm peruenerunt ad illam; & tamen constat Israëlitas baptizatorum fidelium typum gessisse. Insuper facilè hoc colligi potest ex communi hominum vita: quia videmus, quòd maior pars Christianorum ambulet per viam latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem; & pauci ex Christianis per viam strictam incedant.

Matth. 20. S Gregor. S. Chrysost.

Frequens sacramentorum vsus pernicio-sus.

Neq; sanè moueat quempiam, quòd Christiani licet frequenter peccent; frequenter tamen ad suscipienda sacramenta accedunt: quia per hoc sancta Dei Ecclesia magnum accipit detrimentum. Pulchrè Caietanus super illa verba Matthæi 7. *Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.* Asserens Christum his verbis prohibuisse ecclesiastica Sacramenta dare fidelibus, quia illa non æstimant, qui terrenis sunt dediti, quorum

Caietanus.

anima solis terrenis pascitur, ne affectibus, malaq; vitâ inculcent illa. Quod exemplificans ita concludit: *An non margaritæ mittuntur ante porcos, cùm passim Sacramentum Ordinis, sacræ Religionis, castitatis professio, sacerdotia, & id genus alia pretiosa apud Ecclesiam exhibentur hominibus sola cupiditate hos subeuntibus, testatur consequens consultatio tàm pretiosorum ordinum, statuum, graduum, atq; officiorum, quam vtinam non videremus, ex cœnosis officijs eorum sic esse.* Ponderate Caietani veram doctrinam, quomodò tota sanctissima inuertatur Ecclesia, quia indignis ministeria sancta dantur. Audite & aliam non minus grauem authoritatem Paschasij Rhadberti viri sanctissimi, ac miraculorum post mortem clarissimi, qui citata Christi verba de Sacramento Pœnitentiæ ita exponit: *Hinc etiam est, quòd hodie in Ecclesia, indulgentia pœnitentiæ toties conculcatur, & securiùs promittitur, ita vt illusio potiùs interdum fordescentibus fiat, quia dum facilè præstatur, vilior habetur, & percepta negligentiùs custoditur, atq; culpa in facto cum spe veniæ audentiùs nonnunquàm reiteratur.* Sanè verissima sententia: si enim non ita facilè peccatores absoluerentur, præsertim qui non grauia pœnitentiæ demonstrant documenta, & in peccatis diu immersi inueniuntur, per annum, & ampliùs in illis obdurati, forsitan non tanta iterata in mundo essent peccata. Sed quoniam nec pœnitentia magna imponitur, statimq; absolutio impenditur, ideò ad vomitum citò redeunt peccatores, quos absolutio sacramentalis facilè impertita deteriores reddit: atq; hanc ob causam, plures ex ipsismet etiam fidelibus infernus absorbet; quàm cœlum recipit.

Paschasius.

Ex fidelibus plures saluantur, quàm pereunt.

Quocirca non audeo penitùs hanc sententiam improbare, quæ asseuerat maiorem numerũ fidelium perire; quàm saluari, cùm in hac materia nihil temerè sit iudicandum; sed cum timore & tremore loquendum. At tamen video, quòd S. Bonauentura submittens suum iudiciũ iudicio sanctæ matris Ecclesiæ, in oppositam sententiam magis inclinet, piè credens ex his, qui intra Ecclesiam moriuntur, maiorem partem saluari; quàm damnari. Quod in summa theologica, q. 18. ar. 4. dub. 6. probat in primis ex eo, quia maior pars Christianorum in fine vitæ recipit Sacramenta Ecclesiæ, saltem cum signis attritionis, quæ cum sacramento iustificat hominem, quæ quidem attritio non ita difficilè comparatur. Quippè per experientiam videmus sceleratissimos etiam homines instante hora mortis

tis facilè emolliri, atq; in vberrimas lachrymas prorumpere. Ergo cùm plures sint, qui moriuntur cum Sacramentis; quàm sine illis, piè credendum est, plures ex Christianis saluari, quàm perire.

Præterea ex eo, quia reuera nimis rigidum videtur, hoc sentire de Deo, quòd etiã ex suis membris pauciores elegerit, præsertim, cùm eos elegerit ante omnia opera præuisa, vt docet S. Paulus ad Rom. 9. v. 12. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Accipiendo verba hæc in sensu literali, non debent accipi de electione Iacobi ad vitam æternam, & reprobatione Esau ab æterna felicitate: proinde non debent accipi de personis istorum gemellorum. Non enim Esau maior natu seruiuit fratri minori Iacobo; neq; Iacob amænioris terræ possessionem accepit. Imò Esau multo tempore ante Iacobum duas iam vxores duxerat, & ad magnam potentiam, opesq; peruenerat, atq; montis Seir partem in suam potestatem redegerat, ita vt multò esset maior, & ditior, quàm Iacob. Sed debent intelligi de duobus populis, puta de Idumæis, & Israëlitis: maior enim populus Idumæorum seruiuit minori populo Israëlitarum 2. Reg. 8. *Posuit in Idumæa custodes, statuit præsidium, & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid: & seruauit Dominus Dauid in omnibus, ad quæcunq; profectus est.* Deinde, post captiuitatem Babylonicam à Iuda Machabæo afflicti sunt, à Hircano domiti, teste Iosepho lib. 12. cap. 17. ac demùm varijs confecti cladibus interierunt, vt ne nomen quidem eorum superesset; quemadmodùm nec Moabitarum, aut Ammonitarum.

Ad Rom. 9.

2. Reg. 8.

S. Augustin.

At verò S. Augustinus, lib. 16. de ciuit: Dei cap. 35. hunc locum accommodat ad populum Iudæorum, qui licet sit senior; seruit tamen populo Christiano iuniori. Vnde ait: *Quod autem dictum est, maior seruiet minori, nemo ferè nostrorum aliter intellexit; quàm maiorem populum Iudæorum, minori populo Christianorum seruiturum.* Modum autem istius seruitutis exponit idem S. Doctor serm. 78. de tempore, quòd *Iudæi sacros libros nobis exhibeant, & toto mundo circumferant, ad omnium gentium institutionem.* Comprobat Rupertus lib. 7. cap. 54. inquiens: *Sanè Christianorum captarij sunt Iudæi, qui scripturas circumferunt, illisq; sua calamitate testimonium perhibent; nec fruuntur tamen, sed magis magisq; excæcantur, donec intrauerit plenitudo gentium, & ipsi tandem conuertantur, & saluentur.* Electos igitur S. Paulus loco citato intelligit eos, qui ad gratiam, hereditatem, & gloriam prædestinati sunt, quæ electio est cum amore, vt palam ostendunt illa verba: *Iacob dilexi*, hoc est, vt exponit S. Thomas: *vitam illi æternam volui*, & sic à gloria non debet separari electio. Porrò in illis verbis, *Esau odio habui*, indicat Apostolus reprobationem, non Ipsius Esau: nam ex multorum sententia valde probabile est, illum saluatum esse: quoniam & fratri reconciliatus fuit, & Paterni funeris socius legitur fuisse, & pacem in posterum cum fratre coluit, & Deus prosperitatem eius seruauit. Sed indicat reprobationem eorum, quorum Esau typum gessit. Docetq; palam, tàm electionem ad gloriam; quàm reprobationem, seu exclusionem à gloria, factam esse sine respectu bonorum operum, ac demeritorum. Si ergo Deus ante omnia præuisa merita elegit saluandos, dubio procul ex suis membris non pauciores, sed plures elegisse censendus est. Et certè si vera est sententia eorum, qui dicunt, quòd homines debeant implere sedes vacuas Angelorum, qui ceciderunt: quoniam Angeli damnati sunt infinitò plures nobis fidelibus, quis non piè credet, plures ex Christianis fore saluandos; quàm damnandos.

S. Thomas.

Esau saluatũ esse probabile est.

Hic mihi in mentem venit illa vulgaris sententia, quæ communiter circumfertur, scilicet quòd homines sint eleuati ad gloriam occasione sumpta ex casu Angelorum. Quæ non debet intelligi, quasi homo occasione peccati Angelorum creatus sit quoad esse naturale: hoc enim manifestè falsum est: quia cùm homo sit præcipua pars mundi huius, propter quem totus mundus creatus est, ita vt mundus iste sine homine non fuisset perfectus, & sic licet Angelus non peccasset; homo tamen creatus fuisset. Neque etiam debet intelligi ista sententia, vt quidam volunt, quòd licet Angelo non peccante homo fuisset creatus secundùm esse naturale; non fuisset tamen eleuatus, nec ordinatus in gloriam, nisi occasione peccati Angelorum: hoc enim falsum est. In primis, quia homo ex natura sua est capax beatitudinis, propter quod ad imaginem Dei factus est, cur ergo non fuisset beatus, etiamsi Angelus non laberetur? Quemadmodùm sentit D. Gregorius hom. 34. in Euang. vbi dicit, quòd Deus creauit Angelos, & homines adæquatè propter gloriam consequendam. Ideoq; subdit, quòd tot homines

Quomodò homines occasione peccati Angelici dicuntur eleuati ad gloriam.

mines ſaluabuntur, quod ſunt Angeli beati in gloria. Idem tenet Paludanus
S. Gregor. in 4. diſt. 4. qu. 1. Ex quo infert S. Gregorius, quòd *ſicut Angeli non fuerunt æquales in gloria; ita nec homines*, quod quidem de hominibus adultis intelligendum eſt: nam pueri cum ſolo baptiſmo decedentes, erunt æquales in gloria. Si ergo multi homines ſunt æquales in gloria, & Angeli non fuerunt æquales, profectò homines non ſunt ordinati ad gloriam propter ruinas Angelorum, magiſq; hoc
Rupertus. ipſum comprobat Rupertus Abbas, l. 3. de Proceſſ. Spiritus Sancti ita loquens: *Non tàm homo factus eſt propter ſupplendum numerum Angelorum; quàm & Angeli & homines, propter hominem Chriſtum ſunt creati.* Veriſſimum itaque ſenſum prædictæ ſententiæ tradit S. Thomas de verit. quæſt. 6. ar. 3. ad 1. vbi dicit, quòd homines quidem ſubſtituuntur loco Angelorum, ad ſupplendum numerum prædeſtinatorum,
Apocal. 3. iuxta illud Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* quaſi dicat, prædeſtinatorum numerum tam ex Angelis, quàm ex hominibus, eſſe à Deo prædefinitum formaliter & materialiter. Ille autem formalis numerus replendus erat ex Angelis, & hominibus: quòd ſi pauciores Angeli defeciſſent, pauciores quoque eſſent neceſſarij homines ad implendum illum numerum. Sed quia tot Angeli defecerunt, tot etiam homines ſubſtituti ſunt, præter eos, qui prædeſtinarentur, etiam Angelo non cadente.

Probat adhuc Seraficus Doctor ſuam ſententiam: quia per experientiam conſtat, diuinam bonitatem maximè in hora mortis, vbi eſt maius periculum damnationis, Chriſtianos adiuuare multis auxilijs, tàm internis, quàm externis: ergo videtur quòd velit plures de facto ſaluare; quàm damnare. Inſuper, quia ſi parabolæ Euangelij aliquid probant, legimus inter inuitatos ad nuptias, vnum tantummodò inuentum ſine veſte nuptiali. Matth. 22. *Vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi. Amice quomodò huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Ecce tibi, quia regio conuiuio ſine veſte nuptiali intererat, iuſſit illum Rex à regio & regali conuictu extrahi, & mitti in exteriores tenebras. *Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis pedibus & manibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Et quæ veſtis erat hæc nuptialis, quâ quia carebat, longiſſimè a mandatus eſt à Regia? Charitatem, & opera miſericordiæ docet eſſe S. Paulus
Ad Col. 3. ad Coloſſen. 3. illis verbis: *Induite vos ergo, ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam patientiam, ſupportantes inuicem.* Qui ergo miſericordiæ viſcera non induit, quibus proximorum iniurias ſupportet, perinde ſe habet, ac ſi veſte nuptiali careat, Quò ſpectans Theophylactus ibidem di- Theophyl.
cebat. *Quæ eſt iſte ſordida veſtimenta gerens? Is, qui non indutus eſt viſcera miſerationum, fraternitatem, benignitatem, nec ſolùm à nuptijs ejicitur: ſed & in ignem mittitur.* Quaſi diceret: ita ſordet, ita nudus eſt, qui neſcit fratri parcere, vt prorſus debeat excludi à menſa, & domo, & conuictu regio, velut qui nihil cum Rege commune, ſed magis cum damnatis ad pœnas habeat. In collegio etiam Chriſti ſolus Iudas inter Apoſtolos damnatus eſt; qui tamen ſine dubio ſaluari poterat, ſi de Chriſti miſericordia in cruce pro ſalute eius patientis non deſperaſſet.

Quod facilè colligo ex eo, quia Chriſtus præſciens Iudæ malitiam, in Apoſtolum tamen illum elegit. Cuius rationem S. Hieronymus aſſignat lib. 3. contra Pe- S. Hieron.
lagian. cap. 2. *Quia Deus præſcia non iudicat futura, neq; condemnat ex præſcientia, quem nouit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat; ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis, & pœnitentiæ.* S. Auguſtinus cauſam aſſignat, vt ma- S. Auguſt.
lorum improbitatem nos ferre doceret. *Quia* inquit *neceſſe erat, vt malos, ſiue ſcientes toleremus, exemplum patientiæ præbuit Dominus, ne deficias, cum cœperis, inter malos viuere.* Et lib. 18. cap. 49. aliam affert rationem, *vt ſcilicet malo vtens benè, ſuæ paſſionis diſpenſationem impleret.* S. Thomas cenſet, *vt daret do-* S. Thomas.
cumentum, quòd dignitas ſtatus non ſanctificat hominem: Non enim omnes Religioſi, aut clerici ſunt ſancti, licet ſtatus religioſus, & clericalis ſanctus ſit. Rabanus exiſti- Rabanus.
mat, vt ingratos toleranter pateremur: *Non elegit proditorem per impudentiam*, ait, *ſed per prouidentiam, vnde voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu à ſocio tuo proditus moderatè feras, tuum erraſſe iudicium, & perijſſe beneficium.* Addo ego inſuper, Chriſtum præſcientem Iudæ malitiam, illum in Apoſtolum elegiſſe, vt hoc facto ei occaſionem præberet, ſalutem æternam procurandi.

Moueor ad hoc aſſerendum inprimis, Abulenſis.
quia Chriſtus multo tempore Iudam licet iniquum in Apoſtolatu ſuſtinuit. *Ad oſtendendum*, ait Abulenſis, *immenſam manſuetudinem, & viſcera miſericordiæ Chriſti, fuit quippè ineffabile, ſi quis dignè aduertat, quotidiè cum illo comedere, & bibere, & beneficia magna præſtare*

præſtare ei, nec turbabatur vultus eius aduerſus illum, ſed cum omni manſuetudine illum tolerabat & dulciter loquebatur illi, nec ſe in aliquo ſubtrahebat ab ipſo; quem tamen ſciebat eſſe virum nequiſſimum. Ex quo tale elicit documentum. Quod ſi quis diligenter conſideraverit, non poterit de Chriſti miſericordia, etiam commiſſis grauibus rebus diffidere. Ergo Chriſtus eligendo Iudam in Apoſtolum, patienter ſuſtinendo eundem multo tempore in Apoſtolatu, ni-
Ioan. 6. hil magis curabat, quàm vt eum ſaluaret. Quid enim, vt eum conuerteret, non effecit Dominus? De peccatis tempeſtiuè admonuit Ioan. 6. v. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & tamen ex vobis vnus diabolus eſt?* quod de Iuda intellexit. Traditionem futuram exprobrauit, ibidem v. 72. *Dicebat autem Iudam Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum.* Necdum ſatis: etiam pedes in vltima cœna lauit; imò & in horto miracula addidit. Nonne miraculũ erat, ad terram eum proſternere cum cæteris in horto? nonne aure malchi abſciſsâ ſanatum aſpexit? tanta ſiquidem in eum Dominus, vt conuerteretur, effecit, vt
S. Hieron. meritò S. Hieronymus ſupra illud: *Filius quidem hominis vadit*, tom. 9. admiratus dixerit quod nutriebatur huius perfidi impudentia ex Domini patientia. *Iudas autem* inquit, *nec primò, nec ſecundo correptus, à*
S. Chryſoſt. *proditione retrahit pedem, ſed patientiâ Domini, nutrit impudentiam ſuam.*

Suâ ergo culpâ Iudas perijt, Auctore S. Chryſoſthomo, qui dicit: *Oſcitanter in Apoſtolatu, vt caueat Chriſtianus, ne mores Iudæ imitetur, aut auaritiam in corde ſuo regnare permittat, ne ſimilis vitæ exitus, & horrendus illi con-*
Prou. 10. *tingat.* Et vt paucis rem expediam: Iudas ſuis machinamentis ſeipſum perdidit. Quod prophetico ſpiritu prædixit Salomon Prouerb. 20. v. 25. *Ruina eſt homini deuorare ſanctos.* Pagninus vertit: *Laqueus eſt homini deglutire ſanctificatum.* vbi phraſi *deuorandi*, ſiue *deglutiendi*, ſignificatur vexatio, atq; perſecutio, quam impij in iuſtos exercent, ſumptâ metaphorâ à validioribus, & potentioribus feris, quæ infirmiores pro præda habent, iuxta illud Prouerb. 1. v. 12. *Piſces minutos magnus comeſt.* Machinabatur Iudas Chriſti proditionem, & ſanctum Dei deuorare geſtiebat, imò in intinctum panem, quaſi tormentarium puluerem incluſerat. Vt autem facinus perpetraret, cuniculo facem applicuit, cùm in traditionis ſignum, ori ſuo ſpurciſſimo Chriſti faciem, charitate ardentem deoſculandam admouit. Sed reciderunt doli in caput eius, & incuruauit Rex ſupra eum fornicem: nam igne ad inteſtina perlato, flammiſq; in arcto quærentibus exitum ſublatus in altum: crepuit medius, & diffuſa ſunt viſcera eius.

Oſtendi igitur per quinq; prudentes virgines, adumbrari prædeſtinatos, & per alias quinque fatuas, reprobos: numerumq; reproborum prædeſtinatis longè maiorem eſſe oſtendi. Ex ipſis verò fi- C delibus magnam quoq; partem interire, ſanctorum Patrum ſententiâ declaraui; plures tamen piè credendo, ex ijſdem ſaluari, authoritate S. Bonauenturæ retuli. Quare pertimeſcendo infelicem reproborum ſortem, per fatuas virgines adumbratam, prudentes imitari velimus, vt oleum bonorum operum habentes, à cœleſti ſponſo pro veris eius membris agnoſcamur, & ad nuptias agni cœleſtis admitti mereamur.

DIE SANCTI NICOLAI.

CONCIO PRIMA.

Venit Dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.

Chriſtus in extremo iudicio rationem nobiſcum inibit, tum vt reproborum ſuperbiam, fraudes, proximorum circumuentiones oſtendat, tum vt auarorum immiſericordiam condemnet.

Ascendens Chriſtus in cælum ſecundùm naturam humanam, diſtribuit bona ſua ſeruis ad negotiandum, Apoſtolis doctrinam Euangelicam tradidit, non pro largitate, & parcitate alteri plus, alteri minus tribuens; ſed pro capacitate accipientium. Hinc D. Paulus eos, qui ſolidum cibum capere non poterant, lacte ſe
1. ad Corint. 3. potaſſe dicit 1. ad Corint. 3. *Tanquàm parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis* Lac inquam ſuis Corinthijs propinauit, id eſt, doctrinam veritatis, iuxta captum eorum. Prælatis Eccleſiæ, qui ſpeciali modo eius ſunt ſerui, dedit manſuetudinem, modeſtiam, & humili-

humilitatem. Hinc prælatos Ecclesiæ instruens Petrus Apostolus dicit: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè: neq; vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Quæ verba S. Malachias apud Bernardum ita elucidat: *Oportet Episcopum non dominari in clero, sed formam fieri gregis: haud aliam sanè formam, quam ab illo accipimus, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem.* Quibus verbis Christi exemplo, ad bonam subditorum gubernationem, Prælatis Ecclesiæ præscribit, vt seipsos modestissimos, & humanissimos exhibeant. Quemadmodùm fecit Christus, qui vt sua mansuetudine, & benignitate homines ad se attraheret, quasi vnus ex illis fieri voluit, humanam assumens naturam. Hinc Leo Pontifex serm. 3. de Natiu. cap. 2. dicit: *Eximanitio illa, quâ se inuisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis.* Austeritas enim nimia, tyrannidem potius, quàm pastoralem gubernationem sapit, teste Seneca lib. 1. de clementia, cap. 24. *Remissiùs* inquit, *imperanti melius patetur: naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium, atq; arduum nitens, sequiturq; facilius, quàm ducitur; & vt generosi atq; nobiles equi, melius facili fræno reguntur; ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi: plus itaq; hac viâ proficitur.* Et licet erret homo, peccet subditus, non statim summo iure cum illo agendum est, seueritateq; omne erratum vindicandum. Quia & Redemptor noster, non terroribus, & duris admonitionibus peccatorum emendationem curauit, verùm benignis suasionibus, vt docet Theodoretus lib. 6. de Græcarum affectionum curatione, loquens de incarnato Dei Filio: *Sicut enim qui poterat, si modo illi colibuisset, homines de cælo affari, desidesq; ac inertes ad officium excitare; neq; tamen id ipsum fecit, quia nimirum nouerat imbecillem hominum naturam suæ vocis sonum capere, ac sustinere non posse.* Alijs dedit bona corporis, vt valetudinem firmam, pulchritudinem, robur. Alijs bona externa, vt diuitias, honores, famam, potestatem. Alijs bona animi, vt scientias, virtutes: quæ omnia dicuntur talenta, quia per vsum talium potest sibi homo acquirere cæleste præmium. Alijs deniq; bona gratiæ, cuius beneficio omnia prospera hominibus eueniunt, imò & extrema infortunia facilè propulsantur. Cupiebat crudelis Pharao ita eneruare Israëlitas, vt laboribus prorsùs sterilescerent, res tamen in contrarium vergebat, teste sacrâ paginâ Exodi 1. *Quanto opprimebat eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* Vnde obsecro crescebant in dura obsidione? vnde multiplicabantur in summa tyrannide? An quia laboribus exacuebatur naturæ vis, & viuidior ac potentior fiebat? Minimè: non enim Deus naturæ potentiam expectabat, sed gratiam suam adhibebat, quæ plus quàm natura valet, adeo, vt etiam minima Dei gratia copiosiores fructus edat, quam tota naturæ potentia. Accipite D. Cyrillum Alexandr. lib. 4. de adorat. vbi dicit: *Cùm Pharao malignitate summa conaretur tantum illius gentis prouentum, atq; incrementum cohibere, imposuit eis præfectos operum, vt affligerent eos operibus, sed hoc eius consilium contrarios euentus habuit: nam ea ipsa, quæ inferebatur vexatio, occasio illis incrementi fuit, cùm Deus eam rem suâ sapientiâ moderaretur, & Pharaonis astutiæ gratiam suam opponeret.* Expendite accuratiùs, quid Dominus opposuerit Pharaoni cupienti, vt Israël sterilis fieret, nimirum huic astutiæ Pharaonis Deus opposuit gratiam suam, quâ Israëlitis appositâ, multiplicati sunt in gentem magnam. Hinc est illa Isaiæ exclamatio, cap. 66. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos?* Non terra, non vniuersa natura potuisset, quod potuit Sion, quia Petri prædicatio ita fructificauit, vt vno die innumeros Dei filios pepererit. Hoc quis præstaret? An potentia naturæ? Absit: pulchrè id declarat S. Ambrosius in Exhort. ad Virg. *Vna die terra non parturit, sed parturit gratia.* Nam vbi gratia Dei adest, ibi manus Dei obstetricatur. Absumpta iam mihi credite videbatur Polonia nostra, ab omni plaga mundi hostibus in eius perniciem conspirantibus, & tota eius viscera ferro scrutantibus; sed gratia Dei illam in captiuitate victricem fecit. Et nunc Rege in audito anteactis sæculis exemplo, diadema regni vltrò deponente, ac Reipublicæ gubernacula abdicante, ad dolendum interregnum, summamq; confusionem deuenit, plurimis vndequaq; sceptra non sponte oblata suscipere, sed violenter potiùs inuadere cogitantibus, vbi in solo diuinæ gratiæ talento, spes salutis, & securitatis nostræ reclinatur: quia Redemptor noster, qui hodie sua talenta distribuit, & nostram patriam gratiâ ac protectione sua vacuam non relinquet. Duo nihilominùs in hodierno Euangelio discutienda

Malachias. Leo Papa. Seneca. Theodor. Exodi 1. Cyrillus Alexandr. Isaiæ 66. S. Ambros.

veniunt. *vnum*, cur Christus distributis suis talentis, peregrè profectus sit; *alterum*, cur per seipsum rationes nobiscum facturus asseratur, quod in hodierna concione enucleabo.

Res profectò stupenda, quòd Christus concessis ad negotiandum talentis, præsens seruorum negotiationi adesse noluerit; qui tamen suam præsentiam vsq; ad consummationem sæculi nobis pollicitus est. Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi.* Quasi diceret: ne dicatur difficile esse iniunctum negotium, ego sum vobiscum, qui omnia facio leuia. Quibus verbis ostendit Christus, Auctore S. Hieronymo, se à credentibus nunquàm recessurum. Fateor ita esse: præsens semper Christus affuit populo suo; quemadmodùm Apostolis Euangelium vbiq; prædicantibus, assistendo eis in operibus miraculosis ad confirmationem doctrinæ: & nunc præsens adest nobis, existendo in Sacramento Eucharistiæ, vbi est totus Christus. Dicitur nihilominùs abesse: quia cùm sit verus Deus, à creato intellectu comprehendi non potest, vt olim docuit Sophar Naamathites, ita de Deo loquens ad Iob. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsq; ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, quid facies? profundior inferno, vnde cognosces? longior terrâ mensura eius, & latior mari.* Ostendens non posse Deum perfectè cognosci: quia non solùm naturâ, quæ infinitis spatijs humanam excellit, sed etiam loco ab humana habitatione longissimè distat: ad quem homo in hoc mortali statu neq; ascendere potest, vt maximè cupiat; neque descendere. Quippè cælo sublimior est, quò attolli nequit terrena moles; & ipso etiam inferno, id est, abdito terræ sinu profundior: ad quem locum homo, quantumcunq; se deprimat altè, non perueniet. Cuius magnitudo & terræ longitudinem, & latitudinem maris immensis superat interuallis.

Matth. 28. Christ⁹ quo. modò dicitur nobis abesse.

Hoc sublimi suo ingenio assecutus est Philo Hebræus, lib. de confus. linguarum, vbi dicit: *Deus autem implet omnia, non contentus, sed continens, qui solus vbiq; simul, & nusquam est.* Cur nusquam esse dicatur, ratio est, quia ipse locum, & regionem creauit vna cum corporibus, neq; fas est Auctorem creaturarum intra vllam suam creaturam includi. Quòd verò vbique simul sit, facilè constat: qui suis potentijs per terram, aquam, aërem, cælum extensis, nullam partem mundi destituit. Et ideò citatus Author concludit: *Verè Deus dicitur, omnia continens in gremio, & omnia penetrans, id inuisibile, & incomprehensibile lumen, cùm sit vbique, nusquàm tamen verè cernitur, aut percipitur.* Quid tàm immetatè magnum, arcanè immensum, atq; humanæ cognitioni incomprehensibile; quàm quòd Deus vbique, & nusquàm esse perhibeatur? Quia ergo vbiq; est, ideo si eum fortè mentis acie, & sensuum ingenio attractare præsumas, quantocyùs quasi fugit, & velut comprehensus se proripit, ac nusquàm esse inuenitur. Grande profectò Dei elogium est, quòd solus *vbiq; simul & nusquam sit.* Recedit itaq; Deus ab hominibus superbis, elatis, qui vano tumore inflati, terram pedibus contingere, & in ipsum cælum spuere videntur. Vnde dicit Regius Vates: Accedet homo ad cor altum, *& Exaltabitur Deus*, Ps. 63. Quem locum Heracleotes ita commentatur: *Accedet homo ad cor altum*, id est, ad Deum accedere præsumet de altitudinis suæ fastigio, & *exaltabitur Deus. Quantumcunq;* ait *profunda fuerit cogitatio humana, dum supra vires maniter vagatur, supra ipsam tamen est Deus, qui non comprehenditur.* Eloquentiùs adhuc exponit S. Cyprianus: *Affirmatio* inquit, *de Dei essentia in promptu haberi non potest: neq; enim diffinibile est diuinitas, quoniam quidquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum. Quidquid audiri, vel sciri potest, non conuenit maiestati diuinæ: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat aspectus. Vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, & comprehensionis importunitatem euadat.* Moxq; subiungit: *Per hæc Deus quæritur, nec tamen quæsitus illico inuenitur. Gustamus, delibamus, adoramus, & propè est; cumquè accesseris, longiùs abest.* Deus propè est vnicuiq; nostrum, sed cùm propiùs accedere ambis, se tanquàm fugâ quadam subducit, & propinquitate velut comprehensus se proripit, & longiùs abest, atq; sic vbiq; simul, & nusquam est. Eadem hoc est Deus, quod cùm dicitur, non potest dici, cùm æstimatur, non potest æstimari.

Deus vbiq; simul & nusquam est. Pſal. 63. S. Cyprian.

Philo Hebr.

Recedit Deus ab hominibus auaris, qui illicito quæstu augent suas facultates: quia talem negotiationem abominatur, quod perspicuè insinuare voluit Regius Vates, designans, quinam admittendi, qui verò arcendi sint à domo, & hereditate Dei, ita occinit. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et respondet sibimet: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.* O egenas fœneratorum diuitias! ob pecuniarum lucellum;

lucellum, leue, incertum, volatile, caducum, paternæ Dei hæreditati renuntiat homo, à qua ob reatum auaritiæ abalienatur. Æternùm perdis cælum miser homo, vt terræ tantillum lucreris. Non talem doctrinam tradit nobis S. Gregorius Nyssenus, qui super illa Lucæ verba: *Et mutuum date nihil inde sperantes*, ita discurrit: *Ne quærat homo ab inope diuitias, augmenta ærij, & auri metallorum sterilium.* Addit eleganter S. Basilius apud Catenam: *Talis autem auaritiæ species, Græcè toxos, id est partus, latinè fœnus, quasi fœtus propter mali fœcunditatem, vt arbitror. Aut fortè partus dicitur, propter partus dolores, quos animis eorum, qui mutuò ad vsuram acceperunt, inducere solet.* Hæc sunt elogia vsurarum, quibus homo ad æternam perniciem ducitur.

Gregorius Nyssenus. S. Basilius.

Recedit Deus ab hominibus, quorum cor fraudibus, dolis, hypocrisi, simulatâ amicitiâ plenum est, quorum venter Deus est, quorum vita fædas corporis delicias redolet: quia talem negotiationem, vt pote fidelissimus, & purissimus, canis peius & angue detestatur. Hoc pulchrè figuratum reperio apud Isaiam cap. 6. *vidi* inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Vbi notant commentatores, illud Dei solium, simile fuisse propiatiorio templi, sustentato à duobus Cherubinis. Dicitur illud solium excelsum, & eleuatum respectu terræ, in qua stabat Isaias: quoniam solium hoc videbat in cælo excelso. Sed quid sibi vult, quòd ibi Deus tunc sedens apparuerit? sanè, quia sessio permanentem stationem haud dubiè significat. Vidit ergo Propheta sedentem Deum in solio, per quod significabatur Deus in Ecclesia sua sancta perpetuò mansurus. Hæc est mens Galfridi apud Tilmanum, in illa verba. *Vidi Dominum sedentem*, vbi dicit: *Descendit aliquando Dominus plebem suam visitans, sed non sedit: dignum quidem suæ maiestatu solium non inuenit in Ecclesiæ solio sedit, & sedebit Dominus in æternum.* Nimirùm descensus Dei fuit, quòd Deus aliquando Hebræum populum visitaret, sed in transitu, vt vectabile propitiatorium innuebat. At verò in Ecclesia sancta est verum propitiatorium, vbi Deus tanquàm in solio suo sedet: & ideo in sola Ecclesia sancta quærendus est. Nam qui extra Ecclesiam Deum quærit, hallucinatur, cæcutit, errat: tanquàm erropalabundus vagatur, qui ibi, vbi est, vbi permanenti statione sedet, Deum non quærit. Redemptor itaq; noster, distributis suis talentis, peregrè proficiscitur, vt dum absens putatur, cum maiori diligentia, & munditie cordis quæratur: quia vt docet S. Ambrosius lib. 1. in Lucam: *Cùm præsens est, non videtur; nudus autem corde cùm absens putatur, videtur.*

Isaiæ 6.

Galfridus.

S. Ambros.

Quantum ad alteram partem Concionis, cur ipsemet Dominus Iesvs rationem facturus sit cum hominibus, meritò in admirationem venit. Quando enim populus Israëliticus beneficijs à Domino Deo sibi concessis abuti cœperat, non ipse Deus, sed Angelus, qui tantam ingratitudinem exprobraret, descendisse legitur, Iudic. 2. *Ascenditq; Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: eduxi vos de Ægypto, & introduxi vos in terram, pro qua iurauí Patribus vestris.* At verò beneficia, quæ à Domino Iesv in nos deriuant, non Angelo percensenda credentur, sed ipsemet Iesvs adueniet, vt illa percenseat, & rationem exigat. *Post multum verò temporis, venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Trutinate verba hæc, *Venit Dominus seruorum illorum.* Non mittetur alius conseruus, sed ipsemet Dominus veniet, & data sua recensebit. Et cur munus hoc non potiùs Angelo concedetur? Angelo inquam illi, cui credita fuerunt beneficia facta à Deo populo Israëlitico. Ratio in promptu est, quia beneficia facta populo Israëlitico à Deo, de bonis quidem Dei erant, sed de illis bonis, quæ extrinseca, & exteriora erant, ideoq; facile creaturis committi potuit eorum census; cæterùm beneficia à Iesv in nos profecta, de bonis proprijs, & intrinsecis Deo veniunt: quoniam in Iesv datus est nobis ipse Deus, data vita, & sanguis Dei in redemptionem, quæ dona sicut de proprijs ipsius Dei sunt; ita non ab alio, sed ab ipso exigi postulant. Vt docet Eusebius Gallicanus homil. 2. de symbolo: *Ipsa* inquit, *necessitas veniendi, ingentem contestatur solicitudinem iudicaturi, per se definuit exigere, quod de se dedit.* Quid elegantius dici potuit? Profectò, quæ ipsam Dei substantiam, ipsaq; Deo intrinseca bona nobis præstant, maiora beneficia sunt; quàm quæ ab alio possent recenseri, nisi ab ipso. Ipse per se exigat, necessum est, quæ ipse de se dedit. Hoc voluit innuere S. Paulus 1. ad Corint. 11. loquens: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Stupendus profectò, & inusitatus modus loquendi: cur enim Apostolus iudicium in ipsa esca posuit? nonne meliùs dixisset, qui indignè manducat, irrigidum deueniet iudicium. Quemadmodùm

Iudic. 2.

Eusebius Gallican.

1. Cor. 11.

modùm dicebat sapiens cap. 6. *Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum in ijs, qui præsunt fiet.* Quare ergo simili modo indignè manducantibus cœlestem panem Apostolus non est comminatus futurum iudicium? Crediderim causam esse, quia sicut in esca donum erat corporis Domini; ita non aliunde, nec ab alio iudicium expectandum esse, nisi ab ipsomet Domino: nam vbi donum ipsa Dei substantia est, ibi simul est, qui rationem exquirat, qui iudicet accipientem. Ita resoluit Balduinus in allegor. Tilmani: *Quare iudicium sibi manducat? quia magis iudicem, quàm Saluatorem manducat, non dijudicans corpus Domini.* Egregiè sanè: qui enim abutitur tanto dono, quod Dominus de se dedit, in illo ipse habet iudicem. Quippè non erit alius, qui reposcat, sed ipse Dominus Iesvs exquiret. Hinc D. Patianus in Paræneſi ad pœnitentiam, pulchrè disserit: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Euigila peccator; time in visceribus tuis præsens iudicium, si quid tale fecisti.* Quasi apertiùs diceret: non alia spectes, non aliunde putes venturum, qui donum reposcat cælestis conuiuij: quemadmodùm enim ibi datur Christus verus Dei Filius; ita inibi adest ipsemet exactor tanti doni: nam mauult per se exigere, quod de se dedit; nulliq; creditur creaturæ de tanto beneficio iudicium.

Sapien. 6.

Balduinus.

Patianus.

Vultis scire, quænam sint ista bona Deo propria, & intrinseca, de quibus nobiscum Dominus Iesvs rationem inibit? Equidem non alia bona, nisi opera misericordiæ, pro quibus Deus homini copiosam mercedem promisit, Marci 10. *Nemo est, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem aut sorores, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.* Vbi illa verba, *propter me, & propter Euangelium*, significant Euangelicæ perfectionis gratiam, simulq; misericordiam; siue id fiat, omittendo facultates domesticas, aut rurales; siue eas pauperibus piè erogando. Nihilominùs operosum facessit interpretibus negotium, quid sit, *accipiet centies tantùm nunc in hoc tempore.* Sanctus Hieronymus, Beda, & alij, *centuplum* accipiunt non in bonis temporalibus, sed spiritualibus, id est, in pace, gaudio, consolationibus diuinis, cæterisq; donis, ac gratijs, quæ plusquàm centies terrena bona excellunt. Similiter S. Gregorius in cap. 19. Matthæi. *Centuplum* inquit, *recepit, quia Deus facit, vt talis multò magis gaudeat pau-*

Bona Deo propria sùt opera misericordiæ.

S. Gregor.

pertate, aut rerum suarum pia abdicatione, vt potè amore Christi facta; quàm diuites gaudeant omnibus suis operibus, ac commodis. Tandem S. Augustinus, hoc pietatis commercium, & pium augendarum opum arbitrium, ita exponit de verbis Domini: *Fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum. Via cæli est pauper, per quam venitur ad patrem: incipe ergo erogare, si non vis errare.* Equidem fœcundus est ager pauperum, & de eleëmosynis centenario prouentu fertilis, quem non refert serotinum, sed præproperè maturum, ac maturatum. Citò reddit donantibus fructum fœcundus pauperum ager, qui fundit centies tantum nunc, in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam. En quanta semina in hoc fertili agro, ne pium hoc tibi centenarium fœnus inuideris? Imò necdum satis, vlteriùs adhuc vitam æternam in futuro sæculo pietas repromittit: quoniam via cæli pauper est, per quam venitur ad patrem: *Incipe ergo erogare, si non vis errare.* Et veluti nondum sufficere videretur, quòd pauper sit recta via ad vitam æternam, & ad Deum, addit S. Ambrosius exponens præfata Christi verba: *Quoniam qui omnia reliquerit, Deum possidere incipit, & ipse merces vtiq; perfecta virtutum, qui non centupli enumeratione, sed perfectæ virtutis æstimatione censetur.* Quid exaggeratiùs dici potuit ad rem præsentem? Ita fœcundus est pauperum ager: Fundit centies tantùm in tempore hoc, & Deus illi portio est. Cui autem portio Deus est, totius possessor est naturæ, pauculum largitus es pauperi, & Deum ipsum, ipsiusq; Dei censum quodammodò acquisiuisti. Sic quondam Booz, pauculum panis, aquæ, & hordei dederat Ruthæ; & breui post, non modò facultatum opulentiam sed Deum ipsum in sobole per tot reges futurâ, augustiùs inuenit. Paruo emit sibi fortuna, qui aduersæ aliorum fortunæ opitulatur, quo potest præsidio, iuxta illud sententiosè dictum: *Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.* Parum enim dat, vt de lucroso pietatis commercio recipiat multum: nam beneficia in dando, habendi arbitrium est.

S. August.

S. Ambros.

Fame per Israëliticas ditiones in dies magis inualescente temporibus Eliæ, etiam torrens Carith, cuius ille aquis reficiebatur, exaruerat: & ecce subitò sermo Domini factus est ad Eliam: *Surge, vade in Seraphta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* 3 Regum 17. Obstupescite ineffabilem Dei

3. Reg. 17.

prouí-

prouidentiam, & beneuolam eius curam erga suum Prophetam. Surrexit ad vocem Domini Elias, & abijt in Seraphtą, cumq; venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, quam videns vocauit, & dixit ei: *Da mihi paululum aquæ in vase, & bibam, cumq; illa pergeret, vt afferret, clamauit post tergum eius dicens: Affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua.* Hæc à diuina prouidentia Eliæ pascendi gratiâ ordinata fuêre. Terra quippè de Prophetæ ore, negatis imbribus sterilescebat, sæuiebat fames, arida siccitate torrens carith alueo vacuo potum negabat, corui escam baiuli non apparebant, & tunc ieiuno Eliæ dixit Deus. Locum hunc defere, & confestim perge ad Seraphtam Sidoniorum vrbeculam; *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Quam vt primùm vidit Elias, ab ea paululum aquæ postulauit, panisq; buccellam, seu frustulum; paruo quidem contentus, etiamsi longo itinere fessus, latrante stomacho præ fame, & siti exæstuans. En famelico Eliæ, panarium & lagenam in huius Seraphtæ viduæ misericordia, prouide à Domino Deo apparatam. Mouet nihilominùs Abulensis quæstionem haud inelegantem, & magno ingenij acumine dignam. Ad quidnam Elias missus fuerit ad mulierem Seraphtanam? Et resoluit, non ideo, vt Eliæ annona inibi prouideretur: sed potiùs, vt illi mulieri, quæ Eliæ potum aquæ, & buccellam panis obtulit, esca in vltima illa necessitate pararetur. Audite Abulensem in citatum scripturæ locum quæst. 24. *Dicendum igitur, quòd quanquam Elias iret, vt pasceretur ab ista muliere; magis tamen ibat ad pascendum eam, & in hoc Deus voluit benefacere isti mulieri valde plusquàm omnibus viris, ac mulieribus Israël, nam ipsa iam consumenda erat fame, cum filio suo, quia non habebat, nisi modium farinæ.* Arcana igitur Dei prouidentia, cùm videretur solicita esse de suo Elia pascendo, ipseq; pergeret in locum, vbi alimonia ipsi prouisa erat, hoc effecit, vt dum Elias paululum aquæ, ac buccellam panis supplex peteret, atq; hanc acciperet à mulierc paupercula ac necessitatibus oppressa, non tàm ipse à muliere pasceretur; quàm potiùs vt eam ipse pasceret, nimirùm pia hæc vidua egestate summâ laborans, dum alacri animo paululum aquæ, & buccellam panis ignoto, ac famelico Prophetæ donaret, res è diuerso vices mutauit, & beneficentiam reciprocauit, & escas, quas apud se non inuenerat, ei copiosè auxit. Nam dum panis frustulum liben-

Abulensis.

næ fontem domi paratum inuenit, lucroso pietatis fœnore.

Hinc est, quòd Salomon hominem misericordem miris modis efferat Prou. 20. *Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inuenit.* LXX. autem legunt: *Magnum homo, & pretiosum vir misericors; hominem autem fidelem opus est inuenire.* Quem locum S. Chrysosth. hom. 4. in epist. ad Philippen. ita elucidat: *Magnum quid est homo, propter quid? & pretiosum inquit, vir misericors: istud enim est homo misericors: imò misereri est Deum esse. Vides quanta sit misericordiæ Dei potentia? illa omnia fecit, illa mundum operatâ est, illa Angelos fecit propter solam bonitatem. Propterea & gehennam minatus est, vt regnum consequamur: regnum verò consequimur per misericordiam. Quanam ratione cùm solus esset, tot & tanta fecit? an non propter bonitatem? an non propter benignitatem?* Ecce solius misericordiæ opus est, & cælestis regni beatitudo, & peracerbæ gehennalis incendij minæ: minatur enim Deus gehennam, sed vt regnum cæleste, consequamur. Nec immeritò S. Chrysosth. dicit: *Imò misereri, est Deum esse.* Quod perinde est, ac si diceret: Deo, ac diuinitati proprium elogium esse, seipsum communicare, benefacere, & miserorum misereri: adeò, vt hæc eius videatur propria indoles, & natura, vtq; Deus videatur esse Deus per beneficentiam, & misericordiam. Quam qui beneficia imitatione æmulantur, quasi diuini fiunt, & velut dij quidam terrestres. Hinc illud Gregorij Nazianzenij pronuntiatum: *Deus esto calamitosis, Dei misericordiam imitando: nihil enim beneficentiâ diuinius in hominem cadit.* Profectò Dei vicinus, imò Deus quodammodò est homo misericors, & benefaciens.

Prou. 20.

Gregorius Nazianzen.

Cuius rei euidens argumentum nobis proponit sacra pagina Exodi 7. vbi Dominus locutus est, ad Moysen: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quem locum S. Hilarius ingeniosè versans, ita concludit: *Sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur: & aliud est Deum dari, aliud est, Deum esse. In Pharaonem enim Deus datus est, cæterùm non ei est & natura, & nomen, vt Deus sit.* Quocirca Moyses non erat Deus, sed in Deum datus: & Dei nomen gestabat, non precisè quòd à Pharaone timeretur, sed quòd Pharao illum supplex perspè rogaret, vt plagas auerteret, cuius petitioni citiùs Moyses misericorditer annuebat, quin largiorem eius beneficentiam, & in miserando liberalitatem, ac tranquillam pietatem, ina

Exodi 7.

S. Hilarius.

infida Pharaonis obstinatio exasperaret, aut à benefaciendo tantisper inhiberet. *Moyses Pharaoni Deus datus est, dum oratur, dum medetur,* ait S. Hilarius. Nihil enim tàm arduum, & vltra naturæ tastigium; à Moyse toties, malè offenso, Pharao vnquam expetijt, quod non confestim abundè impetrauerit. Nihil pariter vnquàm Moyses omisit, quod ad obstinatinatissimi Pharaonis medelam conducere posse videretur. Semper illi præstò adfuit tranquillè pacatus, largiter beneficus, & solers curator. Imò quod magis stupendum, superbi Pharaonis timor, & vanè incussus tot plagis metus illexerat, vt ad Moysen Pharao confugeret, inopinatum mox inuenturus patrocinium. Quia ergo misericordia est de intrinsecis DEI bonis: est enim proprium eius attributum, ideò non per alium, sed per se maximè de neglecta misericordia nobiscum rationem inibit.

Hinc tremenda illa Christi comminatio, in magno illo ac formidinis plenissimo iudicij die, in reprobos fulminabitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Quæ verba expendens S. Chrysosthomus hom. 5. de Pœniten. dicit: *Vtiles tuæ Domine promissiones, vtile & expectatum regnum tuum, vtilis iterum comminata gehenna, & id quidem bene alliciens, bene eum allicit regnum; terret verò vtiliter gehenna.* Moxq; subijcit: *Minatur enim gehennam Deus, non quò gehennam inducat, sed quò à gehenna liberet. Alioqui si torquere vellet, non iam ante minatus esset, quò firmi ac stabiles euitemus minas, pœnam minatur, & terret verbo, quò minus opere torqueat.* Et cuius obsecro animum non permouebunt istæ minæ? cuius cogitationem non permaturè vstulabit æternatura improbis gehenna? Bonus profectò Dominus, qui timorem gehennæ inducit, non quò gehennam inducat, sed quò à gehenna liberet: quasi gehennæ meditatio altè cordi impressa, fit liberatio à gehenna, ab illiusq; ardore tutissimũ asylum. Gehennæ minis terret, vt comminata gehenna meditatione deuorata, gehennæ voracitatem frustretur: gehennæ terrore nos concutit, vt aduersus eam magis nos stabiliat, ac firmet.

S. Chrysost.

S. Chrysost.

Immisericordia est causa æternæ damnationis.

Inuestigate iam diligentiùs genuinam causam horrendæ illius reproborum in perpetuos ignes ablegationis, fatebimini opinor esse peccata mortalia. Haud abnuo: his enim per pœnitentiam non expiatis æterna pœna debetur. Et tamen si ad ipsum Scripturæ Sacræ fontem recursum fecerimus, ipsam immisericordiam, expresè damnationis æternæ causam poni facilè comperiemus, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esurijt enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum.* Cùm enim homo immisericors maximè à Deo recedat, vt potè à misericordia præstantissimo Dei attributo alienus, non habet, quo Dei in se fauorem prouocet, & æternam beatitudinem promereri possit. Vnde Saluianus lib. 4. ad Eccles. Cathol. elucidans citatum scripturæ locum, auaræ garrulitati illorum, qui diuitijs affluentes, misericoriam colorant, quia Deus, qui opulentiam dedit, minimè eget, vt ei retribuatur, ita respondet: *Sed Deus* inquis, *non eget retributione. Non eget enim iuxta potentiam suam, non eget secundùm maiestatem suam; sed eget secundum legem suam: & in seipso quidem non eget, sed in multis eget: non quærit in se munificentiam, sed in suis quærit. Et ideo non eget quidem iuxta omnipotentiam, sed eget iuxta misericordiam: non eget deitate pro semetipso, sed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios, & largos dispensatores Deus? Venite benedicti Patris mei, possidete regnum: esurijui enim, & dedistis mihi manducare.* Videte, cui debito oberratus sit, quisquis à Deo diuitias accipit: non quasi Dominus earum medullas exsorbeat, sed velut fidelis dispensator eas Christo Deo in pauperibus restituit. Hac retributione Christus eget, qui ea lege quibusdam largiùs diuitias concessit. Omnipotentia quidem, & maiestas Dei, nulla re sibi indigent; diuina autem pietas, & beneficentia, hac lege quosdam ditauit, alijs egenè depauperatis, vt quod in illis exundat, in istos effluat. *Præcepi* (inquit Saluianus) *vt pasceret te, id est, dedi, vnde pascat.* Hoc præcepto à se Deus indigentiam arcet; non in se, sed in suis: non in potentia, & maiestate; sed in nostra egestate. Addit vlteriùs idem Auctor: *Solus cum esurientibus esurit Christus, solus Deum sitientibus sitit. Et ideo, quantum ad pietatem illius, plusquàm cæteri eget: omnis enim egestuosus pro se tantùm, & in se eget: solus tantummodò Christus est, qui in omnium pauperum vniuersitate mendicet.*

Saluianus.

Quis igitur pauperem contemnet, in quo Deus latet, & quasi mẽdicat. De quo pulchrè Damascenus, super illa verba: *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Matth. 25. in hunc modum scribit: *O quanta pauperis dignitas est! Dei velut larua efficitur. Delituit enim sub paupertate Deus. Ac pauper quidem est, qui supplicem manum protendit: Deus autem est, qui accipit.* Quemadmodùm enim larua vmbratilis, & noc-

S. Damasc.

Matth. 25.

ćturnum phantasma, seu spectrum, spectatores terret; ita pauper à diuite visus, larua reputatur, quæ sibi horrorem incutit. Verùm sub hac paupertatis larua Deus latet. Quod propè considerans Deum timens Tobias moribundus filio suo tale legatum reliquit: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: & si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Namqui ingratè dat, non tàm indigentiam subleuat; quàm potiùs indigentem fatigat. Hilarem enim datorem diligit Deus, diligunt homines, & beneficentiam hilaritate cumulant. Siquidem eleëmosyna à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Quod acutè Isidorus Pelusiota in Eusebio scribens, his verbis edisserit: *Patefactis ianuis, ac quæstuum faciendorum rationibus, tu quidem hoc nomine rationes reddes; alijs autem opes aggeru, quibus quemadmodùm & tibi plures cruciatus accumulas. Quocirca si tibi cordi est, & illos, & teipsum igni eximere, multi te Lazari, (id est pauperes) circumdant, in eos pecuniarum flammam excute: & cum his illis refrigerationem, ac solatium consequeris.* Argutè dixit, pecuniarum flammam in pauperes excutiendam, quò gehennæ incendium simul excutias: quia teste Chrysologo serm. 42. & Loth hospitio excipiens Angelos, iudicium præuenit, sodomiticumque incendium incolumis euasit.

Isidorus Pe. Iusiota.

Duas itaq; rationes ostendi, quare ipsemet Christus Dominus, in terribili magni iudicij die, nobiscum rationes inibit, nimirum, vt reproborum hominum superbiam, auaritiam, fraudes, ac proximorum circumuentiones toti mundo patefaciat, ad maiorem eorum confusionem, tum vt auarorum immisericordiam condemnet, quam supra omnia vitia abominatur. Si ergo nobis cordi est, tantam austeri iudicis indignationem euitare, pauperibus ac miseris gratos nos exhibeamus: quoniam misericordes nescit diuinus ignis exurere.

EODEM DIE
CONCIO II.

Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Ostenditur bonum & fidelem seruum Dei ex duplici capite cognosci.

SVmma laus est vocari seruum Dei propter quod & Doctor Gentium, non alium sibi vsurpare voluit titulũ, ad Rom. 1. v. 1. *Paulus seruus* IESV *Christi.* Mirantur interpretes Scripturæ Sacræ, cur se Paulum nominauit, cùm antea saulus diceretur, duasq; istius rei assignant rationes. *Primam*, vt se paruum ostenderet, tanquàm minimum Apostolorum: quia cùm antea Saulus à Saule, superbo Rege, & persecutore dictus fuerit; ideò sicut ille Dauidem, ita hic Ecclesiam persecutus est. Sic docet D. Augustinus, lib. de spiritu & litera cap. 7. serm. 42. in Psal. 71. vbi dicit: *Non iactantiâ aliquâ, sed ex Saulo factus est Paulus, id est, ex superbo modicus, & quietus; quemadmodùm Saulus inquietudo, & tentatio significatur. Alteram*, vt à consuetudine sanctorum non recederet, qui in virtutibus proficientes, mutato nomine sunt vocati, vt etiam ipso nomine essent noui. Sic Abram mutauit nomen in Abraham, iubente ipsomet Domino Genes. 17. *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham.* Similiter Ioannes & Iacobus vocati sunt filij tonitrui. Pariter quoque paulus in gratia proficiens nomen sibi immutauit, idq; diuino iussu, vt docet S. Chrysostomus homil. de conuersione Pauli: *Ipsum* inquit *nomen non ab hominibus, sed à Deo impositum esse, vt olim Patriarchis Abrahamo, Iacobo. Deinde Petro, Iacobo, & Ioanni.* Neq; sanè caret mysterio, quòd nomen Sauli in Paulum diuina ordinatione commutatum sit: quia nomen *Paulus* idem significat, quòd mirabilis, siue electus; operum autem mirabilium fuisse effectorem, constat ex sacris literis; potissimùm autem in vita & doctrina mirabilis extitit. Hic ergo tantus Doctor, non alio, nisi serui Dei titulo gloriari voluit. Et quidem teste S. Hieronymo, seruum se Christi nominauit, vt nos ad humilitatem alliceret, tanquàm verus imitator eius, qui exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem. Et quoniam seruitus triplex est, naturalis, captiuationis, & emptitia vt docet Seneca lib. 3. de beneficijs, cap. 22. *Seruus* inquit *est, qui cum iure belli posset occidi, à victore seruatus est: vel certè domi natus: vel pretio emptus.* Ideò Apostolus hoc triplici titulo, seruum IESV Christi se appellat, vt ostendat se corpore, animo, possessione, IESV Christi non ministrum, vt perperam volunt Caluinistæ: is enim etiam temporaneus, & liber esse potest; sed perpetuum esse seruum, nullam libertatem agnoscendo, nisi quæ est in seruitute Christi. Proinde non in diem, aut annum, sed in perpetuum vitam

Ad Rom. 1.

S. Augustin. Genes. 17.

S. Chrysost.

Paulus fuit mirabilium operum effector.

Seruitus alia est naturalis, alia captiuationis alia emptitia.

vitam suam Christo mancipando, iuxta illud: *Viuo* inquit *iam non ego; vivit verò in me Christus.* Et meritò: quia seruitus Christi non debet esse temporanea, sed perpetua. Hinc dicebat Rex Dauid: *O Domine, quia ego seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ.* Psal. 115. v. 16. Vbi se non modò seruum, sed etiam ancillæ filium appellauit, vt se non modò voluntate, sed etiam quasi naturâ seruum, seu vernaculum significaret. Quasi diceret, vt exponit S. Chrysostomus: *A multis retrò sæculis, à tempore maiorum meorum dicatus sum tuæ seruituti.* Nam sicut Dei seruitus gloriosa est; ita tantò glorioſior, quantò antiquior, ac diuturnior. Vnde D. Paulus Auctore eodem S. Chrysostomo, hanc diuinæ seruitutis antiquitatem extollit in suo Timotheo 2. ad Timot. 1. v. 5. aiens: *Recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Lunice; certus sum autem, quòd & in te.* Palam ostendens, nullam esse sinceriorem, & glorioſiorem Dei seruitutem, quàm quæ à maioribus traheretur. Præterea seruum Christi se appellauit D. Paulus, vt ostenderet, vnumquemq; nostrum triplici iure se ei seruire debere. In primis iure naturali, seu ex vi creationis: hæc enim est natura, & conditio creaturæ, vt ipsa sit seruitutis suæ præconium, facta ex nihilo, & Deo non conseruante in nihilum rediturа. *Nam primus Dei cultus est Deum credere. Deinde reddere illi maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est, & scire illum esse, qui præsidet mundo.* Secundò, iure captiuitatis: quia cùm per originale peccatum promeruerimus mortem æternam, ab illo seruati sumus. *Tertiò*, iure emptionis: quia empti, & redempti sumus Christi sanguine 2. ad Corint. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Seruum igitur IESV Christi se nominauit Paulus, hoc sanè mysterio, vt nobilissimo populo nobilissimum titulum proponeret, ne Romanorum fastus ex contemptibili Doctore, in doctrinæ contemptum deueniret; sed potiùs ex prædicatoris dignitate, dignitatem prædicationis veneraretur. Audite D. Chrysosthomum homil. 8. ad Ephes. *Paulus* inquit, cùm scriberet vrbi adeò magnæ, orbis videlicet dominium gerenti, & de magnis dignitatibus glorianti, ac superbienti; tanquàm quod ad illius dignitatem responderet: imò quod multò esset maius, incomparabiliter & consulatum excederet, & regnum, & orbis principatum, hoc posuit, nempè *Paulus seruus* IESV *Christi.* Quasi ex tituli huius splendore, illa vana Romanorum iactantia deprimeretur. Sic & D. Iacobus suam epistolam exorsus est: *Iacobus Dei & Domini vestri* IESV *Christi seruus.* Iacobi 1. vt ab hoc titulo suam maximam dignitatem inculcaret. In quem locum Dydimus ita discurrit: *Sicut mortales gloriam humanam appetentes, in suis conscriptionibus dignitates, quas putant habere, præponunt; ita sancti viri in epistolis, quas scribunt ad Ecclesias, principaliter proferunt, se seruos esse, Domini nostri* IESV *Christi: æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.* Et profectò, quod hominem nihil magis cohonestare, ac dignificare possit, quàm Dei seruitus, vel ex ipso Iosue, populi Dei fortissimo Duce, tot populorum expugnatore facilè conijcere possumus. Qui postquàm vitâ functus est, non laudatur ex eo, quòd mortem ipsius funus honorificum, & parentatio prorsus regia subsecuta sit. Non laudatur hinc, quod in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, scilicet in monte Ephraim sita, mausolæum eo sumptu, eo populi conuentu, & planctu, quo magnum virum, & illustrem Imperatorem flere, ac parentare decebat, erectum ei fuerit. Non laudatur hinc, quòd dum Iosue corpus telluri mandaretur, pars illa terræ, in qua sepultus erat, *Gaos* dicta, quòd tremere & commoueri significat, insolitis concussa motibus tremuerit, tremoribusq; agitata exilierit, vt referunt Rabbini in libro. qui *series mundi* inscribitur. Non laudatur hinc, quòd Israëlitæ supra Iosue monumentum, solis simulachrum locauerint, ad æternandam memorabilis solis stationis memoriam, vt multi opinantur. Non demùm laudatur hinc, quòd illi gladij Saxei, quibus Iordane transmisso, populus circumcisus est, vna cum cadaueribus ipsius humati fuerint, vt censent LXX. interpretes, referente Masio. sed hac maximè clausulâ nobilissimi viri excessus de hac vita ornatur, quòd ob summam diuinæ legis obseruantiam, exactissimamq; obedientiam, seruus Domini appelletur, Iosue 24. v. 27. *Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini, centum & decem annorum.* Super quem locum Masius dicit: *Non potuit narratio excessus sanctissimi Imperatoris præclariore elogio concludi, quàm vt seruus Iehouæ, hoc est Domini Dei ille vocaretur.* Additur insuper exactissima morientis ætas, *centum & decem annorum*: quia licet vitæ longitudo, non sit dierum spatijs, aut

Homo triplici iure Deo seruire debet.

2. ad Timoth. 1.

2. Corint. 5.

Iacobi 1.

Dydimus.

Supra Iosuè monumentum cur solis simulachrum positũ fuerit.

Iosue 24.

interuallis ; sed pijs actionibus æstimanda, censendaq; non tamen inficiari possumus, longæuum vitæ spatium, purissimæ vitæ, immaculatæq; actionis, diuinitùs sæpè sæpiùs concedi præmium. Vt hinc constet, seruum Dei Iosue, ita peregregia facinora, heroicasq; virtutes vitam suam transegisse, vt nec momenta horarum perdiderit, aut prodegerit. Inuestigabimus igitur hodiè, veluti in Lydio lapide, vnde possit cognosci seruus bonus, & fidelis Dei.

Duas principales probationes tradunt sancti Patres, ex quibus possit colligi aliquem, esse bonum, & fidelem seruum Dei. Inprimis, dum quispiam ita se totum Deo ad obsequia mancipat, vt prorsùs ab omni auaritia immunis sit, nec quidquam ab hominibus pro spirituali labore, & ministerio accipere velit. Quod Christus Dominus pulchrè expressit, Matth. 10. v 7. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite, gratis accepistis, gratis date.* Quibus vltimis verbis, non solùm Christus Apostolis inhibuit, ne spiritualia venderent; sedne etiam gratuita, ac dono data acciperent, vt sic prorsùs omnino, totaliter auaritiæ vitium præcluderet. Hinc Elisæus 4. Reg. 5. cùm ei Naaman Syrus mundatus à lepra munera pretiosa offerret, aiens: *obsecro itaq; vt accipias benedictionem à seruo tuo*, nullo modo adduci potuit, vt ea acciperet; imò respondit: *Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam.* At verò Giezi, quia ea extorsit à Principe, illicò leprâ infectus est, meledicente eum Propheta, ibidem v. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsq; in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus, quasi nix.* Cuius rei tres allegat rationes Iansenius. *Primam*, quia ait, non conueniebat etiam gratuita munera accipere, ne pietas verteretur in quæstum, & quod in stitutum erat ad gloriam Dei, & salutem fidelium, fieret occasio faciendæ auaritiæ. *Alteram*, ne gratia Dei vilesceret, dum ex recompensatione munerum aliqualiter homines se satisfacere crederent. *Tertiam*, vt ex contemptu munerum homines magis prouocarentur ad admirationē seruorum Dei, & ad Deum glorificandum, atq; ad acceptandū doctrinam. Quoniam, vt citatus Iansenius dicit: *Nihil efficatiùs pertrahit homines, quàm si viderint Doctores, nil præter auditorum quærere salutem.* Equidem magna, profunda, spiritualis doctrina, ac personis spiritualibus Deo dicatis summè necessaria, ne ex defectu illius, & ipsi se perdant, & in animabus fidelium sibi concreditis, omnino nullum lucrum faciant.

Munera accipere periculosum est.

Non audeo quidem affirmare, peccare eum, qui munera gratuitò oblata accipit, dummodò non adsit intentio occulta ministrandi propter illa; nihilominùs tamen firmiter asseuero, tractu temporis ex facilitate accipiendi; ex gustu munerum, ex propensione naturæ infectæ latenter ita intentionem corrumpi, vt sacrorum munerum administratio, potiùs sit instrumentum auaritiæ, quàm animarum medicina. Hinc veri Dei serui ita id impressum animo suo habent, vt omninò à muneribus sibi præcaueant. malentes etiam mori; quàm ea admittere. Miserat suum Prophetam Deus ad impium, & sacrilegum Regem Ieroboam, qui in nomine Domini ei prophetaret imminentia horrenda Dei iudicia. *Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel. Ieroboam stante super altare, & thus iaciente.* 3. Reg. v. 1. Videamus, quid sibi in mandatis iste Propheta à Domino commissum habuit, nimirum, vt non comederet panem, nec biberet aquam, & ne reuerteretur per viam, per quam venerat. Ibidem v. 9. *Non comedes panem, neq; bibes aquam, nec reuerteris per viam, quá venisti.* Si considerauerimus, quantùm distat Bethel ab Hierusalem, siue à terra Iuda, profectò obstupescemus tam rigidum Dei mandatum. Nam, vt censet Abulensis in hunc locum, quæst. 23. Bethel erat in extrema parte terræ Beniamin, in latere Aquilonari: ita vt qui è terra egrediebatur Iuda, totam terram Beniamin excurrere debuerit, donec tandem perueniret in Bethel. Cur ergo Deus Prophetæ ita rigidè interdixit vsum panis, & aquæ? Inter cæteras causas hanc allegat Iansenius: quia ibi miracula patrabat, non solùm quæ timorem incuterent, qualis fuit scissio altaris, quæ facta est exclamante Propheta, Ibidem v. 3. *Altare quoq; scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum, quod prædixerat vir Dei in sermone Domini.* Sed etiam quæ beneficium afferrent, cuiusmodi fuit restitutio manus aridæ Regis. Nam iubente Rege, vt Propheta sanctus apprehenderetur: *Statim exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit eam contrahere ad se.* Vnde statim Rex ad ipsum: *Deprecare faciem Domini Dei tui, vt restituatur manus mea mihi, quo orante, statim reuersa est, & facta est, sicut priùs.*

Obstupescit Theodoretus, quòd Ieroboam

boam non fuerit admiratus altaris scissionem, nec ex illa quidquam cōmotus; sed solùm ex manu arida. *Et quidem ait, quod accidit altari, eum non obstupefecit, sed id, quod manui, valdè anxit, & cùm esset valdè stultus, supplex rogauit Prophetam, vt à Deo peteret non sceleru remissionem, sed manus curationem.* In quo deploratam peccatorū conditionem adumbratam, & ad viuum expressam video, qui duntaxat malum corporis, non animi timent. Cùm ergo Deo iubente tantum ibi miraculum Propheta operatus esset, merirò etiam necessaria illi Deus prohibuit, vt tantò efficaciùs, ac strenuè suum exerceret officium, omne præcludens etiam necessariorum desideriū. Vnde cùm illum Rex ad suum palatium inuitaret. *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera*, ita respondit: *Si dederis mihi medium partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto: sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis, non comedas panem, neq; bibas aquam, nec reuerteris per viam, quá venisti.* En præceptum diuinum solùm Prophetæ datum fuit, ne comederet, & biberet, nullâ de muneribus facta mentione, ita, vt Abulensis quæst. 7. meritò reputet, potuisse ea Prophetam accipere, cur ergo non accepit? Respondet idem Abulensis, *ne approbaret ipsum dantem.* Rectè sanè: cùm enim Rex summ⁹ idololatra esset, cum eo communicare haud licitum erat. Verùm ego censeo, Prophetam munera non accepisse, quia erat vir Dei, vir sanctus, ideoq; videns necessaria sibi prohibita fuisse, noluit etiam superflua accipere, quamuis posset.

Audite hæc mundi Principes, audite collatores beneficiorum spiritualium, audite penes quos Ecclesiæ regimen, audite in vniuersum omnes, simoniacè aliquid accipere, à Deo prohibitum est: sacras functiones diuendere, peccatum: spiritualia venalia facere, vt Abbatias, beneficia Ecclesiastica, sacrilegum nefas, & ideò seuerè interdictum. Quippè homo simoniacus cum re sacra Spiritum Sanctum prodit, enundinatur, cauponatur. Propter quod enormia populi Hebræi flagitia, eidem exprobrans Deus, ita loquitur Michææ 3. v. 11. *Principes eius muneribus iudicabant, & sacerdotes eius mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Sacrilegam ostendens sacerdotis doctrinam, quæ mercede conducitur; miseram Prophetæ diuinationem, quæ pecunijs comparatur. Pulchrè Hildebertus Turonen. citata Michææ verba in hunc modum exponit: Atalanta secundùm Poëtam benè currebat, quæ cùm declinaret ad aurum Hilpomenis, victa succubuit. Legimus plures etiam perfectos, hac infectos amurcâ, & conuersam esse in diuinationem multorum prophetiam Prophetarum. De eis enim sic Michæas ait: *Sacerdotes Ierusalem in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Pergitq; vlteriùs: *Quanta ergo sit pestis cupiditas, quæ virtutis abiuratio, nec etiam tardiores credimus ignorare. Turpe nimis Christum Dei (sacerdotem intelligit) hoc inquinari attramento, quo prophetia in diuinationē degenerat, exinanescit interior spiritus vnctio, mysticus legis obscuratur intellectus, auferetur Euangelicæ saporis doctrinæ. Turpe inquam nimis animam Domino similem, huic idolo substerni, hu hominem amittere maleficijs, quibus etiam sapientum oculi fascinantur.*

Christus de templo eiecit vendentes, id est. simoniacos

Et certè quantùm displiceat homo simoniacus Deo, facilè est conijcere vel ex vnico Christi opere. Propè iam erat pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam: & inuenit vendentes in templo, boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. Cumq; fecisset quasi flagellum de funiculis, eiecit omnes de templo; his verò, qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Consideremus diligenter, quare Christus non nisi ad eos, qui columbas habebant venales, sermonem suum direxit? Num certè horum peccatum enormius erat? quàm eorum, qui oues vendebant, & boues? cur ergo in hos duntaxat verborum fulmina vibrauit: Respondet S. Isidorus ad hanc dubitationem pro sui ingenij acumine: *Nolite facere domum meam domum negotiationis, ad eos, qui columbas vendebant, Dominus dixit; sacerdotes, qui Spiritus Sancti dona vendebant, significans. Quandoquidem in columbæ specie Spiritus Sanctus apparuit, eos, qui ex Deo cauponum ritu quæstum captant, insectans.* Non mirum proinde est, quòd alijs negotiatoribus, & rerum venalium distractoribus omissis, in eos seueriùs animaduertit, qui columbas vendebant, per quos designantur sacerdotes, qui sacra furacitate, *ex Deo cauponum ritu quæstum captant.* Non pudet his temporibus sacerdotes, rerum diuinarum administratores, diuina sordidè cauponari. Non pudet collatores spiritualium beneficiorum muneribus in partem suam trahere, & tacitò chyrographo ad non repetendas ab ijsdem decimas sese obligare. Non pudet Antistitibus aliquot annorum famulitium impendere, non mercedis alicuius

Beneficia Ecclesiastica non sunt simoniacè quærenda.

4. Reg. 5.

Giezi triplici de causa lepra percussus.

Iansenius.

Theodor.

Michææ 3.

Hildebert⁹ Turonen.

S. Isidorus.

alicuius titulo, sed solius promotionis ad beneficia Ecclesiastica spe, & intentione; cùm tamen vera simonia non tantùm à manu, & lingua; verùm etiam à pede non raro oriatur. Iamq; manifestè cœlestium negotiationem cum terrenis commiscemus, ignari illius, quod S. Isidorus ad quempiam, qui sacerdotium pecunijs emerat, scribit lib. 1. epist 111. *Profano modo sacerdotium accepisti, rem cœlestem pecuniâ suffuratus.* Terrena quidem bona quantumuis aliena sint, oblato iusto pretio possumus mercari, & facere nostra emptionis commercio: sed cælestia bona vsq; adeò gratis possidenda sunt, vt eadem oblato pretio suffugeris.

Munera magis sacerdotibus, quam sæcularibus illicita.

Sed nemo forsan inficias ibit, simoniacè nihil penitùs accipiendum esse; at verò ob gratitudinem quidpiam oblatum, præsertim post factum, multi censent, licitum esse accipere. Non abnuo tantoperè sæcularibus id licitum esse; attamen periculosum; nequaquam tamen Dei seruis licere, nisi forsan mortem subire velint. Ad quod asserendum moueor exemplo illius Prophetæ missi ad impium Regem Ieroboam, qui ipsi eius impietatem exprobraret, vt superiùs innui. Feliciter ille munus sibi à Deo commissum expedierat, cumque Regem sacrificuli munus agentem vidisset, durè reprehendit. Et iam viam carpserat, vt rediret ad propria. Et ecce vaferrimus senex idolorum phanaticus festinauit celeriter, vt redeuntem Prophetam iterùm in ciuitatem induceret. *Abijt post virũ Dei, & inuenit eum sedentem post terrebinthum.*

3. Reg. 13. Quo viso blandè eum allocutus est. *Tune es vir Dei, qui venisti de Iuda? respondit ille: Ego sum: dixitq; ad eum: veni mecum domum, vt comedas panem.* Vocatus vir Dei renuit, seq; præcepto Numinis prohibitum allegauit: *Non possum reuerti, neq; venire tecum, nec comedam panem, neq; bibam aquam in loco isto: quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini dicens. Non comedes panem, & non bibes aquam ibi.* Institit fortiùs vaferrimus senex, contrariam se visionem habere mentitus, seq; ostentauit Prophetam, vt adimpleret fallacem. De sanctitatis vocabulo captiosas veritati struxit insidias, & de munere religiosè religioni concinnauit fallacias. *Et ego ait, Propheta sum similu, & Angelus locutus est mihi in sermone dicens: Reduc eum tecum in domum tuam.* Et ecce modico elapso tempore, subsecuta est prædicta pœna: vix enim iter aggressus est, cùm derepente rugientis feræ vnguibus perpetrata esset vindicta: *Inuenit eum leo in via, & occidit.*

Mirantur vehementer Doctores sancti, quid causæ? si enim Propheta iste mandatum Domini temerasset, meritò leonis ferociam incurrisset; verùm cur adeò graue sustinuerit supplicium, qui adductus ab alio, & ferè coactus ad speciem, non est præuaricatus mandatum? si ipse suopte ingenio cibum expetijsset, dignus profectò mulctâ iudicaretur; at verò adductus, semelque & iterum rogatus, non videbatur indignus veniâ. Cur ergo leonis passus est ferociam, qui nisi deceptus, nisi fallaciter persuasus, nisi importunè adductus, nullatenùs temerasset obedientiam. Maximè verò cùm legamus in sacris literis Danielem captiosis Satraparum dolis delatum ad Regem, & leonibus deuorandum traditum, inter leones degisse securum, qui inter inuidos degebat periculosus, teste ipsomet, Daniel. 6. v. 22. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Iste verò alter Prophetes in leonem incidit, qui inter brachia elisit arctatum, arctéq; necauit constrictum. Quare obsecro Propheta sanctus adeò suos feræ passus est adsultus, cùm Daniel exactos, rapaceq; non tulerit vngues? Quippè vterq; verè Propheta, & vterq; iustus? Varias hic Doctores allegant causas. Alij hoc refundunt in desidiam illius Prophetæ, interactiones vtriusq; hoc discrimen assignantes, quia Daniel Dei sui supplex inuentus, & leonibus orans traditus fuit: quia Daniel coluit ieiunium, & aridum leonibus obiecit corpus; & ideò suos ferarum rictus conclusit, leoninosq; vngues frænauit. Ita Zeno Veronen. serm. de timore. *Iustitiam* inquit *percolit sine fine serio timore, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat. Deniq; huius suffragio Daniel populu terribilem inermis draconem necat: leonibus obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare.* Oratio itaq; sic excoluit Danielis animum, vt ferinos motus compesceret. Daniel cibo abstinuit, & offulam obijciens leoni, eum compescuit. At verò vir à Deo missus, dum tantisper deuiaret, dum ieiunium incuriosus remitteret, à leone, occurrente interfectus est. Prandebat Propheta, vt viueret recreatus, & de ipso vitæ subsidio iacuit occisus. Desidia igitur, & cibi appetentia fuit Prophetæ causa mortis.

Daniel. 6.

Zeno Veronen.

Alij censent ideo in via à leone fuisse interemptum Prophetam, quia in via deliquit, & ideo etiam in via pœnam eum lugere expediebat: functus enim iam munere

munere domum reuertebatur, sed pessimus senex fatidicorũ Antistes maturauit gressum, vt dehonestaret veridicum: in via illi persuasit, vt reuersus aliquid edulij accepisset. Annuit incautus vir Dei, & famis suffragio fidem præstitit fatidico. *Reduxit secum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam.* Quid tunc? nondum angusto satis finito prandio, idem senex licet inuitus Deo tamen vrgente, pronuntiauit mortis sententiam: *Non inferetur cadauer in sepulchrum Patrum tuorum.* Vera dixit, cùm rigidam denuntiaret vindictam; falsa quando angustam inuitauit ad mensam. Perpendite, quid subsecutum, dicit sacer textus: *inuenit eum leo in via, & occidit.* At cur non in ciuitate, sed in via tulit supplicium? nonne sufficiebat, si antequàm de ciuitate illa egressus esset, ferro occubuisset occisus, & alieno sepulchro delituisset tumulatus. Cur igitur in via? neq; enim credendum est, vel supplicium loci vacasse mysterio, vbi omnia arcano disponebantur consilio. Existimo hanc esse causam, vt quoniam in via animiæ credulitatis perpetrauit delictum: in via deliquit, in via etiam interfectus iaceret. Dicit S. Chrysostho-

S. Chrysost. mus in Psal. 3, *Peccauit Propheta, & leo in via inuentum morte affecit.* In via à pessimo sene, & falso Propheta, inuentus est; in via quoq; à leone interfectus iacuit, vt ibi solueret reatum, vbi perpetrauerat delictum, facileq; omnibus constaret, eo sæpè loco decerni pœnam sceleri, quo perpetratã fuisse constiterit culpam. Quemadmodùm è contrario plerumq; euenit, iustos eodem in loco, virtutis digna accipere præmia, vbi pro virtute miranda patrârunt opera.

Propheta à leone in via occisus quia plus homini, quàm Deo credidit.

Verùm, indubitata sententia est, hunc Prophetam ideo à leone in via interfectum esse, quia plus homini, quàm Deo credidit. Et ideo dicit Theodoretus qu. 42. *Dignissimè sustinuit mulctam, quia licet adductus contrariam Domino tenuit viam.* Quod comprobat addens verba sequentia: *Non enim oportebat eum, qui vocem audierat diuinam, credere homini dicenti contrarium; sed expectare, vt qui iusserat, solueret, quod iusserat fieri.* Annuit huic sententiæ S. Gregorius apud Glossam inquiens: *Bené ore eius sententiam mortis accepit, cuius reductione à vitæ præceptis deuiauit, vt inde pœnam veraciter sumeret vnde culpam negligenter admisisset.* Ecce habetis omnimodam gratitudinem, & venditionem superfluam in rebus spiritualibus à Domino Deo prohibitam. Quid autem humana vox personat, audite. Dicit, non esse vetitum, dummodò non sit intentio quælibet libenter accipere, quamuis non necessaria, vt sunt nummi, munera, talenta. Non abnuo non esse peccatum saltem mortale; quemadmodùm nec fuit illud Prophetæ sancti ob ignorantiam, & credulitatem; quia tamen Propheta ob solùm veniale peccatum occisus est à leone, eò quòd magis hominis voci, quàm Dei crediderit, verendum est, ne in anima quotidiè moriantur, qui similia perpetrare audent.

Peccator potest miracula patrare.

Christus igitur præcepit Apostolis, gratis omnia facere, sine vlla spe munerum accipiendorum, vt ostenderet hominem etiam cum peccato miracula operari posse: cùm enim virtus patratiua miraculorum, non supponat gratiam iustificantem, sed solùm fidem, ideò sanctus, & bonus Dominus, propriam prædicatorum suorum, quos mittebat, sanctitatem curans, ne dum alijs prædicassent, illi ipsi reprobi efficerentur, seriò admonuit, vt sancta sanctè administrarent, respuendo omnia, nihil de mundo accipiendo. Prohibuit ergo simoniam Dominus, ex his rationibus, vt testatur Abulensis quæst. 62. *in primu*, quia non potest res spiritualis iusto pretio vendi pro re temporali. *Deinde*, quia per hoc Dei donum contemnitur, dum minus æstimatur, quàm valeat. *Tertiò*, quia fit iniuria Spiritui Sancto, dum vendimus, quæ ipsius sunt, & quorum ipse est Dominus, non nos. *Tandem*, quia si bona spiritualia venderentur, iam eo ipso desinerent esse dona Dei, quoniam Deus bonis nostris non eget.

Simonia triplici de causa prohibita est.

Nouit hoc perbellè D. Nicolaus, ideoque ab infantia Deo addictus, non quærebat, sed fugiebat potiùs beneficia: non simoniacè quærebat ascensus, sed miraculosè in Antistitem assumptus, nihil penitus de episcopali dignitate cogitans, nisi summo mane ad ianuam Ecclesiæ orans deprehenderetur, propter quod Deus in illo mirabilis apparuit, iuxta illud Psal. 67. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem, & fortitudinẽ plebi suæ.* Quomodò autem Deus non tantùm in maiestate sua; verùm etiam in sanctis suis sit mirabilis, respondet S. Bernardus epist. 23. ita loquens: *Laudarem vos, & iure laudarem, si non me reuocaret illa sententia. Neminẽ laudaueris in vita sua. Siquidem rem laude dignam egistis, sed ei laus adscribenda est, à quo accepistis & velle, & perficere, quod meritò laudaretur. Deum ergo per vos, & in vobis glorificamus; qui tamen in vobis ad hoc voluit glorificari, vt & vos redde-*

Psal. 67.

S. Bernard.

vos redderet glorioſos. Moxq; vlteriùs ſubijcit ſequentia verba, ſumma admiratione digna: *Qui nimirùm cùm ſit mirabilis in maieſtate ſua, etiam in ſanctis ſuis glorioſus apparere dignatur, ne ſolus habeat gloriam. Ipſe nempè licet ſibi ſufficiens ad omnem magnificentiam; quærit tamen gloriam in ſanctis, non vt augeat ſibi, ſed vt ſuis communicetur.* Deus igitur non appetens gloriæ, gloriam ab hominibus expetit, ſed mirè glorioſus in maieſtate ſua, glorioſe mirabilis eſt in ſanctis ſuis: laudem enim & gloriam, quam hominibus ambit, non ſibi ſoli vſurpat, quaſi hoc elogium hominibus inuideat. Sed eam in homines regerit largior laudis munerator: quoniam ad hoc in hominibus voluit glorificari, vt homines redderet glorioſos.

Alterum ſignum, ex quo indubitatè colligitur, aliquem eſſe verum Dei ſeruum, eſt, quando ab hominibus odio habetur, ſiquidem non ſolùm procurat virtutes plantare, ſed etiam vitia deſtruere; non ſolùm verum Deum in cordibus gignere, ſed etiam expellere diabolum. At verò hypocritarum hominum è contra ſignum eſt, quando ab hominibus amantur: quia ſimul perſuadent Deum, & mundum; regulas Diuinas & humanas; Dagon & Dei Arcam, neſcio quibus doctrinis relaxatis inuentis & ad humanum ſaporem accommodatis.

Tales non ſunt boni, & fideles ſerui Dei, quia brutis ventris affectibus ſeruiunt aduerſus Deum, inter proximos perpetua diſſidia excitantes, à quibus ſummoperè cauendum eſſe, præcipit S. Pau-
Ad Rom. 16 lus ad Rom. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Quippè ſem-
Ventri ſeruientes pacem non amant. per coniunctum eſt, vt qui ventri ſeruiunt, diſſidia faciant, & rebelliones aduerſus veritatem. Vt meritò S. Chryſoſtho-
D mus hom. 31. in hunc locum, exclamet, *Vnde diſſidia: ab eo, quod ventri, alijſq; affectibus ſeruitur.* Ventrem vnicã eſſe cauſam agnoſcens diſſidiorum, quæ excitantut aduerſus veritatem, & Deum. Hinc Genes. 3. vbi prima rebellio contra Deum mota eſt, dixit ſerpens ad mulierem: *Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus, quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij.* Multa fuerunt animalia condita à Deo; & tamen ſolus ſerpens inuentus eſt, cuius linguâ dæmon vteretur aduerſus Deum. Non aliam puto ob cauſam, niſi quia ſolus ſerpens ſupra ventrem graditur, reptatq; ad ea, quæ ſunt ventris; ideoq; linguam dedit ſatanæ, quâ conſurgeret aduerſus Deum, & veritatem. Dicit S. Baſilius Seleuc. orat. 2. S. Baſilius.
Serpens hominu erat ſubiectus arbitrio: ſic enim factum eſt, vt linguam diabolo commodarit ad inuehendam confuſionem. Vbi inter hominis ſubditos, ponit ſerpentem, qui ſolus ſupra ventrem graditur, qui bruteſcentium, terrenorumq; hominũ præferebat exemplar, & fuit, qui linguam diabolo commodauit, ad rebellionem aduerſus Deum moliendam. Credite mihi, non ita aduerſus Deum præſto eſt leonina feritas,
B ſicut bruteſcens cura ventris: nam vbi hæc adeſt, ibi & diſſidia, & contentiones contra Deum façilè excitantur. O miſeros homines, qui ventri ſeruiunt, qui bruteſcentibus cupiditatibus indulgent, qui toti inhiant terrenis; quàm facilè aduerſus Deum inſurgunt. *Sedit,* dicit ſcriptura Exodi 32. *populus manducare, & bibere* Exodi 32.
& ſurrexerunt ludere. Caietanus legit: *Surrexerunt ad illudendum.* Clemens Alexandri- Caietanus.
nus vertit: *Saturati ſurrexerunt ludere* Quia ergo ita beſtialiter ventri indulgebant, Clemens Alexandr.
vt nihil ſupra beſtias in cibo meditarentur, ideo aduerſus Deum, & Moyſen inſurrexerunt. Ait citatus Auctor lib. 1.
C Prolog. cap. 11. *Saturati ergo ſurrexerunt ludere. Saturati autem græcè eſt, quaſi dicas, fœno repleti, nempè à ratione alienam alimenti plenitudinem, hoc eſt, fœni repletionem, non autem cibum dixerit. Quoniam autem abſq; ratione ſaturati, abſq; ratione ludebant.* Et tamen res ſtupenda, quòd licet nihil rationale, nihil menti humanæ conſonum in appetendis illis, ſumendiſq; cogitarent, Deus tamen eos patienter tolerauerit; quemadmodùm etiam nunc homines impios, quorum Deus venter eſt, tolerat, quaſi peccata illorum enormiſſima nõ videns, vt meritò exclamet Propheta: *Domine, quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus,*
D *qui iniq; agunt.* Ad hanc difficultatem vt reſpondeam.

Sciendum eſt, quidquid Deus creauit tum ſupernè, tum infernè, ſiue cœlum, ſiue terram, ſiue bona ſpiritualia, ſiue temporalia, omnia ſubſtantiam Dei eſſe, quam in filios diſtribuere ſtatuit, ſed cum hac differentia, vt cùm alia ſit ſubſtantia, quæ dicitur hereditas Dei, eſtq; veluti maioratus eius, & hanc ſolis filijs communicat. Alia verò ſubſtantia ſit bonorum liberorum, quæ non ſunt bona, maioratus, & hæc dare poteſt, cui vult, illaq; alienare à ſe, & veluti aliena habere. Regnum itaq; cælorum, & bona quæ Bona Dei duplicia ſunt.

in illo

in illo ſunt bona maioratus dicuntur, & beatitudo hæreditas Dei. Ita eam appellat D. Paulus ad Ephes. 1. v. 18. ita
Ad Ephes. 1. ſcribens: *Non ceſſo gratias agere pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini noſtri* IESV *Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminans oculos cordis veſtri, vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis.* Ergo iuxta D. Paulum, hereditas Dei beatitudo eſt; cætera verò bona extra beatitudinem, veluti bona huius vitæ, quamuis ſint bona Dei; non tamen ſunt bona maioratus vinculata filijs tantùm, & heredibus; ſed bona libera:
B & ideò paterfamilias alienare ea, & dare cuilibet poteſt, licet ſit extraneus, & non futurus heres, licet peccator, & non Dei amicus: quoniam bona libera ſunt, & ideo vnicuiq; liberè dabilia. Propter quod bona iſta, vocantur ſiniſtra, non
9. Auguſt. dextra. Sic illa appellat D. Auguſtinus in Pſal. 43. vbi explicans illa verba: *Querum filij ſicut nouellæ plantationes,* ita dicit: *Bona ſunt, ſed ſiniſtra, quid eſt ſiniſtra? mortalia, corporalia, temporalia, nolo illa diffugias, ſed neq; dextera eſſe putes.* Vnde illis, qui hereditatem ſalutis expectare nolunt, dat Deus de terrena ſubſtantia, quæ ſiniſtra eſt, partem ſuam; filijs verò, qui hîc nihil quæ-
C runt, ſed in altera vita hereditatem appetunt, reſeruat ibi portionem ſubſtantiæ, quæ eſt dextera. Proinde malis dat de ſubſtantia ſua Deus, etiamſi mali ſint, verùm non de illa, quæ eſt maioratus, quæ in bonis liberis cõſiſtit; & ideo his ampliùs poſtea non competit ius ad hereditatem maioratus, quoniam acceperunt in bonis liberis partẽ ſuam, in bonis nimirũ huius vitæ, quæ non ſunt bona perpetua, non ſtabilia, non certa, nõ in æternum duratura.

Videant ergo, qui hîc bona accipiunt libera, an in altera vita etiam accepturi ſint: quoniam ſacer textus dicit: *Domus impiorum delebitur, tabernacula iuſtorum germi-*
D *nabunt.* In quem locum S. Hieronymus
S. Hieron. ita diſcurrit: *Domus in manſione, tabernaculis vti ſolet in itinere, Domus igitur impiorum delebitur, quia habitationem vitæ præſentis, in qua ſemper viuere deſiderabant, perdent in morte reprobi, & hoc, quod non præuidebant, exilium perpetuæ damnationis habebunt. Tabernacula autem iuſtorum germinabunt, quia præſens eorum conuerſatio, in qua incolæ ſunt apud Deum, & peregrini, creſcentibus ſine ceſſatione meritis, ad fructum vſq; ſuauiſſimum, patriæ cæleſtis pertingit.* Hinc
Genes. 25. de Abrahamo dicitur Genes. 25 v. 5. *Cuncta quæ poſſederat, dedit Iſaac; filijs autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret.* Si munera dedit filijs concubinarum, quomodò cuncta, quæ poſſederat, dicitur dediſſe Iſaaco? Dedit profectò omnia, nimirùm omnia bona maioratus ſubſtantialia, quæ poſt mortem ſuam poſſeſſurus erat Iſaac, tanquàm hæres verus, & filius dilectus, ac per hoc. cùm in vita patris nihil poſſideret, ideo è domo non deceſſit paterna. At verò concubinarum filij, quia in bonis non erant futuri heredes, bona libera acceperunt. nimirùm munera, ſimul de domo expediti ſunt, tanquàm non heredes. Vnde factum eſt, vt poſt mortem Abrahæ, nihil eis ampliùs de-
B ſubſtãtia hereditatis cõtingeret, eò quòd partem recepiſſent ſuam. Ait Iſidorus: Iſidorus.
Dantur munera filijs concubinarum, id eſt, carnalium, ſed non perueniunt ad regnum promiſſum, quia carnalia lucra ſequuntur: ſolus Iſaac eſt hæres, quia non filij carnis exiſtimantur in ſemine, ſed promiſſionis. Profectò nil melius dici potuit: tali enim prorſus modò Pater ille cœleſtis cum bonis, & malis procedit: nam qui non ſunt filij, neq; futuri heredes, hîc in hoc mundo, dum adhuc viunt, dat eis dona, & munera, permittit eos hîc lætari, & exſaturari, affluenter eis de huius vitæ bonis elargiendo. At
C verò, qui ſunt filij, illis reſeruat hereditatis ſuæ bona, videlicet æternæ hereditatis, & nunquàm perituræ.

Vnde etiamſi impij peccatores mali ſint; via tamen illorum proſperatur, hîc illos Deus remunerat, hîc eis bona tribuit, propterea, quòd alterius ſæculi bona eis tribuere nõ poſſit, incorrigibilibus eorum peccatis ſic exigentibus. Pulchrè id elucidat S. Chryſoſthomus lib. 1. de S. Chryſoſt.
prouiden. tom. 5. vbidicit: *Si poſt diuinam illius curæ, ac prouidentiæ rationem, noluerint homines meliores fieri, veritatemq; agnoſcere, nec ſic quidem illos deſerit; ſed quoniam æternæ vitæ participatione, ipſi ſe ſua ſponte priuarunt, præ-*
D *ſentis vitæ bona illis omninò largitur, ſolem ſuum oriri faciens ſupra malos, & bonos, aliaq; præſtans, quæ ad præſentis vitæ conſtantiam pertinent.* Ex quibus verbis ſole clariùs conſtat, malos, dum hîc quærũt bona, ſponte ſua æternæ vitæ participatione ſeipſos priuare. Difficilè namq; eſt, imò vix forſan poſſibile, & in hac, & in altera ſimul vita felicitate perfrui, inueniriq; hominem quempiam talem, cui duæ diuinarum ſubſtantiarum contingant partes, ſcilicet bonorum liberorum, & maioratus, vt iam ſuperiùs innui. Quod probè ſcientes iuſti, portionem ſuam non in præſenti, ſed in futura vita optant, illud Regij Vatis fre- Pſal. 141.

quenter vsurpando : *Portio mea sit in terra viuentium.* Psal. 141. n. 6. E contra verò impij, non nisi in hac vita parté suam habere desiderant, totos se delicijs mundi consecrantes, nil de futura sperando, nil de felicissima illa visione cogitando, sed in præsenti sæculo nequam totaliter suas radices figendo.

Duos legimus in Scriptura Sacra Enoch nomine appellatos, vnum Caini filium, alterum verò filium, seu pronepotem Sethi; cum hac tamen differentia, quòd Enoch filius Caini, in prima statim generatione natus fuerit Genes. 4. v. 18. *Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Enoch.* At verò Enoch filius Sethi. vsq; in septima generatione procreatus est. Mysterium si velimus inuestigare, ex ipso nomine facilè cognoscemus, *Enoch* quippè idem est, quòd *dedicatio.* Et ideò primus Enoch figuram gerebat impiorum, qui se totos mundo dedicant, & ideò Caini filij appellantur; secundus autem *Enoch* repræsentat iustos, qui seipsos Deo consecrant, ac ob id filij Dei dici merentur. Ita acutè resoluit S. Gregorius lib. 26 Moral. cap. 1. qui considerans, cur primus Enoch, in prima statim generatione, secundus non nisi in septima habitus fit, respondet : *Cur hoc ? quia nisi videns plurimos temporalia sola cogitare, honores quærere, ambiendo rebus inhiare, nihil post hanc vitam requirere : qui itaq; isti, nisi qui in prima se generatione dedicant ? Videas electos nihil præsentis vitæ gloriæ quærere, libenter inopiam sustinere, mala mundi æquanimiter perperi, vt possint in fine coronari. Vnde electus Enoch in septima generatione nascitur, quia sui dedicationem gaudij in extremæ retributionis gloriam requirunt.*

Enochi duo

Genes. 4.

S. Gregor.

Primus itaq; Enoch Caini filius, illicò natus est, & illicò etiam mundi delicijs, ac voluptatibus dedicatus. Secundus verò non nisi post septimam generationem, id est, post mundi cursum expletum, post vitam transactam. propter quod meritò primus tanquàm Caini filius ab hereditate Dei exclusus; secundus autem admissus, Genes. 4. v. 16. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen Domini.* Quod cùm ita sit, quid in altera vita possunt sperare impij: qui cùm hoc notum apud seipsos habeant, ideò in hoc tantùm mundo, omnem spem, & desideria sua figunt.

Genes. 4.

Mirantur Doctores sancti, quòd Cain post fratricidium perpetratum, tot maledictionibus impetitus à Domino Deo, Genes. 4. v. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus, & profugus eris super terram.* LXX legunt : *Gemens ac tremens eris super terram.* Concussus est tunc non leuiter animus Caini acri timore, ac trepidatione iugi exagitatus : intestinus panicusq; cor exedebat metus, nec quiescere tantisper poterat, quem sua improbitas semper vexabat. Neq; tamen solùm animo pœna inflicta est ; sed & fructibus post longos anxiosq; labores, spes nudata. *Cùm operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos.* O quàm miserum erat Caino, neq; spei habere solatium, nec effugere cupiditatis delirium. Terra quippè fructus ingratissimo denegabat ; & tamen cupiditas, vt terram labore improbo excoleret, imprudentissimum compellebat Vnde nec laborem solabatur prouentus, nec otium permittebat appetitus. Caini culpa duro metu animum exagitabat, & telluris insuper prouentus præscindebat. Itaq; ob scelus, inflicta pœna, nec frugum, nec otij permittebat ignauiam : animæ & corporis destituebatur auxilijs, quia animum fratricidij subiecerat peccatis. *Ecce primum fructũ,* scribit Caietanus, *ex quo constat maledictio, quòd videlicet terra non responderit secundùm vim suam fructificando Cain colenti terrã, quæ non parua pœna est agricolæ.* Et animæ igitur, & corpori admissum obfuit piaculum : semper namque ab internæ & externæ pacis exulabat gaudio, & acri timoris dilaniabatur tormento, vt agnoscamus, culpam non solùm animum lædere, sed externa etiam comoditate priuare. Adeò, vt audita illa maledictione, Cainum tæderet viuere, vt propterea mortem expetierit, suiq; impotens, præ duræ calamitatis impatientiâ responderit : *Ecce eijcis me hodiè à facie terræ ; & à facie tua abscondar ; & ero gemens & tremens super terram.* Considerate, quàm grauatè tulerit fulminatam contra se maledictionem, & comminatam terræ sterilitatem.

LXX.

Caietanus.

Et nihilominùs licet peregrinus primus fuerit, licet profugus, licet per prata, & campos, & syluas oberrans ciuitatem ædificauerit : *Et ædificauit ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui Enoch.* Quid proderat Caino ciuitatem erigere, quam ipse inhabitare non posset ? vt pote vagus super terram. Quid profuit delicias quærere, cùm ipse infinitis malis oppressus esset. Causam non aliam video, nisi quòd fruitionem, & possessionem patriæ æternæ iam penitùs desperasset, ideòq; sciens se eam non possessurum, tanquàm à facie

Cain ciuitatem ædificauit.

à facie Domini eiectum, hîc in præsenti sæculo radices figere curauit, agnoscens hanc portionem suam esse. Ingeniosè id obseruante D. Gregorio supra citato : *Iniqui* ait, *dum corde transire ad æterna negligunt, & cuncta præsentia fugitiua esse non intuentur : mentem in amore præsentis vitæ figunt, & quasi longæ habitationis in ea sibi fundamenta construunt, quia in terrenis rebus per desiderium solidantur.* Ita profectò Cain licet peregrinus in terra, & multò magis peregrinus in cœlestibus, fundamentum in terris posuit : *quia exclusum se videbat soliditate æternæ patriæ,* addit S. Gregorius. Ex qua doctrina facilè conijcere possumus, terrenis inhiantem à cœlestibus excluſum ; & bona hîc possidentem, difficulter eadem possessurum in futuro sæculo, firmiter id asseuerante D. Chrysosthomo homil. 14. ad populum Antiochenum tom. 5. *Quia non licet secundùm mundum gaudentem, pariter & secundùm Deum gaudere.* Aut enim hîc, & non ibi; aut ibi, & nõ hîc, mutãdæ sunt sortes, eædem vtrobiq; manere non possunt.

S. Gregor.

Duas igitur attuli probationes, ex quibus indubitanter bonus, & fidelis Dei seruus dignoscitur. In primis ex prompto obsequio in laudem Dei præstito : qui enim non ambitionis, & dominandi studio, munia Ecclesiastica obit; qui non turpis lucri gratiâ, sed amore salutis animarum, mysteria Dei administrat ; qui non spe remunerationis, sed ex motiuo veræ charitatis, summam Dei bonitatem adorat, in sortem Dei filiorum, & fidelium seruorum transit. Deinde dum quispiam in hoc mundo infortunijs agitatur, odijs hominum, & crebris persecutionibus exacerbatur. Nam discipulis suis hoc signum prædixit : *Scitote, quia vos mundus odio habebit.* Si igitur in sortem filiorum Dei annumerari volumus, seruiamus Domino in omni timore, & humilitate, omnia aduersa æquo animo sustinentes : quoniam veros Dei seruos talia decent.

CONCIO FVNEBRIS.

IN FVNERE,

R. P. Augustini Zegart, Canonici Regularis in Conuentu Cracouiensi, ad ædes sacratissimi Corporis Christi, S. Theologiæ Doctoris, mortui die 13. Februarij, A. Dni, 1656. sub tempus belli Suetici.

Amici intimi.

Ego dedi te hodiè in ciuitatem munitam, & in columnam ferream Principibus, & Sacerdotibus, & Populo terræ. Hieremiæ 1.

RAtali quadam, & prorsùs ineuitabili necessitate, hisce calamitosissimis temporibus, regna, & Reges ; Ecclesiæ & Pontifices, vrbes & Doctores feriuntur. Irreparabiles quippè regnorum desolationes, dolenda Regum extra fines Patriæ exilia, nusquàm anteactis sæculis visas Ecclesiarum profanationes, & Pastorum ab orbe condito, nec dum auditas dispersiones, repentinas ciuitatum euersiones, inopinatas deniq; mortes Doctorum spectamus perpetuò, & lugemus: vt proinde & Mars regnis, ac Regibus; & mors continuum Doctoribus indixisse bellum videantur, ijsdem planè stratagematibus, quibus hostis ciuitatem ; illa quoq; viros Doctos aggrediens. Vt enim belli gerendi peritissimus Dux, munitissimam ciuitatem capere volens, obsidione eam cingit, nec statim coniunctis simul omnibus viribus aggreditur ; sed nunc ab vna, nunc ab altera parte eam aggreditur, modò mænia, modò turres, modò propugnacula, modò portas, modò valla, modò munitiones tormentis quatit. At verò vbi prorsus illam euertere, & expugnare statuit, omnibus eam copijs, & viribus quaquâ versùs adoritur, ignem cuniculis inijcit, muros terræ coæquat, portas perstringit, atq; omni ex parte cum vniuerso exercitu irrumpit. Necdum satis, sed omnis insuper substantia, & opes illius à militibus diripiuntur, replentur ciuium cadaueribus plateæ, ipsa demum ædificia diruta manent. His pariter artibus mors nobiscum procedit. Videt hominem, quasi ciuitatem inexpugnabilem, Prouerb. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma;* ideò non audet illum totis viribus simul adoriri, sed sensim per partes eum oppugnat, & quidem diuerso militum genere. Carnem enim, humeros, dorsum, quibus homo, veluti muris quibusdam vndiq; vallatur, Schiaticis, luxationibus, catharis,

catharis, ac defluxionibus aggreditur. Brachia, manus, & pedes, quæ sunt veluti turres, & murorum pinnæ, podagris, chiragris, alijsque doloribus arthriticis debilitat. Latera, ventrem, spinam dorsi, ac lumbos, ceu primarias munitiones, malis torsionibus, doloribus colicis, & frigidis humoribus infringit. Os, & cætera sensuum organa, quasi portas, per quas omnia, ingrediuntur, apoplexijs, delirijs, hemicranijs euertit. Vbi verò particulares hi insultus in cassum abierint, omnibus tandem machinis, ac molitionibus, paruum hunc mundum, scilicet hominem impetit, vniuersum corpus malis humoribus opplens, sanguinem alteratis, & corrumpens, spiritus perturbans, sensus obfuscans, ignem cuniculis inijciens, nimirum ardentibus febribus hominem penetrans, sicq; pulcherrimam hanc ciuitatem solo coæquat, & innumerabili cum exercitu vermium eam ingreditur, omnia vastat, demolitur, prædatur, ita depascit, & in cineres redigit, vt vix ossa remaneant. vt proinde meritò secundus Philosophus ad Adrianum Imperatorem dixerit: *Mors est dissolutio corporum, ineuitabilis euentus, latro hominis, & reselutio omnium.* An certè euidentius huius veritatis testimonium à me requiretis? stabit pro mille argumentis lethalis hæc vrna, glorioſissimos cineres Religiosissimi Augustini Zegart continens. En quomodò mors, cùm nihil iuris in purissimum eius animum habuerit, summum tamen impetum in corpus eius faciens, Religiosissimæ huius D. Augustini Familiæ aureum sydus, immissis febris malignæ internis ardoribus, exussit, vt qui paulò ante ob profundam sapientiam, ceù sol præluceba, nunc exustus instar carbonis, denigratus iaceat, & cuius augusta fama, ijsdem, quibus orbis terrarum, paulò ante claudi terminis non potuit, nunc angustâ satis tricubitali vrna claudatur. Quem iam funestâ morte sublatum, ciuitatem à Deo munitissimam fuisse, ostendere conabor.

Fateor, mortem æquâ lance pulsare Regum turres, pauperumq; tabernas; Doctorum musæa & idiotarum casas; sorte tamen inæquali: pauperem enim, & insipientem rapiens, omnem penitus eorum recordationem simul abolet; sapientis verò etiam post sera fata, nomen æternum manet. Quod innuere voluit

A Psalmista Psal. 48. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes; simul insipiens & stultus peribunt.* Quasi diceret: licet mors indispensabiliter sit omnibus proclamata: *statutum est omnibus semel mori.* Quia tamen sapiens prospicit suæ æternitati, & ex præcognitione summi illius, ac æterni boni, omnia prudenter, & rectè operatur; ideo licet fatis corporaliter ad tempus succumbat, animi tamen sui pulcherrimis dotibus non videbit interitum. Hinc est, quòd Doctores in Ecclesia Christi appellentur. *Lux mundi, ciuitas supra montem posita,* Matthæi 5. quia sicuti B hæc quandam perpetuitatem præseferre videntur; ita profunda sapientia in Ecclesia sancta laborantium Doctorum, omnimoda perennitate gaudet. Montem excelsum ipsa sydera cacumine suo attingentem, regulam magni vestri Patriarchæ Diui Augustini, meritò dixerim ego, ciuitatem supra hunc montem positam, defunctum Augustinum Zegart si appellauero, nemo inficias ibit. Prudentissimum huius ciuitatis architectum non alium fuisse, nisi æternam illam, & incarnatam sapientiam, ipsamet sacra pagina proclamat, Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, &* C *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Sic enim Diuina sapientia mentem Doctoris vestri efformauerat, vt à sancto Patriarcha vestro Diuo Augustino, nec in sanctitate, nec in virtutibus, nec in sapientia degeneraret, sed vt esset velut ciuitas quædam opulentissima, omnium scientiarum diuinarum, atq; humanarum mercimonijs repleta.

Doctorū & idiotarum exitus diuersus.

Præcipua huius ciuitatis columna fuit profundissima sacræ Theologiæ cognitio, per quam homo ad veri Dei notitiam peruenit. Nam Heliæ in ostio spelunca consistenti, & Deum in sibilo tenuis auræ transeuntem contemplanti, sic D locutus est Deus, 3. Reg. 19. *Vade* inquit, *& reuertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumq; perueneris illuc, vnges Hazaël Regem super Syriam, & Iehu Filium Nansi vnges regem super Israël, & Elizeum Prophetam pro te.* Helias catholici mei, qui interpretatur *videns*, est homo eruditus ad videndum, & cognoscendum Deum, affirmante id D. Augustino: *Deus* inquit, *fecit hominem, vt summum bonum intelligeret. Via hominu propria*, est diuina lex, & præcepta sanctissima, iuxta illud Dauidicum: *Viam mandatorum tuorum cucurri Desertum* est pœnitentia: *Damascus* gratia Dei: nam iuxta Hebraicam

cam interpretationem, significat succum A sanguinis; gratia autem Dei, non nisi per merita sanguinis Christi nobis confertur. *Vnctio trium, duorum regum, & tertij Prophetæ,* significat animam tribus potentijs ornatam, intellectu, memoriâ, & voluntate. Intellectus quippè in Elisæo, voluntas in Hazaële, memoria in Iehu adumbratur. Ostendere ergo Deus voluit, animam hominis in gratia Dei existentis, omniaq; cælitùs sibi inspirata promptè operantis, fieri reginam, & Prophetissam, id est, sapientem. Reginam, quia dominatur appetitionibus inordinatis carnis, & sensuum; sapientem verò, B quia intelligit, quid sibi ad perfectionem adipiscendam factu opus sit.

Conijcite quæso Patres religiosissimi, in defuncti Augustini vestri cineres attentiùs oculos, an non verè hæc omnia in ipso, omni exactissimo modo adimpleta agnoscetis? Fuit, semper videns per altissima theologica principia, primi illius & incomprehensi omnium principij notitiam, quantum fas est, mortali homini, inuestigando, vt ea, quæ nunc per speculum, & in ænigmate videbat, depositis mortalitatis exuuijs, facie ad faciem intueretur. Sciebas ô vera magni illius Augustini soboles, hanc vltiC mam, & consummatam hominis felicitatem esse, *nosse Deum, & quem misit* Iesvm *Christum*; ideò acutissimus mentis tuæ oculus, nihil sæpiùs, & profundiùs; quàm Deum contemplari voluit. Et licet per obscuras reuelationes (obscuritas quippè est differentia essentialis nostræ fidei) nihilominùs adhuc in vmbra mortalitatis degens, ita in claram, & perfectam Dei notitiam venerat, vt totus planè orbis summam eius doctrinâ admiraretur. Obstupuit vniuersitas Patauina, dum eum, altam illam & secretam Diuinæ vocationis energiam, infallibilitatem futuri euentus, v. g. conuersionis Petri, secumD omnimodè trahentem, dilucidè explicantem audiret. Obstupuit augustissimus illius Academiæ senatus, dum audiret eum miro artificio ostendentem, quomodò libertas humani arbitrij cohæreat cum efficacia gratiæ. Attonita penitùs hæsit summa illa omnium Doctorum, ad eius disputationem confluentium corona, dum nouo, & nusquàm antea audito summæ eruditionis modo, loca Doctoris Angelici, de Conceptione Virginis Deiparæ difficillima, ita enucleantem auscultaret, vt sine vllo saltu de lege ordinaria ad extraordinariam (qui mos est plurimis) sed in ipso genuino, & literali sensu consistendo, apertissimè ostenderet, quomodò tanti Doctoris id asserentis veritas, & authoritas; simul tamen Matris Dei illæsa dignitas maneat.

Cùm Patauij esset, cũ admiratione omnium de gratia efficaci & immaculata conceptione, difficillima S. Thomæ loca resoluit.

In Hungaria magnũ Hæresiarcham ad fidem catholicam conuertit.

Agnouit & ipsa Hungaria etiam hisce temporibus profundissimam eius doctrinam, dum grauissimum Hæresiarcham, religionis orthodoxæ hostem capitalissimum, ita acutissimis rationibus, & euidentissimis Scripturæ Sacræ testimonijs conuinceret, vt in vnitate Diuinæ naturæ, omnimodam personarum æqualitatem, necessitatem sacramentorum, bonorum operum, & meritorum vim, sanctorũ inuocationem agnoscens, & quicquid Romana Ecclesia credendum proponit, firmiter arripiens, ad vnitatem Christi ouilis, duce & magistro tanto Doctore redierit. En quantæ felicitatis, & fortitudinis vestrum hoc decus, vestra columna, Theologia defuncti Augustini, Zegart fuit? quæ ne vnquam à via veritatis, & iustitiæ deuiaret, stipabant hanc columnam vndique potentissima fulcra. A fronte intellectus omnium capacissimus, ciuitatem hanc regens, & diligenter omnibus hostium insultibus prouidentissimè obuians, ne in capite superbia, in oculis lasciuia, in auribus verborum inhonestorum, atque indecentium auditus, in naribus nimia odorum vanissimorum sensualitas; in ore blasphemiæ, murmurationes, detractiones, colloquia prophana, & lasciua; in gula immodica cibi voluptas, in manibus rapinæ, furta, homicidia; in ventre crapulæ, & ebrietates; in lumbis luxuria, in pedibus pigritia ad benè agendum, aut promptitudo ad mala perpetranda vnquàm obreperent.

Fulcra illius ciuitatis.

A tergo fulciebat hanc ferream columnam *Ratio*, velut magister scholæ plurima docens, viam Domini, sanctissimasque leges, & mandata eius lustrans, cælum & cælestia contemplans, Domini cam passionem continuò voluens inferni supplicia, purgatorij pœnas trutinans, voluntatem ad amandum Deum super omnia, & proximum sicut seipsum diligendum; mundum & ea quæ mundi sunt contemnenda, ad peccatum detestandum semper inclinans. Astabat à latere sinistro, synderesis vxor bona & honesta, malis actionibus contradicens, & ad bonas exhortans; à dextro verò, dona Spiritus Sancti, tanquàm optimi huius ciuitatis consiliarij aderant suadentes, nusquàm sensui complacendum esse, nus-

quàm legem naturalem, Diuinam, & humanam violandam; nusquàm bonas inspirationes refutandas, nusquàm vitam actiuam spernendam, contemplatiuam deserendam, virtutibusq; renuntiandum esse.

Confessus eius omnibus iucundus,

Insuper, de hac pulcherrima ciuitate missæ sunt ancillæ, *vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis*: videlicet bona opinio, & fama summæ doctrinæ, atq; sanctitatis. Istæ ancillæ vestro defuncto Augustino famulabantur, ad eiusq; confessum trahebant. Huc Professoribus Academiæ Cracouiensis venire, & cum magno Doctore vestro de rebus difficillimis colloqui, atq; consilia facere, iucundum erat. Confluebant sæpiùs ex omnibus Religiosissimis Familijs, viri eruditissimi, vt cum Doctore vestro subtiliter disserendo, eius in respondendo facilitatem, & subtilitatem admirarentur, pariter ac venerarentur. Necdum satis: vt olim D. Augustinum disputantem audire totus Orbis ambiebat; sic de vestro Augustino omnes ferè certabant nationes. Eum Bononiensis Academia literis frequentibus, ad suam professionem inuitabat, cum Patauina vniuersitas magnum Theologiæ Doctorem admirata, etiam inuitum detinere studuit, nisi eius profunda humilitas plus Deo, & Religioni sanctæ; quàm priuatis promotionibus, tribuendum esse optimè suasisset.

A Bononiensi & Patauina Vniuersitatibus inuitatus,

In Religione ad labores prôptus & humilis,

Testem te appello huius veritatis, Religiosissima D. Augustini Familia: nonne cum Phœnicem in religione vestra agnouistis? nullas tamen de primatu factiones molientem, nec primas appetentem cathedras vidistis. Sed ad maximũ laborem, ad Prioratum (qui in vestra Religione fons omnium laborum habetur) destinatus, velut innocens Abel ad victimam sponte, & promptè sua colla submisit, vt omnibus exemplo, pietate, doctrinâ præluceret. O funesta mors, quomodò in tantum virum impetum facere ausa es? qui semper fuit in possessione Dei; Deus autem mortem non fecit, cùm sit ipsamet vita. Verùm quemadmodùm vita hominis dupliciter considerari potest. *Primò*, in statu innocentiæ, quatenùs in prima hominis formatione, à Deo fuit illi inspirata, Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* & taliter considerata vita est pretiosa, dulcis, amabilis, veluti ab ipsis visceribus Dei enata, & filia carissima. *Secundò*, potest considerari in statu culpæ, id est, post transgressionem Adami, & sic considerata vita,

Vita humana in statu innocentiæ fuit amabilis nunc verò odibilis,

A est corrupta, deformis, miseriæ & erumnarum plena, proinde non laude digna, non pretiosa, non amabilis; sed potiùs abominanda, & odibilis. Ita planè & *mors*, hisce duobus modis accipi potest. *primò*, respectu primi status, vt est contraria primæ innocentiæ vitæ, & sic dubio procul est odibilis, amara & abominanda, veluti quæ immediatè, ab inobedientiæ peccato primi hominis, totius generis nostri antiquissima stirpe processit. *Deinde*, respectu secundi status, quatenùs hominem secundâ vitâ miserâ, & calamitosa priuat; & ita sumpta mors

Mors in quo sensu à Deo collata & quomodò.

B est dulcis, amabilis, & desiderabilis, quia eam Deus eo fine contulit, vt à calamitatibus & miserijs mundi huius nos eriperet. Agnouit hoc Romanæ Cathedræ orator in Tusculanis inquiens: *Mors est portus malorum, perfugium ærumnosæ vitæ, & effugium miseriarum.* Non erat itaq; mors bona in statu innocentiæ, quia illam Deus non condiderat; sed postea in statu culpæ bona effecta est, imò multò melior, quàm vita secunda, quia Deus illam vult. Et licet non sit à Deo effectiuè, & causaliter; est tamen permissiuè, & occasionaliter. Vnde optimè concludit S. Augustinus: *Vocantur* inquit, *ante tempus boni, ne*

Mors nõ est à Deo effectiuè.

C *diutiùs vexentur à noxijs.* Quod comprobat S. Chrysostomus, mortem post peccatum considerans: *Mors* inquit, *est munus necessarium naturæ iam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potiùs amplectenda.* Et magis adhuc antiquissimus ille Poëta Æschilus elucidat: *Mors* ait, *felicior, & glorioſior est, quàm vita.* Mors igitur vestrum Augustinum immatura rapuit, eõ quòd optimus esset: quia talibus maximè insidiatur, cùm sciat rebus optimis maximè Deum recreari.

Deus in ordine ad suã ideam operatur optima.

Nam licet ille per comparationem, ad omnipotentiam, & actiuitatem suam, nunquàm possit facere aliquid optimum,

D seu tale, quo non possit quidpiam melius producere; per comparationem tamen ad ideam, ex qua operatur, semper facit optima, siquidem conformia optimæ ideæ suæ, iuxta illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, atq; eapropter sibi in illis nimiùm complacet. Dicite quæso, quidnam supremum, excellentissimum, & optimũ est in mundo? vno forsan ore fatebimini, esse hominem, approbante id, & exclamante alicubi Salomone: *Magnum quid est homo, & excelsum.* At inter ipsos homines quinam excellunt? equidem magnates, Principes, illustri loco nati, quibus omnes primas,

primas, primumq; dignitatis locum deferunt. Rursùs inter hos quinam super eminent? dubio procul primogeniti, & heredes, in quibus maximè illustrium hominum excellentia conseruatur, præsertim si virtutibus, & sapientiâ adornati sint. Hi sunt optimum in mundo, quod homines velut Deitatem quandam solent venerari. Sed tales quanto tempore durent, & quàm citò vitam finiant, loquatur vel me tacente, in hoc funebri sarcophago, defunctus hic Doctor, qui dum vix primos virilis ætatis annos attigisset, euanuit.

In quo mundo quidnam sit optimum.

Homo ex duobus laudem meretur.

Fuit igitur optimus defunctus Augu- B stinus, quod sic deduco. Duo solùm reperiuntur, quæ homini Christiano & apud Deum, & apud homines laudem comparant, eumque ad immortalitatis gloriam transferunt, nimirum *vox & calamus.* Ex his duobus magnus Rex, & Propheta Dauid, suam felicitatem iactat, Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Vbi de hoc potissimùm vnico gloriatur Propheta, quòd æterna illa Sapientia, linguam eius fecerit disertam: & inde triumphat, quòd tantam illi Deus sapientiam contulerit, vt suo calamo difficillima quæuis arcana Dei, ad memoriam posterorum transmiserit. Hinc C & ipsemet Ioannes Baptista, licet de sanguine Regum pariter & Sacerdotum procreatus, non nisi ex sola voce gloriari voluit: *Ego* inquit, *vox clamantis in deserto*, ita vt propter hanc solam vocem, Angelus à Domino vocari meruerit: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Matthæi 11. Quid aliud de vestro defuncto Doctore loquar? video illum pari passu processisse: non nisi ex lingua, & calamo, veram solidamq; famam sibi comparare studuit. Quæritis enim variarum scientiarum fructibus in Academia Zamoscensi, ad Cra-

Quis vitæ eius progressus.

couiensem properauit, illud forsan Abra- D hami Bsouij in Annalibus Ecclesiæ, præ oculis habens: *Si quem elegantioris conspicerent literaturæ, Cracouiæ eum verisimile est studuisse, nec quenquam solidâ existimarent sapientiâ, qui nunquam Cracouiensem videret Academiam.* Et quia Deus ad hoc vnicum ducit hominem, vt in hoc potissimùm enitatur, vt suâ doctrinâ Ecclesiæ prosit, Prouerb. 5. *Fili mi attende sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent.* Diuino huic consilio morem gerens, sacram vestram Religionem ingressus est, in qua vitæ probitate, humilitate, & mi-

ra austeritate, ad stuporem omnium vixit, & postea in Vniuersitate Patauina Doctor Sacræ Theologiæ creatus, & reuersus, publica professione, & rara in docendo subtilitate, ac facilitate per multos annos eandem exornauit. Quod funesta mors ipsi inuidens, & tanquàm optimo, ac in omnibus mores Deo gerenti insidias struens, illum ante canos annos rapuit.

Rem documento Scripturæ Sacræ comprobare licet. Promiserat Deus iustis in veteri testamento vitæ diuturnitatem. Exodi 20. *Honora Patrem tuum, &*

In nouo testamento mors immatura bonis in præmium cedit.

B *matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Hominibus verò probis in nouo testamento mortem immaturam minatur, Matthæi 10. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & tradent vos in tribulationem, & occident vos.* Quasi diceret Christus, propter mei sequelam, propter mandatorum meorum custodiam, omnium odia incurretis, varijs tribulationibus affligemini, ac demum, ad ipsam vsq; necem vos persequentur. Et vnde hæc noui & veteris testamenti diuersitas, cùm vnus idemq; sit vtriusq; Deus? vnde tanta in præmio contrarietas, vt ibi vita, hîc mors promittatur? causam non aliam reperio, C nisi quòd Patres veteris testamenti, è vita hac emigrantes, quamuis iustitiâ, ac sanctitatis laude claruissent, non statim cælum ingrederentur, cùm portæ regni cæleſtis, Christi sanguine nondum essent reseratæ; sed ad limbum, locum tenebrosum, in terræ visceribus constitutum, & inferno contiguum transirent. Ideo immensa Dei bonitas existimans meliùs esse illis, in hoc mundo viuere; quàm ad illa inferorum loca migrare, mandatorum suorum obseruatoribus, vitæ longæuitatem promittebat. At verò in nouo testamento, quia homines in gratia Christi morientes, statim ad æternam cælestis regni felicitatem migrant; ideò DEVS omnibus suis sectatoribus, & sanctissimarum legum suarum sanctissimis obseruatoribus, non vitam, sed mortem pollicetur, cùm hæc sit via, & ostium, per quod transitur ad æternam beatitudinem. Hinc in veteri testamento, mors sanctorum deploranda erat, Ecclesiastici 22. *Super mortuum modicum plora*; in lege verò gratiæ interdicitur luctus in funeribus sanctorum, Ezechielis 24. *Non planges, neq; plorabis, & mortuorum luctum non facies.* Quia statutum est semel mori, forsan eâ de causa, ne homo vitæ immortalitate in fastum erigeretur.

Cur in veteri lege iustis vitæ diuturnitas próiſſa fuit.

Triumpha-

Quare ſtatutum eſt omnibus mori,

Triumpharet quippè gloriabundus homo, & vltra Angelicæ eminentiæ ſortem, ſuam felicitatem iactaret, ſi quemadmodum animâ; ita corpore immortalis eſſet. Nam ſi Romanorum Imperatori plus præſtitit, qui flexibile vitrum obtulit; quàm qui de genuino auro ampla munera conflauit. Certè & puriſſimis illis ſpiritibus, tantò præſtantior eſſet homo, ſi corpus ſuum mortis dominio non ſubderet. Verùm ſi Herculi non plus vltra columnas terræ progredi licuit, & mortalium haud quenquam vltra anguſtæ ſpatia vitæ progredi licet. *Quia ſtatutum eſt omnibus ſemel mori*, vt quiſquis in lubrico terreni orbis globo lucem aſpexit, mortis falce proſtratus cadat. Quo edicto non potuit humano generi grauior clades contingere, cum ſumma felicitas creaturæ ſit, eſſe cum Deo; infelicitas verò maxima derelinqui ab eodem. Quod mortuis quadrare videtur, cùm ſe Deus ab illis ſubtrahat: *Ego ſum* inquit, *Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus Patrum veſtrorum; nõ eſt autem Deus mortuorum, ſed viuorum.* Quaſi Deus cum viuis duntaxat commercium habeat; cum mortuis verò diuortium. Verum, ſi Deus non eſt mortuorum, vbi quæſo mortui erunt? cùm ſine Deo nihil eſſe poſſit in rerum natura. Aut certè, ſi proteſtatur Deus, ſe eſſe Deum Iſaac, & Deum Iacob, quomodò non eſt Deus mortuorum, cùm & Iacob, & Iſaac mortui ſint? Mortem ſcilicet Deus hoc myſterio duplicem hominibus ob oculos ponere voluit, æternam, & temporalem. Proteſtatur ergo Deus, ſe eſſe Deum Iſaac, & Deum Iacob, quia licet hi mortui ſint; morte tamen non æternâ, quæ inter flammas infernalium cruciatuum hominem præcipitat, ſed morte temporariâ, quæ ad tempus ſolùm vitâ hominem ſpoliat, & quæ meritò ſomno ſimilis eſſe cenſetur. Nam ſicut ſomnus dimidium vitæ dicitur; ita mors temporaria, quæ non totam vitam adimit homini, ſed partem eius, nimirum vt mundo viuere deſinat, & incircumſcriptæ æternitati viuat. Non eſt ergo Deus mortuorum, id eſt, æternâ dormientiũ morte; ſed viuorum, qui ad tempus ſolùm quieuerunt, vt naturæ debitũ redderent.

Quomodò Deus nõ eſt Deus mortuorum.

Mors obequitat mundi plagas.

Sed ſciſcitabimini forſan, vnde tanta mortis acceleratio? vt vix quadrageſimum quidem annum ætatis, magno veſtro Doctori defuncto attigiſſe liceuerit? Cauſa eſt, quia mors velociſſimo inſidens equo, hominem inſequitur. Quamdiu mors pedeſter mundi plagas oberrabat, ad mille propè annos, aſcendebat humana ætas. *Et facti ſunt dies Mathuſale 969. anni, & mortuus eſt.* Genes. 5 ſed poſtquàm equum conſcendit, iam in dies ætas hominis abbreuiatur. *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors.* Et quis tàm celeri equo mortem funeſtam impoſuit? equidem impietas Caini, dum Abelem ad campeſtrem equitationem inuitaret: *Egrediamur* inquit *foras*, Genes. 4. Et ecce in illa equitatione, cùm venationi, & honeſtæ recreationi aliquantum indulgendum eſſet, addit ſacra pagina: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Nonne conſultiùs, & magis conſentaneum foret, vt mors omnes ſuas vires, neruoſq; intenderet in Adamum peccatorem; quàm in filium eius Abelem innocentem, & iuuenili adhuc ætate florentem? Quinimò reſpondet S. Cyrillus, ideò Abelem aggreſſa eſt, & primum impetum ſuum in eum fecit, quia iuuenis erat, & virtute, potiſſimùm iuſtitiâ eminebat: quaſi obſtringens ſe ad idem faciendum in alijs Abeli ſimilibus, qui ſunt iuuenes, & iuſti. *In Abelu morte*, inquit Cyrillus citatus à Staplet. Concl. 2. de gratia, *Mors oppignorata eſt, quaſi prius tranſmiſſa foret in eum, qui poſtea ſine culpa moreretur.*

Mors iuuenibus maximè inſidiatur.

Cuius rei pulchram figuram reperio in Scriptura Sacra, Iudic. 4. Deſcenderat fortiſſimus Samſon in Tamnata, cumque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, aggreſſuſq; eſt eum: *Irruit autem ſpiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerpens.* Poſt aliquot autem dies, eadem viâ rediens Samſon, volenſq; cadauer leonis videre; inuenit examen apum in ore leonis, & fauum mellis, quem cùm ſumpſiſſet, comedit, & gauiſus illud problema compoſuit. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Peregrinum ſanè ænigma, & ſuper totius naturæ ſpheram, ac limites, quia nunquam ſimile viſum in cadauere leonis. Myſterium tamen ænigmatis reſoluit Stephanus Cantuarienſis, in libro Allegor. *Hoc eſt*, inquit, *quòd Samſon in ore leonis mortui mel inuenit, & comedit, quoniam ſcilicet eius exemplo alij cautelam aſſumant.* Leo propter excellentiam roboris, & fortitudinis, eſt Princeps omnium animalium, & eorundem terror; mel verò ſymbolum ſapientiæ. *Primum*, in Prouerbiorum 30. capite habetur: *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.* Alterum habetur Ezechielis 3. *Factum eſt in ore meo, quaſi mel dulce.* Dedit ergo Deus Samſoni

Aenigma Samſonis quomodò intelligendum.

Samſoni mel in ore leonis demortui, vt hoc facto addiſcant homines, quomodò cautè viuant, neq; nimiùm de viribus humanæ fortitudinis, & robore virilis ætatis præſumant; ſed recogitent in morte robuſti leonis, nihil eſſe firmum, aut ſtabile in humanis rebus. Ille autem hanc verè Samſoni datam ſapientiam imitatur, qui homo natus, etiam inter quæuis fortunæ proſperioris dulcia blandimenta, fragilem & caducam, atque omnibus ærumnis obnoxiam, humanam conditionem in ſe recognoſcit. Quod his verbis concludit Plinius: *Is demum* inquit, vitam humanam æqua lance pulſabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit.

Mors diuturno exercitio agilis euaſit.

Fit itaq; iam mors in dies agilior, quæ in mundi exordio, primis illis ſeculis, erat nimiùm tarda, vt potè ſimilis nouello venatori, arcu, aut ſclopeto, venandi cauſâ ad ſyluas pergenti, qui initio, tanquàm in arte iaculandi rudis, & inexercitatus, plerumq; fruſtra iaculatur, antequam feriat auem, vel feram. Poſtea tamen continua exercitatione, ita expeditus in hac arte euadit, vt rarò, aut nunquàm arcum exoneret, quin deſideratum ſcopum contingat. Ita mors tot iam millibus annorum, venationem hominum, exercens, ad eam perfectionem venit, vt vno etiam ictu plures homines proſternat, milleq; modos, ac rationes, vitâ illos ſpoliandi habeat, iuxta illud ſtatij in Thebaide.

Mille modis lethi miſeros mors vna fatigat.

Quod præclarè elucidat D. Auguſtinus in ſoliloquijs: *Opportuna* inquit *mors, mille modis homines capit. Hunc namq; febribus, illum opprimit doloribus: hunc conſumit fames, illum ſitu extinguit: hunc mors ſuffocat aquis, & illum perimit flammis: hunc interimit laqueo, illum dentibus beſtiarum: hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit.* Et profectò excutite maiorum veſtrorum buſta, & per effæros Antiquorum cineres, ſcrutemini iſtius veritatis exempla, comperietis facilè, quàm varijs mortis generibus, viros etiam maximè illuſtres, & in toto orbe terrarum nominis ſui famâ celebres, mors funeſta ſuſtulerit. Empedocles, Hercules, Plinius, ignibus conſumpti ſunt. Policrates, Menippus, Gordianus, laqueo vitæ ſuæ finem impoſuêre. Æſculapius, Zoroaſtres, Antelemus, cadentibus è cælo fulminibus cæſi. Menander, Terentius, Marcus Marcellus, exiguo aquæ hauſtu interitum ſibi ad ciuêre. Curtius, & Torquatus Romani, viui à terra abſorpti ſunt. Elpenor, & Philoſtratus, ex altis rupibus

Varia mortis genera.

lapſi, inter mortales agere deſierunt. Æſchilum Philoſophum, teſtudinis animalculi viliſſimi, fortuitus lapſus ex aquilæ vnguibus ſuper caput eius cadentis, interemit. Euripidem Poëtam, Diogenem, & Heraclitum Philoſophos, canes morſibus enecârunt. Diomedem Regem, & Lucium Imperatorem, proprij equi dilaniauêre. Oreſten, & Cleopatram, aſpides, & venenati ſerpentes è viuis ſuſtulerunt. Baſilium Imperatorem ceruus cornu interemit. Seueurm Valentinianũ, & Iouinianum Imperatores, nimia crapula extinxit. Themiſtoclem, Anaxagoram Socratem, Demoſthenem, Alexandrum magnum, Annibalem Carthaginenſem Lucullum, & Diocletianum Imperatorem, venenum enecauit. Eriſthenes, Pauſanias, Ariſtõn Poëta, Thales, Ariſtharchus Philoſophi, miſerabili fame perierunt. Imò minimis etiam rebus crudelis, & effera mors, ad vitam mortalibus eripiendam vtitur. Tarquinius Priſcus exiguo piſcis oſſe inaduertenter deglutito, animam poſuit. Liuia Marci Aurelij Imperatoris filia, cuſpide aciculæ læſa expirauit. Rufinus Conſul dente pectinis in capite leuiter vulneratus, vitam amiſit. Sophocles, Soardes, Anacreon, vnius grani vuæ paſſæ incauta deglutione mortem oppetiêre. Fabio Prætori pilus, quem cum lacte epotauerat, vltimam vitæ periodum impoſuit. Verùm ſingulis percenſendis dies, & annus non ſufficerent.

Neq; mirum eſt, vitam humanam tàm exiguis armis ſuccumbere, cum ſit vanitati ſimilis, quæ tenuiſſimo auræ ſibilo diſſipari poteſt. Sic docet Propheta Pſal. 143. *Homo* inquit, *vanitati ſimilis factus eſt.* Quis autem vnquàm vanitatem durabilem ſpectauit? cùm nihil ſit in ſeipſa, & ſubitò euaneſcat. Imò quod magis ſtupendum, Diuinus Vates Hominem non ſolùm iam ſimpliciter vanitatem, ſed vniuerſam vanitatem nominat. *Vniuerſa* inquit *vanitas omnis homo viuens.* Et quomodò hoc ô magne Regum, & Prophetarum fieri poteſt, vt homo ſit non ſolùm vanitas, ſed vniuerſa vanitas? vtiq; homo animæ immortalitate, totum hunc mundum ſublunarem ſuperat? Angelis fermè coæquatus eſt? ad ipſius Dei ſimilitudinem, & imaginem exprimendam in ſe proximè accedit? Quid autem vanitati cum tanta præſtantia, commune eſſe poteſt? Audite quæſo myſterium: *Homo* (inquit S. Gregorius in homil.) *eſt aliquid omnis creaturæ, eſſe* quippè habet cum

lapidibus, viuere cum plantis, *sentire* cum animantibus, *intelligere* cum Angelis. Terram habet in carne, aquam in humoribus, aërem in anhelitu, ignem in calore, cælum deniq; in motu, & actionibus. Quia ergo in illis, quæ *esse* habent, quæ viuunt, quæ sentiunt, quæ intelligunt: quia in terra, aqua, aëre, igne, & cælis, est vanitas; ideo homo aliquid ex his omnibus includens, & totius vniuersi compendium, aut potiùs vanitatis complectens, meritò vniuersa vanitas in sacris literis appellatur.

Homo grãmaticè definitus,

Percurrite artes ipsas, vel scientias naturales, si placet, & facilè hanc ex illis veritatem elicietis. *Inprimis* enim Grammatica docet, *hominem esse nomen adiectiuum, & declinabile.* Adiectiuum nomen est homo, quia variantis instar lunæ, quæ nunc est luminis plena, nunc egentissima, vera inconstantiæ imago habetur. vt non immeritò respondeat, alto enthusiasmo depingens hominem, Lyricorum Poëtarùm summus Pindarus: *Vmbræ somnium homo est.* Quid hoc? si fumi vmbram dixisset, (quod alias de re inani in prouerbio est) vtiq; rei citò, dispereuntis, rem celeriter euanescentem indicasset? sed *vmbræ somnium*, quid rei quæso est? Profectò, Diuinus hic Lyricorum Poëtarum Princeps, ad rem vanam, vti vmbra est, apponens alteram longè omnium vanissimam, vt est *somnium*, quòd homo sit excellens, & accurata quædam, ac exquisita vanitas, diuinè mihi expressisse videtur. *Est nomen declinabile homo*, ob libertatem arbitrij, quo ceu arundo ventis agitata, nunc ad virtutes, nunc, ad vitia declinat. Hoc nomine intitulatur homo ab ipso Deo: *Declina à malo, & fac bonitatem.* Didicerat optimè hanc cælestem sapientiam Augustinus Zegart, declinare semper à vitijs, & generoso passu in arduam virtutem niti, vt prorsùs virtutem simul cum lacte imbibisse censeatur, dubium que sit, vtrum ætas, an virtus citiùs in illo adoleuerit.

Hominis Rhetorica descriptio.

Rhetorica quoq; tradit, *hominem esse orationem, cuius exordium est nasci, narratio dolor, confirmatio meliora sperare, epilogus mori, figuræ gemitus & fletus.* Circumquaque enim hominem ambiunt, atq; ingenti, & infinito agmine sequuntur morbi, ac omnes ærumnæ, & calamitates, vitæ humanæ tàm certa tributa; quàm reliqua omnia incertissima sunt. Quid ita? Homo certè vitam suam auspicatur à planctu, & lachrymis, atq; statim ab ortu, iacet manibus, pedibusque deuinctus plorans, vt hoc ipsum in pœnas, & ærumnas, hominem nasci argumento sit. Solus animalium homo, cibo maximè perit, & quod à natura datum est ad vitæ nutrimentum, hoc ille conuertit in vitæ suæ nocumentum. Solus homo vinum bibit, malorum infinitorum incitamentum; & licet vini vsum moderatum, naturæ humanæ amicum, iurè sibi vendicet; attamen; in quo nullum animal delinquit, solus homo vltra naturæ votum bibere potest. Solus animalium homo suas ærumnas, & calamitates prospicit, ac diiudicat; & præteritas recogitando, futuras expauescendo, ita præsentes exaggerat; vt memoriam, intellectum, prouidentiam, præclara, ac diuina bona, in sua damna, ac in suam perniciem detorqueat. Vni homini ambitio, auaritia, luxuria, immensa viuendi cupiditas insita est. Nulli animalium vita fragilior; at nulli omnium libido maior, vt dubium sit, cuius causâ, cætera omnia natura genuisse videatur, tot impedimentis obiectis, parens indulgens, an tristis nouerca homini extitit? Quocirca non frustra sapiens antiquitas, ob ærumnarum humanarum magnitudinem, in hac opinione fuit, *optimum esse non nasci, proximum quàm primum mori.*

Dialectica hominis descriptio.

Dialectica ad primam ratiocinationis notitiam veniens, hanc arguto entymemate hominis definitionem comprehendit. *Homo est breue entymema, pro consequente interitum, pro antecedente ortum habens:* neminem enim vsquàm nasci contigit, nisi quem mori restat. Ita sanè fluxam perpetuò temporis seriem ducimus, & in dies decrescentem cum annis ætatem lachrymamur. vt prorsùs vix tutius quid viuentibus cælum concesserit; quàm sæcula perpetuò incusare. Verùm, frustra succensemus fatis, & de rerum parente natura querimur: quia vitam non accepimus, sed fecimus infelicem, nec exiguum temporis habemus, sed multum perdimus.

Hõo physicè quid sit.

Physica subtiliùs iam naturam hominis speculando, concludit hominem nihil aliud esse, *nisi animal mortale*, imò partem exiguam terræ, quam mors sæpiùs depopulatur. Sic hominem appellat Deus Apocal. 5. *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eam, & data est illi potestas super quatuor partes terræ.* id est, super homines. Ecce quomodò mors insidet veloci, & celeri; antiquo tamen equo. Tertullianus autem obseruat, vocem hanc *pallidus*, ex græco significare *equum viridem.* Insidebat proinde

proinde mors equo viridi, ad denotandam velocitatem, & accelerationem eius, non solùm ad senes pallidos, iamq; exhaustos; sed etiam ad viros robustos, imò & ad iuuenes ætate florentes, & viridi robore vernantes. Obequitat ergo mors celeriter omnes terræ partes, scilicet orientem, occidentem, septemtrionem, ac meridiem, adeoq; ampla, & extensa est mortis iurisdictio, tàm sublimis eius potestas, ac imperium vt nemini parcat, nemini indulgeat: quinimò vbi videbatur aliqua ei posse inijci remora, scilicet in viris doctis, ibi tanquàm fulgur solet immanius sæuire.

Arithmetica definitio hominis

Arithmetica pariter non aliam hominis definitionem tradit, præter hanc, *Homo nihil valet.* Prima enim eius litera *H.* cum sit aspiratio, apud Grammaticos nihil valet. Altera *O.* apud Arithmeticos nihil valet, nisi significatiuo numero postponatur. Tertia *M.* apud Poëtas elidítur: vltima cum sit cifra, per se non subsistit, sicq; ex toto homine, non nisi nihil, & nihilum conficitur. Hic est homo, hæc hominis pompa, hoc omne eius satellitium est, *nihil & nihilum:* vt merito Salatinus Asiæ Imperator morti vicinus, inanitatem fortunæ suæ refutans, indusium funebre hastâ sublatum, per castra circumferri iusserit, & proclamari: Ex tantis opibus Asiæ se vnicum hoc tantùm secum efferre indusium. Nihilum equidem est homo, & à verò homine in fictum degenerans, qui solam mundi vanitatem spirat, teste Origene homil. 24. in numerum: *Qui* ait *interiorem hominem non excolit, qui virtutibus eum non instruit, moribus non adornat, diuinis institutionibus non exercet, sapientiam Dei non quærit, scientiæ scripturarum operam nõ impendit, hic non potest homo homo dici, sed homo tantùm, & homo animalis.* Quia ille interior sopitus in eo est carnalibus vitijs, & mundi huius curis, ac solicitudinibus obrutus; ita vt in eo, nec nomis eius haberi possit apellatio. Nihilominùs tamen, quisquis Deo vitam suam consecrat, eiusq; voluntati totum se conformat, hic de nihilo in verùm hominem transformatur, vt docuit Moyses votorum legem traditurus, num. 30. *Si quis* ait *virorum, votum vouerit, non faciet irritum votum suum.* Quod maiori cum emphasi transferunt septuaginta: *Homo homo, quicunq; votum vouerit Domino.* Vbi Origenes eum, qui vouet, bis hominem esse concludit, scilicet foris, & intus; externum, & internum; animalem, & spiritualem: *Cùm* inquit, *venitur iam ad ipsum profectum, vt vota A Domino efferantur, non sufficit iste exterior homo, sed ille interior. in illo namq; est habitaculum virtutum: in illo omnis intellectus scientiæ: in illo Diuinæ imaginis innouatio: quia cùm speciem suam, quã ex initio à Deo factus est, receperit, & virtutum reintegrationem, pulchritudinem priorem formæ receperit, tunc iam potest vota efferre Deo: & tunc tam non homo solùm, sed homo homo dicetur.*

Homo est occultus angulus.

Geometria quoque hominem occultum quendam angulum esse vult, ita vt Deus in paradiso, eum tanquàm angulum quæsierit, *Adam vbi es?* Quid ita? ergone Deum omniscium latebat, in quo loco absconderetur Adam? minimè sanè: sed B hæc est infelicitas peccatoris, quòd per peccatum, quasi per vmbram quandam densam ignotus reddatur, dum putat sua crimina Deo occulta esse: tunc enim fit, velut occultus quidam angulus, vt Deus eum, quasi exosum minimè velit intueri. Hæc dementia tenuit quondam illos seniores Israël, de quibus illa Dei ad Prophetam querimonia, Ezechiel. 8. v. 12. *Vides fili hominis, quæ seniores Israël faciunt in tenebris, vnusquisq; in abscondito cubilis sui: dicunt enim, non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram* Vbi, vt sibi libertatem peccandi assumerent, Deo videndi potentiam auferebant. Hanc planè à primo parente C Adamo insaniam hereditamus omnes, qui ne à Deo post peccatum videretur, in paradiso se abscondit, Genes. 3. Sed frustra, vt notat D. Gregorius, l. 22. Moral. cap. 3. *Adam* inquit, *in ea occultatione, non se Domino, sed Dominam abscondit sibi. Agit quippè, ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur,* Quare, qui Deum latere vult, similis est sthrutioni, qui teste Plinio l. 10. naturalis historiæ cap. 1. collum sub frutice occultans, latere totum corpus putat; & quia neminem videt, credit se à nemine videri. ô quàm tenebrosus es angulus ô homo, dum peccatis grauaris nec aliter de hisce Ægyptiacis tenebris D educi potes, nisi in circulum diducaris, Deum vbiq; præsentem tuo obtutui sistendo. Hoc consilium porrigit D. Augustinus serm. 46. de verbis Domini: *Ipse* inquit, *timendus est in publico, ipse insecreto, procedo? videris: lucerna ardet: videt te: lucerna extincta est? videt te: cubile intras? videt te: ipsum time, cui cura est, vt videat te, & vel timendo cautius esto: aut si peccaueris, quære vbi te non videat, & fac, quod vis.*

S. Ephræm meretricẽ conuertit.

Hac solertiâ olim B. Ephrem, meretricem sibi obuiam elusit, vt in eius vita ab Auctoribus Græcis, & anonymis scripta, eiusq; operibus præfixâ circumfertur. Cùm enim illa virum Dei ad turpitudinem

nem pelliceret; ille verò nescio, quem A natum pia quadam fraude simularet, statim meretricem ad prostibulum prouocantem, Ephrem potiùs ad communem circum,& publicum forum euocauit. Sed cùm illa refugeret communem lucem, & publicum conspectum, hominumq; oculos passim occursantium, opportunè monuit Ephrem, vt diuinos potiùs oculos refugeret,, ac trepidaret. Nam æque clam, ac palam; perinde in tenebris, atque in luce; non minus in secreto, quàm in publico omnia intuetur. Quo illa capta sancto dolo, non solùm à flagitiorum cœno se eripuit, sed etiam rebus humanis valere iussis, in monasterium perpetuò victura se inclusit.

Homo est alienæ rei possessio.

Iurisprudentia demùm, magis ad captum humanum, sic hominem definit: HOMO EST ALIENÆ REI POSSESSIO: possidet enim animam, quæ è cælo ortum suum trahit. Vnde, quia id, quod regium est, à nemine vsquàm potest vsu capi; ideò defunctus Augustinus, ne alienæ rei iniquus possessor haberetur, animam, quam velut concreditum pignus, ad tempus tantùm è manibus æterni Regis accepit, cælo reddere festinauit. Alienis siquidem depositis, non tàm diu; quàm potius benè vti oportet: quia dum mi- C nimè reris à te repetuntur. Scilicet æternùs ille legislator, summam potestatem, omneque imperium absolutum, transfudit in mortem, vt in vniuersa, quæ ambitu, complexuq; cælorum continentur, festinâ, & inexpugnabili sua licentia grassetur, atq; suam tyrannidem, cui nemo resistere potest, per omnia, quæ pendent à materia, dominantem exerceat, & vbiq; in omnibus bacchetur. Mors enim est mundi omnis inferioris inexorabilis tyrannus, mors omnium quæ ex elementis concinnata sunt, velut barbarus prædo mors ipsius archipirata hominis, vt cùm à rebus diuinis penitus D excluſa sit, & in ea, quæ ortum à cælo ducunt, ne minimum iuris habeat; in hominem Diuinitatis participem, quique mundi compendium existit quâ illius iuris est, dissoluta sua libertate, contumaciter abutatur. Quid autem hæc longè lateque dominans mors machinatur? quem ad finem collimat inuicta ista omniumq; victrix mortis violentia? vastitatem, ac ruinas vbiq; locorum efficere: mortalitatē, ac funera passim per omnia seminare; hoc perenne propositum, istud insatiabile desiderium mortis est.

Mihi autem nemo forsan succensebit,

Aetates hominis sex.

si his omnibus benè ponderatis, hominem etiam inter mortales agentem, magis mortuum esse dixero. Nam iuxta sapientum sententiam, septem hominis ætâtes esse, neminem vestrum latere potest. *Prima est infantia*, quæ ad octauum vsque annum se protendit. *Altera pueritia*, ab octauo ad decimum quintum. *Tertia adolescentia*, quæ à decimo quinto ad vigesimum secundum. *Quarta iuuentus*, quæ à vigesimo secundo ad trigesimum. *Quinta virilis ætas*, quæ à trigesimo ad quinquagesimum. *Sexta senectus*, quæ à quinquagesimo ad sexagesimum. *Septima ætas decrepita*, quæ à sexagesimo vsq; ad finem vitæ protenditur, iuxta numerum dierum à Deo vitæ humanæ præscriptorum. *Anni eorum erunt septuaginta, si autem in potentatibus, octuaginta, amplius verò labor, & dolor.* Quis autem non videt, iuxta harum ætatum in homine defectum, deficere quoq; vitam illius. Quippè ista ætatum defectio, nihil aliud est, nisi mors, ex vnanimi Philosophorum assensu, quæ consistit in priuatione vitæ.

Excessit infans septimum ætatis annum, iam vnam ætatem, videlicet infantiam mors in illo absumpsit. Prætergressus est puer annum decimum quintum, C iam duas ætates, infantiam, & pueritiam mors in illo depasta est. Adimpleuit adolescens annum vigesimum secundum, tres in illo ætates, infantiam, pueritiam, adolescentiam, verè mortuas habemus. Attigit iuuenis trigesimum annum, en statim quarta iam ætas, scilicet iuuentus mortis falce prostrata cadit. Absoluit postmodùm annum quinquagesimum, & subitò quinta ætas virilis in illo extinguitur. Quod si superauerit annum sexagesimum, iam ad portum accedit, sexta ætate senectutis spoliatus. Vltimò ætas decrepita illi viuenda restat, sed & hæc satis incerta, cùm diem & horam, D quâ moriendum sit, nemo sciat. vt proinde merito homo de sua misera, & infelici conditione, erubescere, & confundi debeat, ipso grauissimo morum castigatore Seneca, vnumquemq; ad id impellente. *Mors* inquit *infantiæ est pueritia, mors pueritiæ est adolescentia, mors adolescentiæ, est iuuentus; mors iuuentutis est virilitas, mors virilitatis est senectus, mors senectutis est, decrepitas, decrepitatis est ipsa mors.* Cuius aureæ sententiæ meritò nos adiungere possumus: *& mors mortis est vita æterna.* Mors enim apud eos, qui in via mandatorum Dei incedunt, verè non potest appellari mors, sed potiùs transitus ab ærumnosa, & misera

fera hac vita, in aliam longè beatiorem, A vt fatetur S. Rex Dauid Psal. 45. *Transibo* inquit, *ad locum tabernaculi admirabilis vsq; ad montem Dei*, id est, ad cælum, vbi est vera gloria, & vita felicissima.

Homini reè viuenti nulla mors mala.

Et profectò homini Christiano rectè viuenti, nulla mors mala esse potest, iuxta illud D. Augustini: *Non potest malè mori, qui benè vixerit.* Quæ enim mors homini ex præscripto vitam suam instituenti, mala euenire potest? An illa, quæ hominem maligna febri extinguit? minimè: nam ista febris est illi clauis, portas regni cælorum referans. An illa, quæ intolerabili dolore corporis, aut membrorum, B hominem interimit? minimè: nam dolor iste est illi malleus supernæ ciuitatis portas feriens, illiq; aditum ad beatarum mentium domicilia patefaciens. An illa, quæ hausto toxico vitam homini aufert? minimè: nam illud venenum est illi præuia quædam ad cælestes nuptias præparatio. An illa, quæ tyrannide hostium, igni & ferro sæuientium trucidat? minimè: ferrum enim illud sternit illi semitam ad regnum cæleste. An illa, quæ hominem ferreo globo traijciens, prosternit? minimè: vtique tormentum hoc, munitissima cælestis Hierosolymæ mænia deijcit) quò facilius illuc ingredi C ter bonus Christianus, vt neq; vitæ huius valeat. An illa, quæ hominem aquis præfocat? minimè: aquæ enim istæ nauiculam hominis, vnico momento in tranquillissimum æternæ securitatis portum transferunt. An illa, quæ hominem flammis exurit? minimè: ignis enim iste, est cuniculus velocissimè hominem in cælum eijciens. An illa, quæ viuum hominē cum morruis tumulat? minimè: foueæ enim istæ subterraneæ, sunt illi portæ, per quas ad beatificam illam visionem, quàm citissimè ingrediatur. An illa, quæ hominē in patibulo, laqueo suspensum enecat? sed neq; hæc mala est: quia iste laqueus super omnes cælos in ictu D oculi subleuat. Illane demùm, quæ hominem in minutas partes dissectum, forficibus candentibus exustum, aut capite plexum, per incognitum iustitiæ occidit? sed & hæc mala esse non potest: nam istæ secures, isti forcipes, sunt instrumenta vno impetu, cælestis paradisi portas effringentia, & referantia, vt eas ingrediens, ibi sempiternâ, & tranquilla felicitate perfruatur. Proinde verissimum est D. Augustini effatum: *Non potest malè mori, qui benè vixerit.*

Ex his iam facilè conijcite, quid de morte vestri Doctoris sentiendum sit?

Tota vita discendum est mori.

qui vitam suam ad virtutis, & honestatis normam semper dirigebat, nihil magis in tota vita sua; quàm probè viuere, & mori discendo. illud Senecæ naturalium quæstionum consilium arripiens: *effice tibi mortem familiarem cognitione, vt cùm fors tulerit, possis illi etiam obuiam exire.* Et certè, si viator, vt itineris molestiæ suaues illi esse videantur, respicit ad hospitium, in quo lassatum corpus eius quiescat: seruus anni decursum, quo suorum obsequiorum mercedem sumpturus est: miles mensis euolutionem, quo stipendium accepturus est. Agricola tempus mensis, quo suorum laborum fructus collecturus est. Mulier grauida nouum mensem, quo fœtum in lucem editura est. Nauarchus portum, inquo lucra nauigij recepturus est. Et ideo viator, vt viæ molestias, & difficultates non metuat, canit hospitium: seruus vt grauitatem seruitutis non sentiat, canit mercedem: miles vt vulnera, & hostile ferrum non perhorrescat, canit prædam, & triumphum: agricola vt labores, & sudores in excolendis agris non sentiat, messem fertilem, & vberem canit: mulier vterum gestans, vt grauedinem suæ parturitionis non percipiat, canit partum. Sic pari-

Mortem fibi familiarem fecit.

Quid aliud vester defunctus Doctor latrones secum crucifixos pro socijs, fel & acetum pro potu, lachrymas quas vbertim fudit, & vocem validam, quâ spiritum Patri commendans, exclamauit. Ita defunctus Augustinus Zegart, primùm se collocabat in lectulo crucis per contemplationem, id est, conuertebat oculos suos ad Christum crucifixum, & asperum eius lectum, in quo sui causâ benignissimus Saluator nudus pependit, attonitus intuebatur. Postea reclinauit se super clauorum puluinaria, id est, ad clauorum illorum, qui manus, & pedes Christi penetrârunt, attentam contemplationem faciebat. Fuit illi cælū pro lecti papilione,

pillione, scilicet firma spes in Deo posita. Pendebat inter duos latrones, secum cruci affixos, nimirum inter peccatum, quod super omnia detestabatur, & inter mundum, quem & omnia, quæ eius sunt, toto corde abnegauit. Fuit illi fel, & acetum pro potu, id est, memoria pœnarum, quas illi patiuntur, qui in Dei gratia emori non student, atq; omnium sensuum, & appetitionum perfecta mortificatio. Fuit illi pro lachrymis, pro leuissimis etiam culpis, ex fragilitate in Deum commissis, arcta pœnitentia. Fuit denique vox valida, quâ Deo in humilitate spiritum suum, sacramentis benè priùs munitum commendabat.

O funesta mors, quomodò in virum hunc tanto agmine stipatum, impetum facere verita non es? Quomodò tibi summa vitæ eius probitas, & puritas obstaculo non erat? si te vigilantissima eius Dei mandatorum obseruantia, non retardauit, si assidua cælestium mysteriorum contemplatio non obstitit, saltem Religiosissimæ huius Familiæ, sanctitatis, & omnimodæ perfectionis laude, à prima origine Ecclesiæ Romanæ, vbiq; terrarum conspicuæ, respectum habere potuisti, ne tantum decus eriperes; ne tam potentem columnam, quæ Ecclesiam Catholicam, & Religionem sanctam in dies, magis ac magis fulcire debuit, ita inopinato, & fortuito gressu veniens prosterneres. Quòd si neq; hoc tuum impetum sistere potuit, quomdò profundissima tanti Doctoris sapientia, irritos tuos conatus non reddidit? cùm & ipsemet Deus virorum literatorum, immaturas mortes ægrè ferre videatur. Isaiæ 33. *Vbi est* inquit, *literatus? vbi legis verba ponderans? vbi Doctor parvulorum.* In Hebræo autem legitur pro Doctore, *numerator turrium*: quia iuuentus tàm Religiosa; quàm sæcularis, à magnis Doctoribus ad pietatem, & doctrinam exercitata, atque edocta, quasi turres Reipublicæ, & Ecclesiæ defendendæ fiunt. An igitur nesciebas crudelis mors, hanc columnam principibus, sacerdotibus, & populis, ad crudiendum, ab ipso Deo expositam fuisse? vt cæco impetu funestam tuam faIcem, ad eam allideres, atq; non sine omnium luctu, & lachrymis prostratam relinqueres. Sed audite mysterium: Mors ab orbe condito sapientiæ bellum indixit, & idcirco hucusq; semper illam omni conatu insequitur. Quod documento Sacræ Scripturæ palam fiat.

Motiuum diabolicæ in Deum rebellionis, describens Scriptura Sacra, Ioan. 8. dicit: *Ille homicida ab initio erat, & in veritate non stetit.* Cùm enim adhuc Angeli essent in via, neq; Dei essentiam viderent, proposuerat eis Deus mysteria, omni creaturæ ad salutem simpliciter necessaria, nimirum mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, quòd scilicet æterna sapientia carnem assumptura esset, & in terris cum hominibus conuersatura. Quo cognito Dæmon, inuidere cœpit homini eam felicitatem, indignum ducens, vt in tàm vilissimo ergastulo, luteo vase in corpore humano, illa incomprehensa sapientia habitaret. Quærebat itaq; omnes modos, quomodò exosam diuinæ sapientiæ reddere posset humanam naturam; sed cùm id efficere non valeret, videns indissolubile iam vinculum inter Deum, & hominem factum esse, odio plus quàm Vatiniano persequitur vitam hominis. Quòd si magnæ eruditionis aliquem viderit, mille telis eum adoritur, eò quòd nihil magis; quàm sapientiam homini inuideat.

Agnouit in vestro defuncto Doctore, profundissimam sapientiam, per quam in dies magis, ac magis accedebat ad Deum, idcircò mortem, quam per peccatum in mundum introduxit, stimulabat, vt omnem conatum in corpus defuncti Doctoris vestri conuerteret, eumque quantocyùs tolleret è viuis. Reuertitur ergo iam spiritus ille in angusto corpore augusta quærq; penetrans, ad Deum, à quo originem suam traxerat. Reuertitur ad terram corpus, de qua sumptum fuit, vt legi naturæ satisfiat, quæ vnamquamq; rem in eadem principia vult resolui, ex quibus constat. *Tum*, vt immutabile illud diuinum decretum: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reuerteris*, impleatur. Nihilominùs tamen fama eius virtutum, & sanctitatis manebit æterna, eiusq; profunda sapientia typo, & calamo perennatura est: *Quia non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes.*

TEMPO-

TEMPORE IVBILEI SANCTI.

CONCIO.

Vox Domini ad ciuitatem clamat, & salus erit timentibus nomen eius. *Matth. 6.*

TErribilis quondam vox Dei nostri, ad potentes, opulentas, & magnas ciuitates fiebat, dùm Ieroſolymæ annuntiaret futuram desolationem Lucæ 19. *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Dùm insolentibus Niniuitis imminentem propone ret euersionem. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Dùm Babyloni minitaretur interitum: Isaiæ 14. *Perdam nomen Babylonis*: vt scilicet, iram Dei expauescentes peccatores, faciliùs ad amaram flecterentur pœnitentiam. Hanc rationem assignat Doctor Gentiũ, ad Ephes. 5. *Efficacissimum remedium arbitratus sum peccatoribus, vt ad pœnitentiam redeant, ante illorum faciem ponere terribilitatem, & horrorem iracundiæ Dei.* Siquidem irâ Dei castigati mortales, citiùs vitam emendant; dissimulante autem Deo, deteriores euadunt, teste S. Augustino lib. 4. de doctrina Christiana: *Pleroſq; incredulos, miserisordia Dei patientia longa, facit peccare intrepidos: quia Deum non arbitrantur peccatorum suorum vltorem.* Et licet inter Theologos acriter controuertatur, vtrum in Deo sit ira: quidam enim negant, ex hoc fundamento: quia in Deum nulla passio cadit. Atqui ira est quædam passio: Ergò in Deum non cadit. *Tum* ex eo quia omne peccatum remouetur à Deo; ira autem est vnum ex septem vitijs capitalibus. Sed respondet S. Th: 1. parte q. 20. & S. Bonauentura in 3. sent. dist. 33. quòd quandocunq; aliquid dicitur de Deo, quod in nobis denotat passionem, *de Deo dicitur secundùm effectum, & non secundùm passionis defectum.* Proinde odium, amor, ira, & similia, quæ in nobis sunt passiones, in Deo dicuntur secundùm effectum quoad nos, vt tunc dicatur odisse, cùm effectum odij nobis exhibet: tunc irasci, cùm nobis effectum irati hominis ostendit; ipse tamen Deus stabilis manens, sine passione est. Et certè dari iram in Deo, auctoritas Scripturæ Sacræ conuincit, Exodi 13. *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos.* 4. Reg. 22 *Magna Dei ira succensa est contra nos.* Ephes. 5. *Venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Licet ergò Deus sit clementissimus; sine tamen sui mutatione, à sine passione, sine peccato, exigente suâ iustitiâ irascitur. Sæpè obstinatos peccatores in ira conculcans, quando illis effectus iræ demonstrat. Vox ergo Domini ad te ciuitas Cracouia clamat nunc, plange, ne propter obstinationem tuam in te desæuiat ira Dei, & timendo, ne iterùm te atrociùs puniat, lachrymis pœnitentiæ veniam tuorum peccatorum postula: *quia salus timentibus nomen eius.* Quia iam suos thesauros diuina bonitas his temporibus tibi communicat, quibus dotatæ animæ vestræ, in gratia sancta renouentur. Sic enim pollicetur Deut. 28. *Aperiet Dominus thesaurum suum.* Hunc itaq; thesaurum, ex quo salus in timentes nomen Domini descendit, vobis hodiè monstrabo.

Duplicem esse thesaurum, videlicet terrenum, & cælestem, ex sacris literis compertum habemus, terrenum prohibuit Deus homini. Matth. 6. *Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.* Et quidem meritò, quia thesaurus terrenus, ex rebus contemptibilibus, & corruptibilibus còaleſcit: constat enim aut auro, & argento, quod ærugini subiacet: aut lapillis, & gemmis pretiosis, quæ furibus patent. Vt ingeniosè enucleat Author imperfectus, in cap. 6. Matth. *Omnia* inquit *bona mundi, tripliciter tollit interitus, aut enim à semetipsis veterascunt, & tineant, sicut vestimenta; aut ab ipsis dominu luxuriosè viuentibus comeduntur; aut ab extraneis, vel dolo, vel vi, vel calumnijs, vel alio iniquo modo diripiuntur, quia per iniquitatem festinant aliena facere sua.*

Sed, demus etiam, aurum & argentum, non subiacere ærugini, vestes à tinea non consumi; nondum tamen thesaurus securus manebit à luxurijs, ab ebrietatibus, à lauto victu. Sistite vobis ante oculos, illum diuitem stultum, qui Lucæ 12. dicebat: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos.* En thesauri reconditi, & absconditi, ac summis laboribus accumulati, imò & summâ diligentiâ custoditi. Quid ergò, nunquid iam securi? Audite quid sequitur? *Comede, bibe, epulare.* En demolitio, quàm vlti-

ma

Lucæ 19.
Isaiæ 14.
Ad Ephes. 5.
Deut. 28.
Matth. 6.
Author imperfect.
Lucæ 12.
Odiũ amor, & ira quomodò Deo attribuuntur.
4. Reg. 22. Ad Ephes. 5.

ma pernicies mox subsequitur, Luc 12. *Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam.* Ponderate ista verba, *hac nocte*: ex quibus conijcio, Deum ipsum custodiuisse hunc dinitem, plurimisq; bonis ditasse, vt suam longanimitatem probatam faceret, ait S. Basilius. *Non facturi quidem ex vbertate fructuum aliquid boni, vt magu diuina longanimitas pateat, quæ vsq; ad malos suam bonitatem ostendit, pluens super iustos, & iniustos.* At, quid ex hac fructuum vbertate subsecutum est? supinitas in bono, imò & infidelitas: quia enim non puniebatur à Deo, reputabat Deum non videre mala hominum opera, concludit S. Ambrosius: *Supinabatur sæcularium abundantiâ rerum temulentus, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppetebant, & conscius impietatis suæ, cuius pœna sequestrabatur, putabat, quòd Deus impiorum scelera non videret.* Egregiè sanè: ex pœna sequestrata, dum succrescentibus peccatis impij non puniuntur, ad eam deueniunt stoliditatem, vt Dei patientiam, dicant inscientiam; & ideò Deum non punire, non quia tolerat, sed quia non videt, arbitrantur. Verùm ecce ille stolidus diues, & infidelis peccator quia talia de Deo sentire præsumpsit, illicò sententiam incuitabilem audiuit, *stulte hac nocte*, non cras, non post annos, ac fructus consumptos, sed hac nocte, quia ingratus, quia indignus erat, vt ampliùs viueret. Cuius ingratitudinem ita perstringit S. Basilius: *Quæ verò sunt, quæ hic homo factori recompensat, non meminit communis naturæ, nec arbitratus est oportere, quod superfluit dispensare egentibus, horrea crepabant; auarus autem animus nequaquam implebatur.* Moxque concludit: *Audi conueniens tibi stultitiæ nomen, quod tibi nullus imposuit hominum, sed Deus, hac nocte, &c.* Terribilis profectò sententia, non homo, sed Deus ipse, diuiti stultitiæ nomen imposuit, quia sibi ipsum Deum immediatè puniturum reliquit. Vt hinc expauescant diuites, & auari, quia bonis à Deo sibi amplè concessis, stultè, & sine eius timore vtuntur, dumque ex beneficijs acceptis ampliùs reddere debeant, steriliores ex illis efficiuntur, ac ideò in amplius, acrius acceleratiusq; Dei iudicium incidunt. Sed absit & hoc, sit homo ita miser, vt potiùs mori velit, quàm opes effundere, nunquid iam securus erit thesaurus? minimè: Absconde thesauros tuos subtus terram, sepeli in imo, repone in profundo, nemo sciat, non vxor, non filius, non famulus; scito tamen, quòd aures non effugiet regis: quia priuilegium est hoc regale, vt ex imis odoretur aurum. Cùm ergo mundi thesaurus, nullibi securè asseruari possit, idcircò meritò prohibetur hominibus.

At verò cælestis thesaurus, solicitè quærendus mandatur, Matth. 6. *Thesaurizate autem vobis thesaurum in cælo.* Quem locum sancti Patres, communiter exponunt de eleëmosyna, per quam in cælo per manus pauperum thesaurizatur. Sic censent S. Chrysosthomus, Cyprianus, & Author Imperfectus. *Quid ergo melius est, an super terram reponere, vbi incertus est conseruationu euentus, an in cælo, vbi est certa custodia; quæ autem stultitia est, illinc relinquere, vnde exiturus es? & illuc non præmittere, quò iturus es? illic ergo substantiam tuam congrega, vbi patriam habes.* At verò Sanctus Augustinus, D. Thom. & Caietanus, per thesaurum, intelligunt opera bona, & sancta: *non in aliquo inquiunt loco corporali, sed in cælo, id est, in spiritualibus bonu, abundantiam bonorum meritorum acquirite.* Egregiè sanè: cælum est Ecclesia sancta, quæ frequenter in sacro Euangelio, nomine regni cælorum intitulatur: in hac Saluator noster, tanquàm in Republica ordinatissimâ, thesaurum tempore necessitatis egentibus distribuendum, asseruauit, id est, Iubileum sanctum, in quo peccatoribus summè diuinâ gratiâ egentibus, plena peccatorum remissio, & quoad culpam, & quoad pœnam conceditur. Sic habetur in Extrauag. *Vnigenitus*, de pœnitentia, & remissione. Vbi dicitur: *Ecclesiam militantem, ex effusione sanguinis infiniti valoris Christi Domini, thesaurum acquisiuisse.*

O verè ineffabilis thesaurus, quem Paulus 11. in sua constitutione, quæ incipit: *ineffabilis prouidentia*, vocat, *annum plenariæ remissionu, & gratiæ, ac reconciliationu humani generu.* Alexander VI. *annum remissionu, & gaudij, ac reconciliationis, humani generu pijssimo redemptori nostro appellat.* Quia nomine *Iubilei*, D intelligitur gaudiũ, & lætitia vniuersalis, eò quòd tunc fideles Christi, recipiant peccatorum commissorum plenissimam remissionem, sine magno labore, per applicationem factam à Pontifice, meritorum Christi, & Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ conseruantur. Copia autem huius thesauri, superexcedit quasq; cunq; pœnas hominibus debitas: quia præstantia & excellentia sanguinis Christi, tanta est, vt minima eius gutta sufficientissima fuerit, ad delenda totius mundi peccata, pœnasque illis debitas. Proinde nunquàm per indulgentias, potest. exhauriri Christi satisfactio, cùm sit valoris

Matth. 6.

S. Chrysost. Cyprianus Author imperfectus.

Iubilei encomia.

Per indulgentias non exhauritur Christi satisfactio.

valoris infiniti, ex infinito autem quantumcunque acceperis semper restat aliquid accipere, & nunquàm idem.

Quia itaq; Christus ad hoc venit, vt homines remissionem, & indulgentiam spiritualium debitorum, id est, peccatorum recipiant, ideò ne eius intentio, *quâ vult omnes homines saluos fieri*, frustretur suo fine, thesaurum hunc desiderabilem, plenarium indultum nobis hisce diebus aperit, vt ex illo abundè Dei gratiam hauriamus, læsamq; per peccatum amicitiam, cum Deo renouemus. Cæterùm ex hoc aperto thesauro, quisquis recipere vult bona spiritualia, priùs se per B bona opera disponere debet. Primùm opus bonum, debet esse deuota. Ecclesiarum visitatio: consentaneum quippè est; vt ad consequendum fructum passionis Christi, & ad diuinas largitiones, quæ hoc tempore instar fluminis copiosi, lætificant ciuitatem Dei, honestè, congruenterq; impetrandas, summa cum deuotione populus fidelis accedat. Hinc Propheta Domini, ad feruenter orandum, ad decantandas Dei laudes, & gratiarum actionem faciendam, maximè tempore Iubilei excitat populum, Psal. 147. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Quia tempore Iubilei sancti, fortissimis vndiq; præsidijs, Deus regna Catholica fulcit. *Quoniam* inquit, *confortauit seras portarum tuarum.* Quia tempore Iubilei sancti, pacem & concordiam inter regna, & Principes conciliat: *Qui posuit fines tuos pacem.* Quia tempore Iubilei sancti, spirituali alimonia suos fideles abundantissimè, & delicatissimè pascit: *& adipe frumenti satiat te.* Quia tempore Iubilei sancti, candido amictu veros pœnitentes adornat: *dat niuem sicut lanam.* Hoc est, ex peccatore scelerum frigore gelido, feruentissimum facit sui honoris zelotem, vt in posterum non solùm igne charitatis ardentissimè erga Deum flagret, D sed etiam eodem igne alios frigidos calefaciat, imò ardere faciat. Sic exponit D. Augustinus. *Quid est* ait, *ex niue vestem laneam efficere, quàm de istu adhuc incredulu, & frigidu spiritu, vestem charitatu,, & pœnitentiæ, alijs efficere.* Dat ergo niuem sicut lanam, id est, ita niue solet calefacere, ac si esset lana, contrarijs medijs, ac sibi repugnantibus, ad finem præfixum, nostram conducens salutem. *Per niuem* quippè, *& lanam*, cum Incognito, statum leuiùs peccantium intelligere debemus: *Per frigiditatem niuis, intelligę statum peccantium*, ait Incognitus, *quo charitas frigescit; per albedinem verò lanæ, quâ puritas significatur, intellige sanctos.* Dat proinde Deus, id est, assumit sibi niuem peccatorum, sicut lanam, ac si esset lana, ijdem scilicet peccatis suâ bonitate, ac opificio se vestiens: *Refrigescente charitate*, ait Augustinus; *humana natura vt nix facta est, sed de istu adhuc frigidu fit tunica Christi, sine macula, & sine ruga.*

Primũ opus ad consecutionem Iubilei necessarium.

S. Augustin. D Thomas. Caietanus.

Psalm. 147.

9. August.

Imò, quod magis admirabile, non solùm illis se vestit, sed etiam ex durioribus ampliùs obstinatis peccatoribus, suæ membra facit, addit Psalmista: *Mittit crystallum suam sicut buccellas.* Et quid crystallus, quæ est glacies indurata, nisi duros, obstinatosq; peccatores designat? *Quid sibi vult crystallùs*, ait D. Augustinus, nisi duros, & obstinãtos peccatores significare? Quid ergo de istis misericordia diuina efficit? non quidem vestem suam, sicut de alijs, qui sunt communes peccatores; *sed de istu duru*, ait Augustinus, *facit membra sua, & vtiliùs ad alios pascendos.* Quasi diceret, non solùm vult eos saluos fieri; verùm etiam, vt ex redundante gratia, & alios secum saluent, in ipsa eorum duritate, altitudinem suæ bonitatis; ac magnificentiæ affigens, sic vt dum peccans quis, contra Deum se erigit, Deus quoq; in ipsum, ille persequendo, Deus obsequendo.

Ponite vobis ante oculos Saulum adhuc iudaisantem, & quæ de eo dicat Scriptura Sacra, auscultate: *Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædu, in discipulos Domini, accessit ad Principem &c.* Actor. 9. num. 1. Quid illud *adhuc*, nisi quia nondum exsatiatus nece Stephani, & aliorum Christianorum virorum, ac mulierum, quos trahebat ad vincula, & tribunalia, tanto furore, & ardore, vt totam deuastaret Ecclesiam, ibidem cap. 8. n. 3. *Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam*; his tamen non satiatus, ampliùs insaniens, pro nihilo prorsùs reputans, si solùm in Hierusalem, nisi etiam extra illam, imò extra ipsum regnum duriora patraret. Vnde vt extensiùs sæuiret, in Damascum, Syriæ caput, quinquaginta & ampliùs ab Hierusalem distans leucis, ire pergit, vt ibi occidat, obtruncet Christianos, ac per ipsos Christum, ex naribus, ex oculis, ex ore totus spirans minarum, & cædis. Vidistisne aliquando crystallum, magis duram? hominem ampliùs crudelem? leonem in Christum ampliùs ferocientem? Et tamen eodem passu, quo Saulus contra Christum, eodem Christus in Saulum properauit, ille persequens,

iſte obſequens; ille vt occideret, iſte vt sanaret. Saulus in Damaſcum diſceſſit contra Chriſtum, & Chriſtus eodem momento corporaliter è cælo deſcendit, ipſum deſerens cælum pro Saulo, vt docet S. Thomas 3. p. q. 57. ar. 6. ad 3. Saulus in Damaſcum ad vinciendos Chriſtianos in mortem, Chriſtus in terram ad vinciendum Saulum in vitam; Saulus perrexit in Damaſcum, vt Chriſtũ ligaret, occideret, & mactaret; at Chriſtus eoſdem Sauli greſſus direxit in Damaſcum, vt ibi eum ſupremum conſtitueret Apoſtolorum, & Gentium Doctorem, vas electionis, ac Principem in cælis. O qualis A eſt hæc Dei infinita bonitas! qualis hæc ſuper excedens eius miſericordia! vt ex tali cryſtallo, peccatore maximo, ſic indurato, talem faceret adamantem, Dei digito dignum, ipſamq; duritiem, quæ contra ipſum pugnabat, ipſam inquit totam, in beneficium verteret Pauli. *Fuerunt multi*, inquit S. Auguſtinus, in hunc Pſalmi locum, *ita duri, & obſtinati, vt non iam niui, ſed cryſtallo comparandi, & ipſi etiam prædeſtinati ſunt, & vocati, & quidam eorum, ita vt paſcerent alios, & eſſent vt lex alijs, ex quibus vnum per multos notiſſimum illum Paulum intueamur, ecce cryſtallus erat Paulus, & obſtinatus contradicens veritati, clamans aduerſus Euangelium, B tanquàm durus aduerſus ſolem, & fortè cæteris durior.* Et nihilominùs cùm talis eſſet, cryſtallus, factus eſt buccella panis alios paſcens, ſuſtentans verbo doctrinæ, & exemplo vitæ. Quis hoc efficere poſſet, niſi illa Dei ſumma, ac omnipotens bonitas, mittens cryſtallum ſicut buccellas; ex peſſimis, & iniquis peccatoribus, ſanctiſſimos efficiens, & vaſa contumeliæ, transformans in vaſa gloriæ, idq; non alijs, ſed ipſis medijs, quibus ipſi contra illum vſi ſunt.

Alterũ opus eſt confeſſio ſacramentalis.

Alterum, illudque præcipuum opus, quo vos ad participationem huius theſauri diſponere debetis, eſt emundatio C conſcientiæ à peccatis mortalibus, per confeſſionem ſacramentalem: quia plenaria remiſſio peccatorum, non niſi verè pœnitentibus, & confeſſis conceditur. Inde homo exiſtens in peccato mortali, nullo modo poteſt conſequi indulgentiam pœnæ temporalis, quia homo in peccato mortali exiſtens, non poteſt exercere aliquod opus meritorium gratiæ, & ſatisfactorium pœnæ, cum pro eo ſtatu ſit Dei inimicus, & per hoc indignus factus, vt remiſſionem pœnæ temporalis obtineat. Et ratio manifeſta eſt, quia per Iubileum, ſiue indulgentiam, non

Per indulgentiam nõ remittitur peccatum,

remittitur peccatori culpa mortalis, aut venialis, cùm indulgentia non ſit Sacramentum remittens peccata ex opere operato, ſed tantùm remittitur pœna peccatis commiſſis, & per Sacramentalem confeſſionem expiatis, debita; ideò neceſſe eſt, vt homo volens conſequi indulgentiam, pœnæ temporalis, priùs in confeſſione abſoluatur a culpa, & ſic in gratia exiſtens, conſequatur indulgentiam pœnæ, quæ luenda remanebat, vel in hoc ſeculo, vel in purgatorio, poſt mortem.

Per indulgentiam ſolum remittitur pœna peccatis debita.

Neq; obſtat, quòd in Clementina prima de indulgentijs dicatur: *Concedimus plenariam indulgentiam pœnæ, & culpæ.* Hinc enim non ſequitur per indulgentiam dimitti non tantùm pœnam, ſed etiam culpam. Nam per illa verba: *concedimus indulgentiam pœnæ, & culpæ*, non intelligitur, quòd indulgentia habeat vim remittendi culpam, ſiue peccatum; ſed tantùm ſenſus eſt, quòd per talem indulgentiam, concedatur facultas eligendi confeſſarium, qui abſolutionem Sacramentalem conferat à peccatis commiſſis: ſolum itaq; per indulgentiam aufertur pœna, peccato iam remiſſo debita, eaq; non æterna, ſed temporalis, in quam æterna fuit commutata, per remiſſionem peccati mortalis, virtute ſacramentalis abſolutionis, aut perfectæ contritionis.

Clementina de indulgẽtijs explicatur.

Tertium opus eſt, quod hominem diſponit ad participationem huius theſauri, in Eccleſia ſancta hiſce diebus aperti, ieiunium, & eleëmoſyna: ieiunium enim ad placandum Deum efficaciſſimum. Peccauerant grauiter Iſraëlitæ, vitulum aureum adorando, & ecce Moyſes per ieiunium placatum illis Deum reddidit, Deutor. 9. *Procidi ante Deum, ſicut priùs, 40. diebus & 40. noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata veſtra, quæ geſſiſtis contra Dominum.* Verùm cùm ieiunium ſit medium, ad compeſcendum carnalem fomitem, vt Deo ſit gratum, & nobis proficuum, comitem habere debet conſcientiæ puritatem, ſine qua nullum eſt ieiunium. Quia vt docet S. Iſidorus de ieiunio, cum peccato ieiunare, potiùs eſt, ieiunium imitari diabolicum, quàm Angelicum, cùm illi cibo careant, & peccato referciuntur, vt S. Iſidorus inquit: *Qui cibo abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adeſt, & cibus abeſt.* Quod cõfirmat S. Leo ſerm. 6. *de ieiunio* inquiens: *impleri enim debet ieiunium, non ciborum tantummodò parcitate, ſed magu priuatione vitiorum.* Cuius rei elegantem

Tertiũ opus eſt ieiunij & eleemoſyna.

Deutor. 9.

S. Iſidorus.

ſtatim

ſtatim reddit rationem: *nam cùm ob hoc carnalium fomes ſubtrahantur, nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quàm vt ſemper ab illicita voluptate ſobrij, & ab inhoneſta actione ieiuni ſimus.*

Sed & eleëmoſyna non minus proficua, ad gratiam, & miſericordiam Dei obtinendam. Viuebat in gentiliſmo Cornelius, non erat iuſtus, quia nondum gratiam ſanctificantem aſſecutus, proinde omnia eius opera, vt pote hominis adhuc non iuſti, erant mortua, quoad vitam æternam, & tamen Deo placuerunt. Actor. 10. *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam coram Deo.* Ecce B opera hominis gentilis, quia ex ſe bona, licet nullius valoris ad promerendam vitam æternam, propter ſolam eleemoſynam, fidem Chriſti explicitam perfectamq; iuſtitiam meruerunt, vt docent Oecumenius, & S. Chryſoſth. homil. de fide, & lege naturæ tom. 3. *Quia* inquiunt, *magnus ille iuſtitiæ, & veritatis oculus, iuſtus inquam ille iudex, perſonarum reſpectum neſciens, vidit bona quidem opera, ſed mortua, eò quòd ſidem viuam non habebat, mittit diuinum Angelum, operibus ad præmia acquirenda miniſtrantem, ita vt bene certando ob fidem, coronari poſſit.* Vnde tunc ieiunium perfectiſſimè Deo gratum fit, quando ſimul cum eleëmoſyna coniungitur, teſte S. Gregor. homil. 16. in Euangel. *Illud* inquit, *ieiunium Deus approbat, quod ante oculos eius! manus eleemoſynam leuat.*

Actor. 10.

Oecumenius, & ſanctus Chryſoſth.

Theſaurum itaq; tibi, ô dilecta Chriſtianitas, Deus modò aperit, ſcilicet Iubileum ſanctum, ſed ad te clamat, vt agnoſcas tua peccata. Agnoſce ſigna, & prodigia, quibus te toties iam terruit Deus: ſenſiſti enim inimicorum gladium, peſtilentiam hominum, & pecorum, & nunc ſterilem camporum conditionem comminatur tibi Deus, vt te ad pœnitentiam inducat: igitur plange peccata tua, ad apertum Iubilei theſaurum, per bona opera corde contrito feſtina, & renouabirur vt aquilæ iuuentus, conſcientia tua in iuſtitia & gratia Dei.

IN SVPPLICATIONIBVS PVBLICÆ NECESSITATIS.

CONCIO.

Non vltra percutiam omnem animam viuentem ſicut feci. *Genes. 8,*

PLerumq; grauiſſimis hominũ peccatis iniuriatus Deus, & ad ſeueram de filijs hominum ſumendam vindictam quaſi adactus, regna Chriſtiana transfert ad barbaras gentes; mundi Monarchias tradit in execrandas deſolationes; ſpoliat diuitijs opulentiſſimos & omni rerum felicitate affluentes terrigenas, dum eis veluti impietatis inſtrumentis in Diuinæ maieſtatis offenſam abutuntur. Mittit inter populoſas nationes mortalitatem, & ineuitabilem lethi tyrannidem, dum laxatis inſolentiæ habenis, impudenter viuimus, nec ipſa Dei mandata quicquam reueremur. Æquat ſceptra ligonibus, diademata fauillis, & inuictos Principes catenis, belli gerendi peritiſſimos duces compedibus ligat, cùm rapinis, oppreſſione & eiulatibus pauperum onuſti, cruento marti audent ſeipſos conſecrare. Adeò vt non pauci cum vita ſimul puram ponant, (quam, ſi cum Deo bellaſſent, poſt mortem annalem ac diuturnam reddidiſſent) dum omnis eorum fama, ſuo extincta ſanguine, ipſis vel oppugnatarum vrbium foſſis, vel media in acie ſepulta iaceat. Et prorſus vt cælum ſerenum ſua pulchritudine infimas iſtas orbis partes recreat; atris verò nubibus obductum, melancholiam affert; ita Deus nunc hominem manibus ſuis clementer geſtat, nunc peruerſis eius moribus offenſus, eundem in horrendum præcipitium deijcit. Peccauit quondam impia Hieroſolyma, en; mox illam grauiſſima ſubſecuta eſt plaga: *Deſcenderunt* (inquit ſacra pagina) *mala à Domino ſuper portas Hieruſalem, & non eſt malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Peccauit Polonia, limites aureæ ſuæ libertatis nimiùm extendendo, mandata Dei ſuis conſtitutionibus poſtponendo, dum etiam leges diuinas mitigare auderet, vt ſublatâ penitùs omni legum ſeueritate, immenſus licentiosè

centiosè viuendi campus aperiretur, & A quod cuiq; liberet, idem liceret. Immemor hæc duo, scilicet; nimiam seueritatem, & licentiam regna florentissima ad extremam deducere perniciem. Quippè Persarum imperium seruitute, Græcorum immoderata libertate concidit. Vbi enim ad eum insolentiæ gradum processum fuerit, vt Rex muneris & functionis suæ obliuiscatur, aut populus in regem gerat se intemperantiùs; & ordo ordini, Proceres Antistitibus, plebs resistant Magistratibus, quid in hoc tanto tamq; immoderato libertatis vsu, si non potiùs rerum omnium confusionem, nisi B extremam cladem, dolendam ruinam, cum metu & horrore circumspicere poteris. En quomodò iam tandem ô afflicta Patria pro grauissimis hisce tuis flagitijs, verificatur & adimpletur in te formidabilis illa cælestis comminatio: quia *descenderunt mala à Domino super portas Poloniæ, & non est malum in ciuitate, quod Deus non fecerit.* vt plagæ ab ipso immissæ timorem, & sinceram animi compunctionem in nobis excitent. Nihilominùs in hodiernis supplicationibus, ad placandum Dei Numen sanctè & religiosè indictis, in solo Deo spem ac solatium vobis monstrabo.

Tria grauissima mala videlicet; pe-C stem, famem, & bellum ab ipso Domino immitti luculenter sacræ literæ attestantur Deutor. 28. Vbi Moyses populum Deutor. 28. Israëliticum alloquitur. *Si audire nolueris vocem Domini tui, & eius cæremonias, & mandata quæ præcepi tibi non seruaueris, venient super te omnes maledictiones. Adiungam quoq; pestilentiam, donec consumat de terra.* Sic cùm inani gloriâ ductus Dauid, in populi numeratione peccasset, nuntiauit ei Deus trium malorum optionem, vt quod mallet eligeret, aut per septem annos famem: aut per tres menses prælium; aut tribus diebus peste conflictari. Vbi còârctatus Dauid: *Melius est,* inquit, *vt incidam in manus Do-D mini* (quia multæ misericordiæ eius sunt) *quàm in manus hominum.* Et ecce per triduum ad septuaginta millia de populo peste interierunt, donec Angelo diceret Dominus: *Sufficit, contine manum tuam.* Orauit ad Deum Ieremias pro populo Israël, cui respondit Deus? *Noli orare pro populo isto in bonum: nam si ieiunauerint, preces eorum non exaudiam, & si obtulerint holocausta, & victimas non suscipiam ea: quoniam & gladio, & peste, & fame ego consumam eos.* Superarunt Israëlitæ suâ obstinatione gentes Deum ignorantes: & mox Deus futuram eis cladem prædicit. Ezechiel. 5. Ezechiel. 5.

Quia sanctum meum violasti in omnibus offensionibus, & in cunctis abominationibus; ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor. Quare tertia pars tui, peste, fame, & gladio in medio tui morietur, & consumetur, & in circuitu tuo cadet.

Verùm quemadmodùm Diuina iustitia seueram de homine peccatore requirit vindictam; sic ad eiusdem misericordiam spectat, afflictos & iustè castigatos mortalium filios consolari. Hoc de semetipso testatur Deus Isaiæ 66. *Quomodò* Isaiæ 66. inquit, *si cui mater blandiatur; ita ego consolabor vos.* Vbi in consolandis afflictis, non modò se patrem protestatur, qui seuerior esse solet, sed etiam matrem, quæ solet esse indulgentior. Et quoniam qui miserias experitur, faciliùs miserescit; & qui desolationes patitur, blandiùs consolatur, ideò voluit se Deus ad nostras miserias abijcere, vt nos ab illis impensiùs releuaret. Vt eruditè discurrit Petrus Chrysologus serm. 50. *Christus* inquit, Chrysosth. *venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis referre virtutes: humana quærere; præstare diuina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates: quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.* Comprobat D. Bernardus, de- S. Bernar. gradibus humilitatis, sub initium in hunc modum discurrens: *Nescit sanus quid sentiat æger; nec plenus quid patiatur ieiunus. Et æger ægro, & ieiunus, quantò propinquiùs tantò familiariùs compatitur: sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur; sic miseria fratris veriùs miserò corde sentitur. Vt igitur ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet vt tuam priùs agnoscas, vt proximi mentem in tua inuenias, & ex te noueris, qualiter illi subueniat. Exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret; miser fieri, vt misereri disceret.*

Videte quantùm se Deus homini afflicto consolatorem exhibeat: postquàm enim vniuersali diluuio mundum castigasset, postquam profundissimi quique terrarum hiatus multitudine cadauerum repleti essent, postquam aquæ inundantes quindecem cubitis super omnes montes & colles ascendissent, quibus non solùm mortalium genus, sed & bestiæ terræ, & volucres cæli submersæ perierant, mox Deus recordatus Noè alloquitur illum: *Non vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Genes. 8. Quorsum ob- Genes. 8. secro addidit illud: *sicut feci.* Nunquid tunc Deus ipsum Noè, eiusq; familiam percusserat? minimè. Vtiq; ille & omnes eius filij, vxor illius, & vxores filiorum, ex illo

ex illo communi naufragio incolumes A etsi ex meritò homines misericordiâ indigni; ex sua tamen imagine in illum impressâ, cognationem quandam veluti cum illo mutuam retinentes, iram in amorem vertunt.

In deplorato existentibus Israëlitis statu, omnibusq; in peccatis immersis, sub idololatra Rege Ochozia, quando maximè opus erat Eliâ Prophetâ, qui in viam veritatis populum errantem reduceret, tunc Deus Eliam subleuauit, tunc ad se vocauit, 4. Reg. 1. n. 11. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumquè, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Vbi Abulensis q. 24. B sentit, talem currum, & equos, ob splendorem igneos dictos, fuisse nubem splendidissimam, ad cælum Eliam subleuantem, & in medio sui ipsum recipientem, ac vndequaq; obtegentem. Si ergo tanta populi afflictio, si tàm miserabilis tunc status, si tàm enormia peccata Eliam exposcebant Doctorem, cur Deus ad cælum euocauit illum, & cur ita sustulit, vt vndiq; tegeret? sanè ideò, quia Elias homo erat, non Deus, miseriarum visio ad iracundiam eum prouocabat, non ad beneficentiam; vnde, ideò eum sustulit Deus, vndique cinctum, ne peccata videns, peccatores consumeret. Audite Basilium Seleuc. orat. 11. Sic loquentem: C *Cùm tamen hominum peccata nil minuerentur, Deus Eliam videns iusto zelo in impios rursùm inflammatum, igneo curru ex impiorum conspectu transtulit*, in hunc modum eum affatus: *Proclive est in peccatum humanum genus, tibi peccantes cernere, graue spectaculum; mihi verò qui sum Dominus, lex de humanitate scripta est, me ipsum debitorem clementiâ constitui, tu ergo subi diuersorium à peccato liberum, carne vestitus cum Angelis conuersare; ego verò ad homines per Incarnationem tuam, ego in eorum salutem curram.* Graue ergo homini spectaculũ, peccãtes cernere; hinc in vindictam armatur, non in commiserationem; at Deo non graue, D quia Deus, non homo, quia hominum Dominus, quia sub lege clementiæ, debitor est clementiæ. Vnde si hominibus negotium hoc relinqueret, perirent peccatores; ideo tanquàm Pater, tanquàm verus noster Dominus ipse venit, ipse accurrit, per se sanans, medens, sustinens.

Hinc facilè possumus inferre, infelicem Sodomam, Gomorrhamq; excidisse, & pœnam illi ad interitum, non ad emendationem extitisse: quia etsi Dominus ad illam descendere, malaq; eius veluti oculis prospicere determinasset, loquens Abrahamo Genes. 18. n. 21. *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad*

me, opere compleuerint, an non est ita. Tamen A nescio, quo malo suo fato, an Abrahami conuersatione, an alia occasione, non ipse descendit, sed Angelos misit: *Conuerteruntq; se inde, & abierunt Sodomam; Abraham verò adhuc stabat coram Domino.* num. 22. Quid ergo mirum, si consumpta, si destructa, si cremata est, dum oculi eam aspicerent creaturæ, non creatoris: *Vt per Angelos ad cognoscenda mala descendit*, ait Gregorius magnus 19. Moral. cap. 23. *mox flammoros percutit.* At, si ipse Deus descenderet, si ipse videret, licet magnum malum, etsi eliminaret, etsi puniret; tamen ad bonum, ad melius, ad efformandum, B non ad destruendum. Sic dum post diluuium, posteri Noé, superbos induentes spiritus, turrim vsque ad cælum pertingentem eleuare attentarent, Genes. 11. *Descendit ipse Deus, vt videret ciuitatem, & turrim.* Quid ergo ex hac visione? Nunquid mundus destructus? absit: imò repletus, dicit S. Augustinus lib. 16. de ciuit. *Atq; ita diuisit eos Dominus in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.* Quia ergo ipse Deus per se, ipsa Trinitas sanctissima descendit, vidit, prospexit malum; ideò homines illi pro malo, pro vindicta, pro sæua punitione, beneficentiam reportârunt, concludit Glossa Græca apud Lippomanum: Descendit ergo Deus, vt illorum linguas confunderet, confundendo humanum genus, toto orbe terrarum disseminaret.

Cracouia, peste punita.

Sumpsit & de te, atroces sed debitas pœnas, ô inclyta vrbs, & regni caput Cracouia, immensam tuorum flagitiorum multitudinem tolerare diutiùs non valens. Puniuit te crudeli mortalitate, nimirum peste grauissima, ceu vniuersali diluuio per singulas domos grassante, auos tuos, & proauos; parentes & consanguineos; amicos & nepotes; filios, & filias carissimas indiscriminatim depascente. Quando indomita mors, tot nouas de innumera cadauerum multitudine circumduxit fossas, quasi aliter ciuitas hæc munita reddi nequeat, nisi de tanta ciuium strage. Quando ciuitates in deserta, domos in speluncas commutauit, familias nostras depopulata est, sustulit prudentissimos gubernatores, quorum salubri consilio, & summâ vigilantiâ facilè omnes casus & imminentia pericula potuimus euitare. Abripuit viros sapientes, omni literarum genere cultissimos, quorum lucubrationibus, maturo iudicio decoctis, & erudito calamo posteritati consecratis, regnum hoc cæteris nationibus admirandum & summè venerandum reddebatur. Extinxit antiquitate celeberrimas familias, depauperauit monasteria, viduas fecit religiones, desolata templa, orbata sacerdotibus altaria, luctu & lamentationibus omnia commiscuit. calcamus nunc tumulos, & onustam vbiq; sepulchris terram, & præacerbo gemitu arescimus, solâ amicorum iucundâ recordatione fessos lachrymis oculos recreando, quos implacabilis mors terræ visceribus inclusit. Quid ergo facit Deus? spectat ex alto cæli olympo tantos dolores nostros, & quasi tactus dolore cordis intrinsecus, condolens atq; compatiens nostro mærori nouum amicitiæ fœdus nobiscum init, protestans se non ampliùs tam seuerè in nos animaduersurum, vt sic per austeras mortificationes, per notabilem vitæ emendationem, iram eius mitigando placatum nobis reddere valeamus. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra*: non enim æquum est, castigatum Dei populum iterum ad vitia redire, & multò maiorem Dei iram aduersùs semetipsum prouocare.

Deuotè, & sensatè considerans S. Bernardus, serm. 5. in natali Domini, illa C D. Pauli verba: *cui proprium est misereri, & parcere*; ita Deo propriam esse misericordiam, vt eam ex suo non ex alieno sumat, his verbis concludit: *Quod miseretur, proprium illi, ex se enim sumit materiam & velut quoddam seminarium: rectè igitur Pater misericordiarum dicitur, non modò quòd pater videatur misereri potiùs, quàm indignari; sed eò magis, quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi, vel vlciscendi magis ex nostro.* Hinc etsi homo ad malum pronus sit ab adolescentia, etsi eius sensus totus ad peccatum intentus, non vltra percutit, quia sympathiâ tactus, se respiciens, iram vertit in amorem, iram inquam, quæ est D contra eius naturam, eam à nobis sumens Vt egregiè notat S. Nazianzenus, orat. in plagam grandinis, sic fatus: *Ego verò id planè scio, ego misericordiæ Diuinæ sponsor haud dubiè, missâ factâ irâ, quæ ipsius naturæ aduersatur, misericordiam quæ ipsi naturâ inest, amplectamur.* Ergo contra naturam Dei est ira, vnde ipse violenter ad supplicium, & coâcte descendit. Hinc quando ab illo videris te flagellari, non ab eo misericordiam, sed à te exposcere debes, sis tu tecum misericors, peccatum expellendo; & de Dei ira securus esto: cùm enim ex se illam non accipiat, sed à te, si tu materiam illi demas, iam non ampliùs

pliùs irascetur. Audite Nazianzenum A citatum: *Ad illam enim* ait, (id est iram) *à nobis vi pertrahitur; ad hanc,* (id est, misericordiam) *suapte natura fertur. Cùm igitur non nisi coactè percutiat, quid afferri potest, quin natiuâ sua bonitate vtens, indulgentem se nobis præbiturus sit, modò nos metipsos nostri misereat, iustisq; patris visceribus viam patefaciamus.* Ponderate illud, *modò nos metipsos nostri misereat.* En quomodò crudeles in nos sumus, dùm flagellamur, quia non nos pœnitet mali, quia viam misericordiæ non construimus, sed Deum ad iracundiam magis prouocamus.

Plutarchus. Refert Plutarchus de quadam matro- B na, cuius maritum prædones crudeliter interfecerant. Hæc videns filios suos, necis paternæ oblitos cum illis prædonibus mutuam viuendi atq; conuersandi societatem iniuisse, vt eos à tam impio commercio auocaret, conuocatis ijs ad suum conclaue, indusium sanguine paterno conspersum monstrat, inquiens: *agnoscite ô cari filij vestem hanc parentu vestri lineam, eius cruore conspersam: clamat cruor iste contra impios, qui eum effuderunt: clamat & contra vos, qui fœdus amicitiæ cum illu contrahitis: fœdus inquam vobu fœdum, Parenti vestro contumeliosum. Discindite igitur cum illo omnem initam societatem, nisi velitu paterno sanguini ingrati esse, & viscera materna nouo quodam vulnere transfodere* Sic hodierna die sancta mater Ecclesia, videns sponsum suum Christum IESVM, grauiter à nobis offendi, præsentat nobis vestem Christi in ara Crucis, eius pretioso sanguine cruentatam, volens nos ab omni impia conuersatione eorum abducere, qui Christum ita atrociter confodunt, vulnerant, & interimunt.

Quodsi scire volueritis quinam sint adeo resoluti & desperatissimi nebulones, qui in Deum coniurare, & sacrilegam manum in eius inaccessam maiestatem mouere, Christum persequi & ad D mortem quærere audent, Equidem duo capitalissima vitia, Præsumptio, & desperatio; Duplicem Theologi agnoscunt præsumptionem: vnam, quâ aliquis inordinatè innititur suæ virtuti propriæ, nec Deum adiutorem habere satagit, quasi sua naturali virtute omnia præstare, & absq; speciali auxilio cælitùs sibi collato Dei mandata adimplere valeat; quales Pelagiani fuêre? Paucine vel in ipsa nostra Republica Polona, adeò præsumptuosi homines reperiuntur, qui vento superbiæ ceu Chameleon viuunt, qui Dei sui prorsùs iam obliti, plus suæ industriæ, quàm diuinæ protectioni ac prouidentiæ audent tribuere, de suis malefactis impudenter gloriando. Et hoc ipsum, quod à pestifera infectione præseruati superstites maneant, non diuinæ clementiæ, sed suæ custodiæ subscribendo: *Manus*, inquiunt, *nostra, & non Dominus fecit hoc.* Altera præsumptio est, dum quis nimium confidentiæ ponit in Dei misericordia, & ideò voluntariè, deliberatè, & audacter peccat, cuncta flagitia Deum sibi omnino dimissurum arbitrans; verùm cùm Decreta Dei sint immutabilia, quibus statuitur peccatorem non priùs à pœnis liberandum, quousq; debitam satisfactionem fecerit: *Non exibis hinc, donec ad minimum quadrantem soluero.* ideò non vnus eiusmodi præsumptuosorum hominum, apud quos honor diuinus nullius momenti habetur, hanc suam resolutionem in tenebroso illo inferorum carcere soluere debebit, ingentes cruciatus sustinendo ad dignam compensationem debiti nunquam suffecturos: quia infinitum etiam longissimo tempore non potest exhauriri.

Alter famosus latro, & honoris diuini capitalissimus hostis, est desperatio; quæ leges diuinas profanat, eiusq; sacrosancta mandata conculcat. Et hæc iuxta Doctrinam Theologorum consistit in fuga voluntatis suppositio iudicio falso, iudicante impossibilem sibi esse salutem per Deum. Talis fuit infelicissimus ille & primus veriti mundo homicidij author Cain, qui fuso innocenter fratris sanguine, non ampliùs ad postulandam apud Deum veniam rediit, inquiens: *Maior est iniquitas mea; quàm vt mereat veniam.* Genes. 4. Creuerunt in immensum hæc duo grauissima vitia in Patria nostra. Irrepsit execranda præsumptio in animos hominum, tantò difficiliùs eradicanda, quò altiùs sua fundamenta iecit. Gaudet quispiam illustri natalium splendore, & ecce iam statim difficilem illi ad Deum præbet accessum præsumptio, cùm propter solius pompæ ostentationem, more gentilium ab omnibus adorari vult; necdum satis; etiam eò superbiæ progreditur, vt & regale sacerdotium suum velit esse scabellum. Sed audite quid adeo fastuosis hominibus Rex & Propheta Dauid portendat: *Nolite*, inquit, *in altum extollere cornu vestrum* Psal. 74. Ostendens splendorem natalium, quo filij mortales nimium gloriari consueuerunt, esse velut appendicem quandam, & quasi cornu fumo vanitatis plenum. Vt eleganter poëta cecinit. Psal. 74.

Nam,

Nam, & genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.

Extulit quempiam blandiens fortuna in summos honores, & ecce statim maledicta præsumptio hominibus inferioris conditionis tyrannicam oppressionem parat; ita, vt vnde protectionem & consolationem sperauerunt, inde plerumq; molestam aggrauationem referant. Cùm inueterata odia, ne quidem temporum incremento frigescant, sed augeantur. Quid verò adeo superbo fastu sortes alienas calcantibus viris prædicit Sapiens? *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram.* Quod nequaquàm de sole materiali intelligi potest, quia vt ingeniosè B
obseruat Cassianus lib. 8. de spiritu iræ, cap. 9. *Si vsq; ad occasum solis licitum sit irasci, ante perturbationes noxiæ poterunt furoris saietatem, & vltricis iræ commotionem explere, quàm iste sol ad locum sui vergat occasus.* Sed de sole spirituali, scilicet Christo IESV, loquitur Apostolus, consulens ne ita irascamur, vt Christus verus sol nobis occidat: nam illico eo abeunte diabolus intrabit. Vnde statim addit sacer textus: *Nolite locum dare diabolo*, palam ostendens, quòd ista inuicem se consequantur, *irasci, Christum egredi, & diabolum intrare.* Nam & Sathanæ in cor Iudæ ingressus non aliunde, nisi C
ab ira originem habuit: in primis enim fremuit contra Christum, reputans damnum, vnguenti effusionem, Ioan. 12. num. 5. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs & datum est egenis?* Ex auaritia indignatus, & contra Christum sic fremens, vt hinc primò eum vendere cogitârit, quasi vnguenti perditionem compensaturus: *Diues in æstimatione vnguenti, vilis in scelere*, addit S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18. Deinde, amplius indignatus est, quando se vidit à Christo proditum, quando ei panem porrexit intinctum. Post hanc iram insolentemq; iracundiam, cùm iam mente miser omninò exturbatus, ac deiectus esset, statim in eum, recedente Christo, introductus est diabolus Ioan. 13. n. 27. *Et post buccellam introiuit in eum Sathanas.* Super quem locum egregiè discurrit Toletus: *In Iudam dæmon ingressus dicitur, non vt tanquam dæmoniacum eum corporaliter agitaret, nec vt de nouo malas, & nefandas contra Magistrum cogitationes persuaderet: iam enim tentationibus hic consenserat; sed commotus, & indignatus: quia se signari proditorem persensit, locum omnem cordis dæmoni instiganti aperuit, animoq; suo obstirmauit Christum tradere, & quod conceperat opere complere.* Ex ira itaq; malas conceperat cogitationes contra Christum, hanc in animo fouens, non excutiens, ampliùs irascens tandem Christum excussit; sathanam verò admisit: quia impossibile erat, vt non admitteret stante ira, cùm hæc iuxta Apostolum, det diabolo locum, quo intrante, Christus egreditur. Ait S. Ambrosius lib. 2 de Cain, & Abel, capite 2. *Immisit se in cor Iudæ, Christus recessit ab eo, momentoq; eo, quo illum recepit, hunc amisit.* Meritò igitur Deus ab ira retrahit nos: *Sol non* occidat super iracundia vestra, Ephes. 4.
quia per iram Christum perdimus, siquidem principium omnis ruinæ, omnis damni, omnis perditionis, omnis denique vltimæ damnationis, ira est.

Immittit Deus in aliquem modicum afflictionis, & protinùs desperatio, blasphemias & maledictiones, conuicia & probra, in ipsum Deum mouet. Non aduertendo, quòd hoc Deus in bonum hominis operetur, vt plagis melior factus, citiùs ad Deum redeat, à quo peccando recesserat, iuxta doctrinam prophetæ: *Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te vt glorifices me.* Psal. 49. quibus verbis monet Deus fieri vota, vt præmia conferantur, sic interpretatur D. Chrysosthomus. S. Chryfost.
Cur, inquit, *expectat Deus, vt à nobis inuocetur.* Et respondet: *volens in nobis efficere maiorem familiaritatem, & vehementiorem amicitiam, inuocando & accipiendo: vota enim ac preces hanc familiaritatem conciliant.*

Cæterùm sistit se ipsemet vnigenitus hodiè vestris obtutibus in ara crucis expansus, vestram confundens arrogantiam: Dum licet sit Dominus cæli & terræ, quasi tamen oblitus suæ inaccessæ maiestatis, fit abiectio plebis, & opprobrium hominum: dùm ille cuius potentia est incomprehensa, proprijs exspoliatus vestibus, in duro crucis lectulo, vestri causâ, spinis & sentibus confossum caput reclinat: dum ille qui habet claues mortis & vitæ (quippè: *in manu eius potestas & imperium*) videns desperatam suæ Christianitatis cladem, deprecatur pro nobis furore percitum Patrem: *Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.*

Stupendum quidpiam recensет Scriptura Sacra num. 21. Cùm Israëlitæ ob Numer. 21.
patratam idololatriam in deserto; morsibus venenatorum serpentum perirent, Deus iussit æneum serpentem appendi in ligno: Fac inquit, *serpentem æneum, & pone illum pro signo; qui percussus aspexerit eum viuet.* Vbi serpens ille, propterea quòd esset figura Christi passionis, tantæ virtutis erat, vt quicunque veneno infectus eum

Cæsarius Arelat. eum aspiceret, illico sanaretur teste Cæ- A
sario Arelatense homil. 2. de Pascha. *Tam prompta*, inquit, *aderat salubritas medicandi; quàm velox inerat felicitas intuendi. Sequebatur certum in momentanea contemplatione remedium: quia latebat in serpente mysterium.* Promerui-
mus Catholici mei ob grauitatem culparum nostrarum, vt ineuitabile lethum in nos sæuiret, sed ecce præsens adest cruci affixus Saluator seriam sacrosanctæ passionis suæ meditationem nobis pro
Genes. 8. singulari remedio porrigens: *Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos.* Vultis Marti & Bellonæ consecrati Athletæ Poloni, vt de superbo & Diuini nominis blasphe- B
mo hoste victoriam reportetis, suscipite hoc signum fœderis, atq; cum Dei timore in campum certaminis prosilite, & tunc primùm Deus, quod olim magno Constantino pollicitus est: *In hoc signo vinces.* Vobis quoq; si duce Deo & comite pugnaueritis, largietur. Quodsi propter rapinas & pauperum oppressiones Deus à vobis recessit, imitemini Israëlitas, qui cognoscentes Deum recessisse à se, ad
Ibidem. aspera cilicia confugerunt. Exod. 33. *Audiens populus sermonem hunc pessimum luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo.* Et vos pariter non aliter potestis vobis placatum reddere Deum, nisi humili supplicatio- C
ne, & lachrymis pœnitentiæ. Confluite & vos, quos adhuc saluos & incolumes dextera Excelsi seruauit, ad hoc signum fœderis, scilicet; ad crucem dominicæ passionis. Si enim propter vestram salutem in hac cruce mortuus est Christus, & nunc, cùm sit vita omnium viuentium, in manibus suis portabit vos. Hodiè namque extinguuntur sidera in cælo, quorum tela plebem cædunt diro mortis vlcere, dum Dei Filius secundùm vltimum potentiæ suæ operatus est in redemptione generis humani.

Verùm in magnam hic rapior admirationem, dum Israëlitæ pœnitentiâ eluerent suam idololatriam, clamârunt ad Dominum, vt illorum misereretur. Quibus respondit Deus. Exod. 33. *Iam nunc* Exodi 33.
depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi. Vbi super hunc locum Oleaster sic di- Oleaster.
scurrit: *Volebat*, inquit, *Deus vt Israël nudum & spoliatum vestibus se ei verberandum obijceret, vt videns eum sic paratum, misericordiâ motus condonaret peccatum.* Proinde volebat vt populus in venia impetranda in preces effunderetur. Sic planè scelera nostra in seueram Deum vltionem prouocârunt, sed inducix iam nobis conceduntur, dùm modò deponamus ornatum præsumptionis, & mundanæ vanitatis, sed induti cinere & cilicio clamemus ad Dominum: *Parce Domine, parce populo tuo quem redemisti*: sit sacra passio tua signum fœderis inter te & nos, vt non percutias vltra omnem animam viuentem sicut fecisti.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in hoc tomo continentur.

Prior numerus paginam, posterior Columnam, litera locum columnæ indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Caput 1.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. 124. 1. B.
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 1. 1. B.

Caput 2.

Immisit Deus soporem in Adam. 109. 2. A.
Hoc nunc os ex ossibus meis. 2. 2. A.
In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris. 139. 1. C.

Caput 3.

Adam vbi es. 34. 2. B.
Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. 110. 2. D.
Inimicitias ponam inter semen tuum & semen illius. 109. 2. D.

Caput 4.

Maledictus eris super terram. 274. 1. D.
Occidi virum in vulnus meum. 161. 1. D.

Caput 7.

Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta iniquitate. 7. 1. B.
Ingredere tu & omnis domus tua in arcam. 7. 1. D.

Caput 8.

Non vltra percutiam omnem animam viuentem. 292. 2. D.

Caput 12.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua. 186. 2. D.

Caput 22.

Nunc cognoui, quòd timeas Deum. 185.

Caput 26. (2. D.

Recede à nobis, quoniam potentior factus es nobis valdè. 59. 1. D.

Caput 30.

Dimitte me, vt reuertar in patriã. 186. 2. D.

Caput 32.

Cur quæris nomen meum, & benedixit ei in eodem loco. 32. 1. D.

Caput 38.

Illo verò retrahente manum, egressus est alter. 255. 1. D.

Caput 48.

Manum dextram posuit super caput Ephraim. 85. 1. D.

Caput 49.

Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum. 26. 2. B.

EXODVS.

Caput 1.

Quantò magis opprimebat eos; tantò magis multiplicabantur, & crescebant. 260.

Caput 3. (2. A.

Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem. 1. 4.

Caput 21. (1. B.

Tollens panem, & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius. 113. 2. D.

IOSVE.

Caput 7.

Qui statim terga vertentes percussi sunt. 225. 2. C.

IVDICVM.

Caput 14.

De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. 132. 1. D.

LIBER II. REGVM.

Caput 2.

Missis itaq; Dauid nuntijs tulit eam. 243.

Caput 12. (2. A.

Dominus quoq; transtulit peccatum tuum à te, non morieris. 34. 1. A.

LIBER III. REGVM.

Caput 3

Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel. 268. 2. C.

Caput 17.

Surge, vade in Seraphta sidoniorum. 263.

Caput 19. (2. D.

Quid hic agis Elia. 237. 1. C.

LIBER IV. REGVM.

Caput 1.

Ecce currus igneus, & equi ignei. 293. 2. A.

Caput 2.

Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. 237. 2. C.

Caput 22.

Misisti iram tuam quæ deuorauit eos. 287.

Caput 23. (1. D.

Et succendit domum Dei. 130. 1. A.

ESTHER.

Caput 15.

Et in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput. 6. 1. C.

IOB.

Caput 5.

Flagello linguæ absconderis. 36. 2. C.

PSALMI.

Psalmus 17.

Dolores inferni circũdederunt me. 18. 2. D.

Psalmus 18.

In sole posuit tabernaculum suum. 65. 2. B.

Psalmus 22.

Dixit Dominus Domino meo. 109. 1. B.

Psalmus 28.

Afferte Domino filij Dei. 185. 1. A.

Psalmus 30.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. 37. 1. B.

Psalmus 44.

Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. 96.

Psalmus 48. (2 D.

Non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes. 276. 2. A.

Psalmus 72.

Tenuisti manum dexteram meam. 171. 2. A.

Psalmus 105.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius. 37. 1. D. & 39.

Psalmus 110. (1. A.

Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. 40. 1. C.
Memoriam fecit suorum mirabilium. 41. 2. A. & 45. 2. B.

Psalmus 115.

Quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. 267. 1. A.
Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. 139. 1. A.
Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. 172. 1. C.

Psalmus 118.

Defecit in salutare tuum anima mea. 6. 2. B.
Tabescere me fecit zelus meus. 207. 1. C.

Psalmus 144.

Generatio & generatio laudabunt opera tua. 88. 1. D.

PROVERBIA.

Caput 1.

Auersio paruulorũ interficiet eos. 228. 2. B.

Caput 7.

Non est vir in domo sua. 26. 1. A.

Caput 8.

Per me reges regnant. 104. 1. B.

Caput 9.

Immolauit victimas suas. 170. 2. B.

Caput 13.

Spes quæ protrahitur, affligit animam. 229.

Caput 23. (2. B.

Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt.

Caput 31. (50. 1. D.

Considerauit agrum, & emit eum. 147. 2. D.

CANTICA.

Caput 1.

Dilectus meus mihi. 29. 2. A.
Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. 209. 2. B.
Meliora sunt vbera tua vino. 222. 1. B.

Caput 2.

Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. 172. 1. D.

Caput 3.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum. 81. 1. B.
Reclinatorium eius fecit aureum. 173. 1. C.

Caput 4.

Veni de Libano sponsa mea. 66. 1. D.
Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. 77. 2 C.
Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. 31. 1. A.

Caput 5.

Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo. 153. 1. A.

SAPIENTIA.

Caput 7.

Candor est lucis euiternæ, & speculum sine macula. 83. 2. D.

ECCLESIASTICVS.

Caput 10.

Non est creata hominibus superbia, neque ira nationi mulierum. 100. 2. C.

Caput 24.

Ego ex ore Altissimi prodiui. 63. 2. D. & 72. 2. B. & 81. 1. D. & 110. 1. D.
Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. 69 2. C.
In me omnis gratia viæ. 81. 1. D.
Qui edunt me, adhuc esurient. 106. 1. B.

Caput 29.

Repromissorem fugit peccator. 240. 2. C.

Caput 31.

Oculo quid nequius creatum est. 242. 1. B.

ISAIAS.

Caput 2.

Et erit in nouissimis diebus præparatus mons. 21. 1. B.

Caput 5.

Cantabo dilecto meo canticum Patruelis.

Caput 6. (232. 1. D.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. 262. 1. C.
Consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. 65. 2. C.

Caput 7.

Nisi credideritis, non intelligetis. 244. 1. B.

Caput 9.

Et factus est principatus super humerum eius. 25. 2. B.

Quomodò cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris. 218. 2. C.

Caput 16.

Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti. 67. 1. C.

Caput 40.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter te. 160. 1. D.

Caput 42.

Gloriam meam alteri non dabo. 72. 2. D.

Caput 43.

Et posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. 91. (1. A.

Caput 53.

Oblatus est quia ipse voluit. 169. 1. A.

Caput 65.

Lupus & agnus pascentur, & leo & bos comedent paleas. 50. 2 D.

HIEREMIAS.

Caput 7.

Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes templum Domini. 129. 1. D.

Caput 11.

Mittamus lignum in panem eius. 207. 2. B.

EZECHIEL.

Caput 8.

Ad tu conuersus videbis abominationes maiores. 219. 2. B.

DANIEL.

Caput 1.

Et constituit eis Rex annonam. 51. 1. D.

Caput 2.

Et abscissus est lapis sine manibus. 64. 1. D.

Verè Deus vester Deus Deorum est. 95. 2. A.

Caput 3.

Ecce ego video quatuor viros solutos. 126. 2. B

Caput 7. (231 1. B.

Fluuius igneꝰ rapidusq; egrediebatur à facie eius.

OSEAS.

Caput 14. (2. D.

Ero quasi ros, Israël germinabit quasi lilium. 82.

IONAS.

Caput 1.

Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. 114. 1. C. & 143. 1. B.

MICHÆAS.

Caput 6

Populе meus quid feci tibi, aut quid contristaui te. 128. 2. C.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆVS.

Caput 1.

Vocabis nomen eius Iesum. 123. 1. D.

Caput 4.

Dic vt lapides isti fiant panes. 41. 2. D.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. 247. 1. C.

Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. 156. 2. B.

Caput 5.

Sit sermo vester, est est, non non. 35. 12. A.

Vos estis sal terræ. 189. 2. D.

Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. 241. 2. B.

Caput 7.

Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos. 156. 2. C.

Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas ante porcos. 156. 2. C.

Caput 9.

Non veni vocare iustos, sed peccatores. 162. 1. D.

Vidit hominem sedentem in telonio. 223. 1. D

Non veni vocare iustos. 221. 2. A.

Sequere me. 225. 1. C.

Caput 12.

Erat Filius hominis in corde terræ tribus diebus. (16. 1. D.

Caput 17.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. 57. 2. D.

Caput 19.

Quid me bonum dicis, cùm nullus bonus, nisi solus Deus. 125. 2. D.

Caput 22.

Hoc est primũ & maximũ mandatum. 155. 2. A.

Ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, 34. 1. D.

Vidit hominẽ non vestitũ veste nuptiali. 258. 1. D

Caput 25.

Nescio vos. 148. 2. D.

Caput 27. (240. 2. D.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.

Cùm ergo gustasset Iesus acetum, noluit bibere.

LVCAS. (182. 2. C

Ecce concipies, & paries filium. 86. 2. A.

Virtus Altissimi obumbrabit tibi. 87. 2. A.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. 103. 1. D.

Magnificat anima mea Dominum. 105 2. B.

Spiritus Sanctus superueniet, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. 121. 1. B.

Et dabit illi Dñus Deus sedem Patris eius. 128. 1. B

Caput 2.

Quod ex te nascetur, sanctum. 97. 1. B.

Nunc dimittis seruum tuum in pace. 112. 1. B.

Caput 11.

Et ego vobis dico, petite, & dabitur vobis. 164.

Caput 12. (2. A.

Et transiens ministrabat illis. 114. 2. A.

Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos. 287. 2. D.

Caput 14

Compelle intrare, vt impleatur domus mea. 113.

Caput 20. (1. D.

Miserunt insidiatores, vt Iesum caperent in sermone. 36. 1. C.

Caput 22.

Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos. 149. 2. B.

Caput 23.

Hodiè mecum eris in paradiso. 177. 1. C.

Et clamãs voce magna Iesus expirauit. 240. 1. B.

Caput 24.

O stulti & tardi corde ad credendum. 17. 1. C.

IOANNES.

Caput 1.

Verbum caro factum est. 95. 2. D.

Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. 209. 2. D.

Caput 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. 90. 1. D.

Caput 6.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. 45. 1. D.

Quomodò potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum. 45. 1. B.

Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam. 97. 2. D.

Caput 8.

Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet. 217. 1. D.

Caput 11.

Iugũ meum suaue est, & onus meum leue. 253. 1. C

Caput 15.

Ego sum vitis, & Pater meus agricola est. 171. 1. C

Caput 17.

Pro eis ego sanctifico meipsum. 98. 2. B. & 170.

Caput 18. (1. D

Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt vt bibam illum. 131. 2. A.

ACTVS APOSTOLORVM.

Caput 1

Cùmq, intuerentur euntẽ illũ in cælum. 27. 2. D.

Caput 4.

Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus. 16. 2. C. & 18. 1. A.

Caput 4.

Denuntiauerunt, ne docerent in nomine Iesu,

Caput 9. (166. 1. B.

Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. 253. 2. C.

EPISTOLA ad ROMANOS.

Caput 3.

Vbi est ergo gloriatio tua? 221. 2. B.

Caput 5.

Secundùm tempus pro impijs mortuus est. 158.

Caput 6. (1. B

Exhibete membra vestra seruire in sanctificationem. 164. 1. A.

Caput 9.

Maior seruiet minori. 257. 1. B.

Caput 11.

Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. 39.

Caput 12. (2. C.

Obsecro vos per misericordiam Dei. 128. 1. D.

Caput 13.

Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. 23. 2. A.

Caput 14.

Tu quis es, qui iudicas alienum seruum. 162. 1. C

Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. 171. 1. B.

Caput 15.

Lex enim iram operatur. 162. 2. B.

EPISTOLA I. ad CORINTHIOS.

Caput 3.

Lac vobis potum dedi non escam. 25. 2. D.

Caput 6.

Templum Dei sanctum estis vos. 29. 1. B.

Caput 11.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. 47. 2. D.

Ideo inter vos multi infirmi. 49. 1. C.

Iudicium sibi manducat & bibit. 52. 2. D.

Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat. 262. 2. D.

Caput 15.

Absorpta est mors in victoria. 9. 1. A.

Seminatur in corruptione, surget in gloria. 57. 1. D

Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis. 109. 1. B

EPISTOLA ad EPHESIOS.

Caput 1.

Constituit illum super omnẽ principatũ. 21. 1. A.

EPISTOLA ad PHILIPPENSES.

Caput 1.

Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo. 21. 2. C.

Cupio dissolui, & esse cum Christo. 177. 1. D.

Caput 2.

Exinaniuit semetipsum formã serui accipiens, & habitu inuentus vt homo. 4. 2. C. & 102. 1. A.

Humiliauit semetipsum factus obediẽs. 235. 1. D.

Caput 3.

Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. 123. 1. C.

Caput 4.

Gaudete in Domino semper. 144. 1. B.

EPISTOLA ad COLOSSENSES.

Caput 1. (2. B.

Adimpleo ea, quæ desunt passionũ Christi. 194.

EPISTOLA I. S. IOANNIS.

Cùm apparuerit similes ei erimus. 58. 1. D.

APOCALYPSIS.

Caput 3.

Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. 258. 1. B.

Caput 14.

A modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. 228. 1. B.

Caput 21.

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt. 31. 1. D.

Vidi ciuitatem sanctam paratam sicut sponsam. 188. 1. D.

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A

ABel innocens cur priùs mortuus, quàm Adam peccator. 140. 1. A.
Adam ob ingratitudinem inter idololatras computatus. 3. 2. C.
Adam creatus cur ſtatim ſomno correptus obdormiuit. 109. 2 B.
Adam poſt lapſum cognouit Chriſti aduentum. 109. 2. C.
Admirationis tres cauſæ. 90. 1. D.
Adoratio latriæ debetur humanitati Chriſti 99. 1. D.
Amor à mulieribus crudeliter tractatus. 91. 1. C.
Amor Dei erga homines immenſus. 128. 2 C.
Amor diuinus mirabilia in Paulo operatus eſt. 165. 2. C.
Angeli in communi reſurrectione colligent cineres diſperſos, & congregabunt in vnum locum. 14. 1. C.
Angeli baptiſmum velut primariam ſolemnitatem celebrant. 136. 1. A.
Angeli perfecti & in gratia creati ſunt. 52. 2. C
Angelus ob impatientiam damnatus eſt. 218. 2. B.
Anima Chriſti ad locum damnatorum non deſcendit. 17. 2. C.
Anima Chriſti deſcéditad ſinum Abrahæ. 17. 2. C.
Anima Chriſti nihil potuit pati, aut recipere ab vllo ſpiritu. 18. 2. C.
Anima quo magis ſancta, magis Deum magnificat. 105. 2. C.
Anima rationalis non poteſt quidquam naturaliter à corporibus pati. 18. 2. B.
Antichriſtus ſignum crucis tollet. 205. 1. B.
S. Antonio elementa & animalia obediebant. 200. 1. A.
Apoſtoli à reſurrectione vſq; ad Pentecoſten à communione abſtinebant. 48. 2 B.
Apud modernos politicos aliud eſt in ore, aliud in corde. 35. 2 D.
Aqua cur in ſacrificio vino miſcetur. 46. 2. D.
Aſſectatores Regũ, & regnorũ peſtes ſunt. 14 2 B.
Aſſentationes & mendacia magis placent, quam veritas. 143. 1. D.
Auari curatio difficilior eſt, quàm mortui reſuſcitatio. 226. 2. C.
Auaritia magnorum malorum cauſa. 225. 2 C.
Auaria omnia Dei præcepta infringit. 226. 1. A.
De auaritia lex ſpecialis à Deo data eſt. 225. 2 D.
Aulicorum peſſima conſilia. 59. 2. B.

B

BAlthaſar Rex audiendæ veritatis amans. 142.
Baptiſmi effectus admirandi. 132. 1. C.
Baptiſmi multiplex denominatio. 137. 2. B.
In baptiſmo præſagiũ omnis felicitatis. 134. 1. B.
In baptiſmo ſigna Zodiaci recenſentur. 134. 1. C.
Baptiſmus maximum Dei beneficium. 134. 2. A.
Baptiſmus eſt pactũ ampliùs nõ peccãdi. 135. 2. B.
Beati pro varietate meritorum habebunt locum proportionatum. 21. 2. D.
Beatitudo formalis in quo conſiſtit. 178. 1. B.
Beatitudo æterna ex ónibus difficillima. 201. 1. A.
Beatitudo perfecta ſemel habita eſt inamiſſibilis. 180. 1. A.
Ad beatitudinẽ requiritur delectatio. 179. 2 C.
Beatorum corpora ſeptempliciter ſolis claritatem ſuperabunt. 57. 1. D.
Beatorum corporum quatuor dotes. 57. 1. B.
Beatus non poteſt ceſſare ab actu viſionis beatificæ. 180. 2. B.
Beneficia Hebræis à columna ignis præſtita. 197. 1. D.
Beneficia Eccleſiaſtica non ſunt ſimoniacè quærenda. 269. 2. D.
Boleſlaus audax Achabũ Regẽ ſecutus. 142. 1. C.
Bona Dei duplicia ſunt. 272. 2. D.
Bona Deo propria, ſunt opera miſericordiæ. 262. 1. C.
Bonitas hominum reſpectu diuinæ quaſi nihil. 126. 1. A.

C

CAin ciuitatem ædificauit. 274. 2. D.
Cain in agro occiſus. 161. 1. D.
Cain cur de fratricidio non ab Adamo, ſed ab ipſo Deo iudicatus eſt. 211. 1. C.
Per calceamenta &] per corrigiam quid intelligatur. 210. 1. D.
Per canes in Scriptura Sacra quid intelligatur. 157. 2. D.
Caro Chriſti veri cibi cõditiones habet. 37. 2. D.
Chriſti æterna generatio tẽporali ſimilis. 89. 2. D.
Chriſti omnes actiones ſunt infinitè meritoriæ. 96. 2. C.
Chriſti hominis vnctio eſt ipſa eius Diuinitas. 96. 2. D.
Chriſti mors cur dicatur baptiſmus. 132. 2. B.
Chriſti natiuitas ſine eius paſſione nihil profuiſſet. 168. 1. C.
Chriſti reſolutio ad mortem. 168. 2. D.
Circa Chriſti natiuitatem Angeli miniſtrabant. 14. 2. C.
A morte ad reſurrectionem Chriſti quot horæ effluxerunt. 16. 1. A.
Chriſti corpori debetur locus altior ſupra omnem creaturam. 21. 2. C.

Chriſti

Chriſti ſeſſio in duobus conſiſtit. 24. 1. A.
Chriſtiani damnati grauius in inferno puniuntur, quam infideles. 136. 1. D.
Chriſto ratione diuinitatis, & ratione meriti debebatur reſurrectio. 9. 2. D.
Chriſto etiam ex vi vnionis hypoſtaticæ, debebatur reſurrectio. 13. 2. D.
In Chriſto vna ſolùm eſt perſona. 95. 2. C.
In Chriſto fuit gratia habitualis cum virtutibus infuſis ſeclusis imperfectionibus. 95. 1. C.
In Chriſto fuerunt virtutes infuſæ, & gratiæ gratis datæ. 97. 1. C.
In Chriſto humilitas eum dignitate de primatu certans præualuit. 102. 1. A,
In Chriſto duplex hoſtia. 128. 2. D.
Chriſtus quia ex Virgine natus originali culpæ non fuit obnoxius. 10. 1. B.
Chriſtus propria virtute reſurrexit à mortuis. 11. 2. A.
Chriſtus cur non dicatur humanam naturam aſſumpſiſſe. 4. 2. D.
Chriſtus ſuam reſurrectionem meruit, vt homo, non vt Deus. 11. 2 C.
Chriſtus poſt reſurrectionem primo Mariæ Magdalenæ apparuit. 11. 2. D.
Chriſtus primariò propter ſe ſecundariò propter nos reſurrexit. 14. 1. B.
Chriſtus ad quid deſcendit ad inferos. 16. 2. B.
Chriſtus neminẽ ex damnatis eduxit ſecũ. 17. 2. D.
Chriſtus per aſcenſionem ſolùm accidentalem gloriam conſecutus eſt. 20. 1. C.
Chriſtus quare dicitur mons. 21. 1. C.
Chriſtus Virginis Mariæ gratiam quomodò cum ſua coæquauit. 25. 1. C.
Chriſtus ſecundum vtramque naturam dicitur mitti. 30. 1. A.
Quomodò intelligendum, quòd Chriſtus die tertia reſurrexit. 15. 2. C.
Chriſtus ex benedictionibus cognoſcitur Dei Filius. 32. 2. B.
Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ ſeipſum euiſcerauit. 46. 1. B.
Chriſtus in Sacramẽto permittit ſe à peccatoribus tangi, ne de eius præſentia dubitent. 47. 2. A.
Chriſtus ad ſuam transfigurationem duos ex veteri teſtamento, tres ex nouo cur aſſumpſit. 58. 2. B.
Chriſtus in ſua transfiguratione cur gloriam, & non pœnas inferni Apoſtolis oſtendit. 62. 1. D.
Chriſtꝰ debuit peccati defectũ aſſumere. 67. 2. C.
Chriſtus ante merita Beatæ Virginis præuiſus eſt. 71. 1. C.
Chriſtus vt homo quòd à creaturis adoretur, habet à virgine.
Chriſtus eſt naturalis Dei Filius. 86. 1. A.
Chriſtus vt homo poteſt dici perſona. 86. 2. B.
Chriſtus ob naturam, & perſonam, perfectiones naturæ aſſumptæ, dicitur Magnus. 95. 2. A.
Chriſtus ab inſtanti conceptionis habuit viſionem beatificam. 95. 1. A.
Chriſtꝰ in cruce ſeipſum verè ſacrificauit. 98. 2. A
Chriſtus ſolùm vt homo, fuit ſacerdos. 99. 2 A.
Chriſtus die viſitationis in Pontificem conſecratus eſt. 103. 2. C.
Chriſtus cur homo cæleſtis dicitur. 109. 1. A.
Chriſtus quia ad redimendum homines venit, in templo præſentari voluit. 112. 2. C.
Chriſtus fuit hoſtia ſalutis & ſanguinis. 115. 2. A.
Chriſtus quomodò nobis factus eſt via in cælum. 116. 1. C.
Chriſtus cur fabri filius dici voluit. 121. 2. D.
Chriſtus cur inclinato capite in cruce mortuus eſt. 133. 1. C.
Chriſtus cur baptizari voluit. 134. 2. B.
Chriſtus magis ſanctificauit aquas baptiſmi, quàm vterum Virginis. 135. 1. C.
Chriſtus cur dicitur omniũ redemptor. 137. 1. D.
Chriſtus cur in cruce pro ſuis perſecutoribus orauit. 145. 2. D.
Chriſtus à Pilato ad Herodem miſſus, & ab hoc ad illum reuerſus fuit, vt eos in concordiam reduceret. 149. 2. D.
Chriſtus cur duas tunicas diſcipulis interdixit. 155. 1. A.
Chriſtus opportuno tempore pro nobis paſſus eſt. 158. 2. D.
Chriſtus nũquam fuit derelictus à Patre. 171. 2. D.
Chriſtus cum B. Laurentio in craticula ignea ſimul recubuit. 174. 1. D.
Chriſtus diſcipulos vocauit Sal, quia Sal præfertur auro. 190. 1. A.
Chriſtus pro cruce ſancta omnia ſua permutauit. 209 1. D.
Chriſtus nunquam calceamẽtis vſus eſt. 210. 1. A.
Chriſtus non diuina, ſed humana voluntate factus eſt obediens. 235. 2. D.
Chriſtꝰ in cruce moriẽs quare exclãauit. 217. 2. D.
Chriſtus quomodò dicitur nobis abeſſe. 261. 1. B.
Chriſtus eiecit de templo vendentes, id eſt ſimoniacos. 269. 2. B.
Cibꝰ Euchariſticus mãſuefacit homines. 50. 2. D.
Clementina de indulgentijs explicatur. 290. 2. B.
Clericus negotiator fugiendus eſt. 226. 1. D.
Columna ignis ab omni inſultu Iudæos defendit. 199. 1. B.
Columnæ ignea quanta virtus in cohibendo mari. 199. 2. B.
Communio ſacra ſenſum minuit, & ad peccata conſenſum aufert. 49. 2. C.
Ad communionem quotidianam non omnes admittendi. 157. 1. C.
Ad communionem ſtatim poſt confeſſionem accedere, non eſt ſecurum. 49. 1. D.
Ad frequentationem communionis conditiones requiſitæ. 51. 1. A.
Ad communionem ſacram olim ſumma puritas requirebatur. 53. 1. D.
In miniſtranda ſacra communione abuſus horrendus. 53. 2. C.

Conchæ

Cõchæ marinæ sentiũt, & insidias fugiũt. 151. 2. C.
Conflictus vitij cum virtute, de morte. 140. 1. B.
Consilium Dei de reparatione hominis maius, quam de eius creatione. 3. 1. B.
Corruptio omnis ex peccato originem trahit. 202. 2. B.
Creaturæ sunt speculum Dei. 84. 1 C.
Crucis sanctæ quanta virtus. 208. 1. D.
Ante crucem Christi fuit iudicium severitatis, nunc autem clementiæ. 212. 1. D.
Crux sancta thronus regius Christi. 210. 2. D.
Crux ab internecione seruauit Iudæos. 211. 2. C.

D

DAmnati afflictiones internas cur patiuntur. 16. 2. D.
Dæmonis error in Christi diuinitate inuestiganda. 41. 2. D.
Dei filius quidquid decorum habet hominibus communicat. 4. 1. A.
Dei Filius amore martyrij homo fieri voluit. 130. 2. B.
Dei Filius homo fieri voluit, vt charitatem persuaderet. 149. 2. A.
Dei Filij sunt in duplici differentia. 186. 2. B.
In necessitate ad Deum confugiendum. 14. 1. C.
Deũ ex creaturis dupliciter cognoscim⁹. 16. 1. B.
Deus Pater Christum in dextera constituens, non se eodem honore exuit. 23. 1. D.
Deus in hominibus iustis est per specialem gratiam. 29. 2. B.
Deus infinitam sapientiam habet. 39. 1. D.
Deus aliter est in rebus, aliter res in Deo. 44. 1. C.
Deus post diluuium cur carnes comedendas indulsit hominibus. 50. 1. A.
Deus est speculum V. Mariæ, 84. 1. D.
Deus in templo Hierosolymitano pro virginibus domum separatam esse voluit 89. 1. C.
De⁹ in minoratione sui maior agnoscitur. 95. 2. D.
Deus amicis suis secreta reuelat, inimicis occultat. 120. 1. B.
Deus a seipso & essentialiter est bonus. 125. 2. C
Deus ad intra & extra seipsũ cõmunicat. 126. 1. C
Deus rem paruam ab homine requirit. 129. 1. C
Deus cur Adamo mortem cõminatus sit 139. 1. B
Deus maximè à nobis requirit mutuam charitatem. 149. 1. D.
Deus erga peccatores pœnitentes procliuis est. 162. 2. C.
Deus miraculis comprobat venerationem sanctorum. 181 1. D.
Deus Spiritum sancti Dominici in sanctum Hyacinthum transtulit. 190. 1. B.
Deus à creaturis solùm esse repræsentatum acquirit. 44 2. A.
De⁹ ab extrinseco animã homini infudit. 191. 1. B.
Deus cur paradisum seorsim plãtauerat 191. 1. D
Deus populum Hebræorum per aspera duxit ad terram promissionis. 196. 1. D.
Deus quomodò nõ est Deus mortuorũ. 28. 2. B.
Deus Pater cur pro nobis filium suum mori voluit. 209. 1. D.
Deus vbiq; simul & nusquam est. 261. 2. A.
De⁹ in ordine ad suã ideam facit optima. 278. 2. B.
Dextera significat iudiciariã potestatẽ. 24. 1. C.
Per dexteram Dei quatuor intelliguntur. 24. 1. D
Diabolus quia maximus Dei hostis, maxima mysteria ignorauit. 120. 1. D.
Dies resurrectionis cur dicitur prima sabbathi. 15. 1. D.
Dies azymorum vnde dictus. 19. 1. C.
Dies ex præsentia solis constituitur, 19. 2. A.
Dies tres & tres noctes mortis Christi accipi debent per synecdochen, 19. 2. B.
Discordia reprobationis signum, 150. 2. D.
Discordiæ culpa inexpiabilis. 127. 2. A.
Diuina essentia sine attributis videri non potest. 178. 1. D.
In Diuina essentia continentia virtualis attributorum, non sufficit ad beatitudinem. 179. 1. D
Diuinæ filiationis signum. 186. 1. C.
In diuinis vna persona Diuina sine alia videri non potest. 178. 2. A.
Diuinus oculus nescit nisi bonũ videre, 124. 2. B.
Doctores Ecclesiæ S. in doctrina Euangelij debent esse vnanimes, 30. 2. D.
Dolores inferni quid significent. 17. 1. D.
Dominicanæ Familiæ elogium, 188. 1. B
S. Dominicus Lateranensem Ecclesiam labentem humeris sustentare visus est. 189. 1. D.

E

EBionitæ Hæretici solùm Matthæi Euangelium admittunt. 224. 2. D.
In Ecclesia primitiua pœnitentia multorum annorum erat. 165. 1. C.
Ædificatio Ecclesiarum, & monasteriorum, non saluat oppressores. 129. 2. C.
Electi Dei maximè in aduersis Deũ orãt. 219. 1. A
Elias in cælum curru eleuatus est, Christus sine curru 28. 1. C.
Elisei precibus exercitus Regis Syriæ cæcitate punitus est. 238. 1. C.
Elise⁹ in discessu Eliæ cur vestimẽta scidit. 28. 1. A
Eliseus aquas Hiericho pessimas sanauit, 238. 1. A
Enochi duo fuerunt. 274. 1. A.
Ephraim iunior cur prælatus sit Manasse seniori. 85. 1. D.
S. Ephrem meretricem conuertit. 283. 2. D.
Erinacij ars in eludendis canibus. 156. 1. A.
Error Appellis circa Christi natiuitatem. 8. 2. D.
Esau saluatum esse probabile est. 257. 2. B.
Euangelium de vtero, & vberibus tribus de causis accommodatur Præsentationi Beatæ Virginis Mariæ. 78. 1. D.
Euangelistæ cur nullam mentionem fecerint. de apparitione Christi primò Virgini facta. 12. 1. D
Eucharistia noctu instituta. 19. 1. C.
Eucharistiæ Sacramento nihil mirabilius, nil præstantius. 41. 1. D.
Eucharistiæ indigna sumptio infirmitatem causat. 49. 1. B.
Eucharistica mensa dissidentes non admittit. 51. 1. B.

F

FAmilia Noemi ne diluuio periret, ex Sethi virtutibus habuit. 7. 1. D.
Fatuæ virgines à nuptijs exclusæ ob defectum charitatis. 127. 2. C.
Ex fidelibus plures saluantur, quàm damnantur. 156. 2. D.
Fidẽ negãtes quomodò olim puniebãtur. 130. 2. A
Filius in fieri, idem est, quòd genitus, 86. 1. C.
Filius est patris memoria. 223. 1. A.
De fortuna dictum Plinij. 155. 1. B.
Fraterna correctio difficilis. 158. 1. B.

G

GEnus redimendi duplex. 67. 2. B.
Giezi triplici de causa leprã percuss⁹. 208. 1. C
Glorioſorum corporum quatuor dotes. 176. 2. D
Gratia habitualis immediatè recipitur in essentia animæ. 176. 1. A.
Gratiæ perfectio duplex. 79. 2. C.
Gratiæ sanctæ infusio duo stupenda operatur. 152. 2. D.
Gratiæ plenitudo statui viatorum proportionata, est augmentabilis. 79. 2. D.
Gratiæ sanctificantis effectus. 82 1. B.
Gratiæ gratis datæ sunt nouem. 97. 1. C.
Gratiæ gratis datæ ad quid fidelibus conceduntur. 97. 2. C.

H

HÆreticorum inepta contra Christi diuinitatem argumentatio. 23. 1. C.
Hæreticus pro fide occisus nõ fit martyr. 131. 1. A
Herodes suos filios iniq; iudicauit. 238. 2. D.
In homine totum est, quod in totius mundi opificio. 223. 2. A.
Homini etiã ferocia animalia obediunt. 2. 1. A
Homines quomodò occasione peccati Angelici dicuntur eleuari ad gloriam. 257. 2. C
Homini tota vita discendum est mori. 285. 2 A.
Hominis Rhetorica descriptio. 282. 1. D.
Hominis Dialectica descriptio. 282. 2. C.
Hominis Arithmetica definitio. 283. 1. B.
Hominis septem ætates. 284. 2. A.
Hominis rectè viuentis nulla mors mala. 285. 1. B.
Homo decem prærogatiuis à DEO condecoratus. 1. 1. B.
Homo cum summa innocentia, & integritate creatus. 2. 1. C.
Homo in creatione imortalitate donatus. 2. 1. D.
Homo simplex & rectus etiam Regibus terrori esse solet. 60. 1. C.
Homo purus ex virgine sine viro conceptus non contraheret peccatum originale. 10. 1. C.
Homo ex duobus meretur laudem. 279. 1. B.
Homo quamdiu viuit, potest in gratia crescere. 8. 2. D.
Homo per solã gratiam Dei iustificatur. 221. 2. C
Homo vnde deducitur. 223. 1. D.
Homo grammaticè definitur. 282. 1. B.
Homo physicè quid sit. 282. 2. D.
Homo est occultus angulus. 283. 2. A
Homo est alienæ rei possessio. 284. 1. B.
Homo triplici iure Deo seruire debet. 267. 1. C
Humana promissa vt plurimum fallunt. 248. 2. D.
Humilitas super omnia hominẽ exornat. 101. 1. C.

I

ISaac quare non est permissus occidi. 186. 1. B.
Isaias sub quatuor Regib⁹ prophetauit. 205. 2. D
Iesus nomen Saluatorem significat. 123. 1. C.
Ignis purgatorij durior infernali. 231. 2. A.
Ignatij Martyris cupiditas patiendi pro Christo. 144. 2. B.
Immisericordia est causa damnationis. 165. 1. D
Impatientia est fundamentum damnationis æternæ. 217. 1. D.
Incarnationis opus dicitur maximum ex parte Virginis. 71. 1. D.
Incarnationis motiuum fuit remedium peccati. 114. 2. D.
Incarnationis mysterium sine mysterio Trinitatis non potest cognosci. 109. 2. B.
Per indulgentias non exhauritur Christi satisfactio. 288. 2. D.
Per indulgentiã nõ remittitur peccatũ. 290. 1. D
Per indulgentiam solùm remittitur pœna peccatis debita. 290. 2. A.
Ingratis beneficia præstare periculosũ. 251. 2. D.
Inimicos non tenemur diligere, vt sunt inimici. 157. 1. A.
Inuitatus ad nuptias cur in tenebras exteriores missus. 34. 1. D.
Ioab & Absalon filij patrueles. 232. 2. C.
S. Ioannes ex humilitate, Christi titulum recusauit. 101. 2. C.
Sanctus Ioannes in vltima cæna Verbum DEI concepit. 123. 2. D.
S. Ioannes quia in pectore Iesu recubuit, proditorem eius non cognouit. 125. 1. C.
Ioannes à cruce passionum pro Christo tolerandarum auidissimus. 144. 2. D.
S. Ioseph ob reuerentialem timorem B. Virginem dimittere voluit. 118. 2. D.
S. Ioseph locum supremi Angeli in cælo obtinet. 120. 2. A.
S. Ioseph ad altius ministerium sancto Ioanne electus est. 121. 2. A.
S. Ioseph in prima sui sanctificatione plùs gratiæ accepit, quàm aliquis homo, aut Angelus. 122. 1. B.
S. Ioseph suo silentio nos docuit, dona Dei occultanda esse. 122. 1. D.
Iosephi & Susannæ in cuitando adulterio prudentia. 148. 1. C.
Soli S. Iosepho mysterium Incarnationis quoad modum reuelatum fuit. 119. 2. D.

Supra Ioſuę monumentum cur ſolis ſimulachrum poſitum fuerit. 267. 2. C.
Iubilei encomia. 288. 2. C.
Ad Iubilei conſecutionem requiritur deuota Eccleſiarum viſitatio. 289. 1. B.
Et confeſſio ſacramentalis 290. & ieiunium ac eleemoſyna. 290. 2. C.
In iubileo datur plena remiſſio peccatorum. 288. 2. C.
Iudæi Chriſtum ſolùm purum hominem venturum putabant. 22. 1. C.
Iudæi cur Ioannem requirebant, an eſſet Chriſtus. 101. 2 A.
Ad iudicium tria requiruntur. 234. 1. B.
Iudæorum, Gentilium, & Hæreticorum error circa Chriſti diuinitatem vnde. 27. 1. B.
Iuſtitia diſtributiua non ſolùm merita, ſed etiam dignitates perſonarum ſpectat. 24. 2. C.
Iuſti ſoli in Scriptura Sacra vocantur magni. 97. 1 A.
Iuſtis cur in veteri lege diuturnitas vitæ promiſſa. 279. 2. B.

L

LAmech quia ex ignorantia inuincibili occidit Cainum, punitus non eſt. 161. 2. B.
Beati Laurentij duo folia argentea. 172. 1. B.
B. Laurentio morienti Angeli aſſiſtebãt. 174. 1. D
In B. Laurentio diuinus amor vicit ignis ardorem. 182. 2. A
B. Laurentius confertur cum tribus pueris Chaldæis, illiſq; præfertur. 182. 1. A.
Leæna catulum cæcum parit. 26. 2. B.
Leo catulũ mortuum ſpirando viuificat 26. 2. C
Lex Dei in monte conſcripta, & Moyſi tradita. 21. 1. C.
Lingua Deum benedicens in cælis coronatur. 32. 2. D.
Lingua & optima & peſſima, 33. 1. D.
Lingua nouaculæ ſimilis. 32. 2. D.
Lingua mala ſedes diaboli, 35. 2. C.
Lingua Zachariæ quomodò & diuina, & humana dicatur. 32. 2. D.
Lingua filij DEI, & filij diaboli multum diſcrepant. 35. 1. C.
Linguæ ſuper Apoſtolos die Pentecoſtes apparentes, non fuerunt plures, ſed vna. 31. 2. B.
Linguæ igneæ inſtar coronarum conſederunt ſuper Apoſtolos. 31. 2. D.
Lucerna doctrinam, & prædicationem Euangelicam ſignificat. 184. 2. C.
Lux naturæ & gloriæ ſolùm accidentaliter differunt. 13. 1. D.

M

MAgnitudo mundialis ex rapinis, violentiâ, & faſtu conſtat. 96. 1. D.
Maiorum virtutes poſteros conſeruant. 67. 1. B.
Margarita Euãgelica ſignificat charitatẽ. 188. 1. D
Margarita pretioſa ſignificat hominem iuſtum. 151. 1. D.
Margaritæ quomodò generantur. 151. 2. A.
Maria Magdalena ſepties in diem ab Angelis ſurſùm eleuabatur. 229. 1. D.
Maria Magdalena triginta quatuor annis pœnitentiam egit. 165. 1. A.
Maria Magdalena quotidie ſepties in extaſim rapiebatur. 165. 1. B.
Maria Magdalena fuit Regis filia. 166. 2. B.
Maria virgo præſtantiori modo dicitur templum Dei, quàm nos. 29. 2. A.
Maria Virgo cur dicitur ſponſum genuiſſe. 66. 1. B.
Maria Virgo non fuit comprehenſa in communi ruina peccati originalis. 67. 1. D
Mariæ conceptioni Deus Pater cum Filio aſtabant. 64. 2. B.
Martyres ſunt fercula Diuinæ menſæ. 173. 1. A.
Martyres cur non dicantur ſeipſos in ſacrificium offerre. 98. 2. C.
Martyres ob imitationem Chriſti paſſionis, boni paſtores dicuntur. 126. 1. C
Cauſa Martyrij eſt quilibet actus virtutis ex fide diuina deſcendens. 145. 1. D.
Martyrium à Chriſto honoratum eſt. 127. 2. D.
Ad Martyrium requiritur libera mortis acceptatio, 130. 2. D.
Martyrum proprium eſt libenter pro Chriſto pati 144. 1. B.
Martyrum reclinatoria ſunt cruciatus & tormenta. 173. 1. D.
Martyrũ numerus ex ordine Prædicatorũ. 192. 1. A
S. Matthæus præfertur Moyſi & alijs ſcriptoribus. 224. 2. A.
Maternitas DEI dupliciter conſiderari poteſt. 81. 2. C.
Ad Maternitatem Dei quatuor prærogatiuæ concurrebant. 70. 1. D.
Maximum Dei donum pro Chriſto pati. 126. 1. D
Medici infirmos depauperant. 113. 2. B.
Meditatio Chriſti paſſionis compendioſa via ad cognoſcendam diuinitatem. 115. 2. D.
Per mirabilia quid in ſcriptura intelligatur. 88. 2. B.
Moab ex cõſilio Balaã virgines proſtituit, 66. 2. C
Modus quo Chriſtus eſt in Sacramento inexplicabilis. 39. 2. D.
Montes celebratiſſimi in Scriptura Sacra quatuor. 21. 2. A.
Montis libani tria ornamenta. 83. 1. B.
Mori quare omnibus ſtatutum eſt. 180. 1. A.
Morientium quatuor differentiæ. 228. 1. C.
Mors fugiens à Chriſto moribundo reuocata eſt. 133. 1. D.
Mors Chriſti corpus mortuũ ad ſuam ignominiã ſumpſit, & per hoc ſuũ imperiũ amiſit. 38. 2. B
Mors obequitat mundi plagas. 280. 1. D
Mors iuuenibus maximè inſidiatur. 280. 2. B.
Mors ſancta in Domino morientium. 228 2. D.
Mors diuturno exercitio agilis euaſit. 281. 1. B.
Mors non eſt à Deo effectiuè. 278. 2. C.

Mortis varia genera. 281. 1 D.
Mortui quomodò requieſcũt à laboribꝰ. 228. 2. B
Mos olim aduocandi fideles ad ſacram communionem. 51. 2 C
Moyſes ad regimen vocatus illud toto conatu effugere voluit. 154. 1. B.
De Moyſis peccato variæ ſententiæ. 220. 1. B.
Mundo à Deo creato ſola veritas defuit. 140. 2. D
In mundo quidnam optimum. 179. 1. A
Munera accipere periculoſum eſt. 268. 2. A. & 279. 1. A.
Munera magis ſæcularibus, quàm ſacerdotibus licita. 270. 1. B.
Mutatio mulieris in ſtatuam ſalis fuit inſtantanea. 41. 2. C
Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis primò in hominis creatione manifeſtatum eſt. 1. 2. A.

N

NAbuchodonoſor ex interpretatione ſomnij verum Deum agnouit. 95. 2 B.
Neceſſitas aduentus Spiritus ſancti. 29. 1. A.
Negotiatio bona & cælicolis & terricolis eſt licita. 147. 1. C.
Nobilis quis dicendus ſit. 187. 2. D
In nouo teſtamento plures ſaluantur, quàm in veteri. 61. 1. D.
Nubes Chriſto ad triumphum ſeruiuit. 28. 2. B.

O

OCuli ſtructura mirabilis. 245. 1. C.
Oculi ne errent, quid faciendum. 246. 2. A.
Oculi ſimplicis obiectũ ſunt mãdata Dei. 246. 1. A
In oculis muſculorum officium. 245. 2. A.
In oculo ſunt quinq; tunicæ. 245. 1. D.
Penes oculos imperium cæterorum ſenſuum natura poſuit. 249. 1. C.
Oculus mentis habet ſeptem muſculos, & duos neruos. 245. 2. D.
Oculus ſimplex eſt inſigne Doctoris. 247. 2. C.
Odium, amor, & ira, quomodò Deo attribuuntur. 287. 1. D.
Optimum triplex. 74. 1. C.
Oratio importuna multũ valet apud Deũ. 164. 1. D
Oratio vt ſit efficax, qualis eſſe debeat. 264. 2. B.
Origenis error circa creationem animarum. 55. 2. A. & 74. 1. C.
Ornamenta in præſepio Chriſti fruſtra adhibita fuiſſent, 6. 1. A.
Ornatus ſummi ſacerdotis in veteri lege. 140. 1. D
Oza Arcã Dei tangens morte punitus eſt. 55. 1. B.

P

PActum Dei cum Adamo. 16. 1. C.
Paradiſus hominis domicilium. 2. 1. B.
Paradiſus ab omni violẽtia fuit immunis. 191. 2. B.
Pater æternùs contemplando redemptionem generis humani, genuit Filium. 2. 2. D.
S. Paulus fuit ſtaturæ paruæ. 93. 1. D.
S. Paulus cur Mercurius, & Barnabas Iupiter à Lyſtrenſibus dictus. 93. 1. A.
S. Paulus fuit mirabilium operũ effector. 266. 2. C
Pelagianorum ſtulta gloriatio. 215. 2. B.
Peccare quid ſit. 176. 2. A.
Peccata Iudæorum ex duplici capite enormia. 205. 2. D.
Peccator poteſt miracula patrare. 271. 2. B.
Peccatum originale varijs nominibus appellatur. 237. 1. B.
Peccatum originale eſt pernicioſa defectio à diuina bonitate. 136. 2. C.
Peccatum originale eſt effectus peccati actualis Adami. 136. 1. B.
Peccatum Chriſtianorum grauius eſt, quàm gentilium. 136. 1. C.
Pilatus quare Chriſtum titulo Regis honorauit. 142. 1. A.
Pontificũ numerꝰ ex ordine Prædicatorũ. 192. 2. B
Portæ ſingulæ cæleſtes quomodò ex 12. margaritis conſtructæ. 31. 1. D.
Præcepta Euangelica propter duo leuia dicuntur. 253. 1. C.
Prædeſtinati quomodò ruinas Angelorum reſtaurabunt. 122. 2. B.
Prædicator Euangelicus non arguens peccata ſummè reprehenſibilis. 104. 2. D.
Prædicatorum ordinis quanta laus. 188. 2. D
Prædicatorum ordo eſt paradiſus æternitati plantatus. 192. 1. C.
Præmium non debetur homini niſi pro ſtatu viæ. 87. 2 D.
Propheta à leone in via occiſus, quia plùs homini quàm Deo credidit. 271. 1. D.
Purgatorium eſt ira Dei. 241. 2. C.

R

REges quales conſiliarios admittere debent. 61. 1. B.
Regibus tres virtutes maximè neceſſariæ 60. 2. D
Regina Eſter coram Rege benigno cur in terram corruit. 6. 1. C.
Reliquiæ Sanctorum ſunt honorandæ. 180. 2. D.
Reproborum maior numerus, quàm Prædeſtinatorum. 252. 2. D. & 255. 2. C.
Ritus in conſecratione templorum. 29. 1. C.
Roſa à principio mundi ſine ſpinis naſcebatur. 193 1. D.
S. Roſa nonaginta nouem ſpinis caput ſuum vulnerabat. 195. 1. B.
Sancta Roſa ad ſubueniendum in neceſſitatibus prompta. 198. 2. B.
S. Roſa omnibus ſemper profuit. 199. 1. D.
S. Roſa à culicum morſu immunis fuit. 200. 1. D.
Cum ſancta Roſa Chriſti familiaris conuerſatio. 200. 2. A.
S. Roſa ante triennium mortẽ præſciuit. 201. 1. D.
Sancta Roſa tota fuit in oratione & laboribus. 202. 1. B.
Sancta Roſa nihil ſolatii ex rebus creatis percipiebat. 203. 1. B.
Roſæ color omniũ florũ colorẽ ſuperat. 192. 1. C.
S. Roſæ amor erga infirmos. 197. 1. A.
S. Roſæ quantæ mortificationes. 194. 1. B.
S. Roſæ de dæmone reportata victoria. 195 2. A.

Sanctæ Rosæ funus glorioſum. 201. 2. A.
S. Rosæ abſtinentia admirabilis. 203. 1. D.
Sanctæ Rosæ diuina myſteria fuerunt patefacta. 203. 2. A.
Sanctæ Rosæ corpus poſt quindecim annos integrum repertum. 201 2. D.
Ad ſepulchrũ S. Rosæ quanta miracula. 201. 2. B.

S

SAcerdos dicit habitudinẽ ad ſacrificia. 98. 1. C
Sacerdotes aulicos imitari nõ debent. 141 2. D
Sacramenta veteris legis characterem non imprimebant. 61. 2. D. & 138. 1. B.
Inter Sacramenta nouæ, & veteris legis differentia. 61. 2. B. & 137. 2. D.
Sacramentorũ frequẽs vſus perniciosus. 256. 1. D
Sacrificia ſolemnitatum in lege veteri octo fuerunt. 169 1. D.
Sacrificiorũ Iudaicorũ triplex natura. 169. 1. B.
Samſonis ænigma quomodò intelligẽdũ. 280. 2. D
Sancti in cælo ſunt ab intrinſeco impeccabiles. 176. 2. B.
Sanguis & aqua de latere Chriſti profluens, figura baptiſmi. 133. 2. C.
Sanguis in poſtibus Iudæorum in Ægypto præſeruabat à morte. 138. 2. A.
Sanguis in Scriptura Sacra proximorum iniurias & diſcordias ſignificat. 149. 1. B.
Sapricius quia charitate caruit, à fide receſſit. 127. 1. B.
Seruitus alia eſt naturalis, alia captiuationis, alia emptitia. 266. 2 D.
Signa rationis inter diuina decreta. 69. 1. A.
Simonia triplici de cauſa prohibita eſt 271. 2. D
Inter ſolemnitates Præſentatio B. Virginis tertium locum tenet. 75. 2. C.
Spiritus Sanctus cur ante Chriſti glorificationem non venit. 29. 2. A.
Per ſtadiũ in Euãgelio quid ſignificetur. 254. 2. D
S. Staniſlaus ſuſcitatione mortui obiectam ſibi calumniam confutat 144. 2 D.
S. Staniſlaus quia pro veritate occiſus, ideò Martyr. 145. 2. B.
Stante ſole tempore Ioſue ſuperiores cæli mouebantur. 42 1. D.
Status antiquorum gentilium felicior modernis Regibus. 142. 2. C.
S. Stephanus in orando pro inimicis Chriſtum imitatus eſt. 50. 2. C.
Subſtantijs ſpiritualibus debetur locus cæleſtis. 21. 2. A.
Superbia eſt hominis diabolum ſequentis ſignum. 100. 2. B.

T

THeodoreto inter tormenta leuamen præſtitum. 144. 2. C.
A temerario iudicio duæ rationes auocãt. 162. 1. C
Templa de malè quæſitis ædificata, non ſunt diuturna. 129. 2. D.
Tempus amiſſum quomodò redimitur. 163. 1. D
In nouo teſtamento mors immatura bonis in præmium cedit. 179. 1. B.
Tribulationes omnes ſunt leues, quia finem habent. 253. 2. D.
Triduum mortis Chriſti quomdò 40. horis potuit comprehendi. 18. 2. D.
Tranſubſtantiatio Euchariſtica eſt verum diuinitatis ſignum. 42. 1. B.

V

VBiquitas ſoli Deo debetur. 27. 2. A.
Vbiquitas corpori Chriſti aliquomodò conuenit. 39. 2. A.
Veneri ſeruientes pacem non amant. 272. 1. D.
Verbum Diuinum etiam à notitia creaturarum futurarum procedit. 92. 2. B.
Veritas Regibus multum proficua. 141. 2. B.
Veritatẽ omnes auerſo animo audiunt. 141. 1. C.
Veſpera triplex, & matutinum triplex. 153. 1. D.
Virgines Regi Aſſuero præſentandæ integro anno præparabantur 39. 1. B.
B. Virginis Præſentatio, eſt virginei templi dedicatio in honorem Spiritus Sancti. 75. 2. D.
B. Virginis occupatio in tẽplo quæ fuit. 77. 1. B.
B. Virginis maternitas alia temporalis, alia ſpiritualis. 78. 2. D.
B. Virginem fuiſſe in peccato originali conceptam nulla ratio conuincit. 67. 2. A.
Per Beatam Virginem Angelorum damna reparata ſunt. 110. 2. A.
B. Virgo tripliciter conſiderari poteſt. 71. 2. B.
B. Virgo indiuiſum cum Chriſto imperium habet. 72 1. D.
B. Virgo quomodò fuit gratiâ plena. 73. 1. D.
B. Virgo nunquam otioſam cogitationem admiſit. 73. 2. C.
B. Virgo ſanctiſſimæ Triadis cõſanguinea. 72. 2. A
B. Virgo per reſurrectionẽ Chriſti innotuit, quòd vera Dei mater eſſet. 11. 1. A.
B. Virgo claritatem glorioſi Chriſti corporis poſt reſurrectionem vidit. 13. 1. A.
B. Virgo fuit dignè diſpoſita ad maternitatem Dei. 70. 1. A.
B Virgo diſpoſitionem ad maternitatem Dei non meruit de condigno, ſed de congruo 70. 2. B.
B. Virgo adhuc in vtero exiſtens digna fuit maternitate Dei. 79 1. B.
B. Virgo vndecim annis in tẽplo man ſit. 89. 1. D.
B. Virgo à die ſuæ Viſitationis Regum, & regnorum patrocinium ſuſcepit. 103. 2. D.
B. Virgo Angelis ſanctis poſt conditum mundum fuit reuelata. 110. 1. C.
B. Virgo eſt vniuerſum Trinitatis complementum. 106. 2. D.
B. Virgo voluntate, & conſenſu Chriſtum concepit. 121. 1. B.
Viſio quomodò fiat, variæ ſententiæ. 245. 1. B.
Vita & mors hominis in manibus linguæ. 33. 2. D.
Vita humana in ſtatu innocentiæ fuit amabilis, nunc odibilis. 278. 1. D.

Vitijs

Vitijs generosè reſiſtere, martyriũ eſt. 175. 1. B.
Vnio inter corpus Chriſti, & recipientis, qualis intercedat. 23. 2. D.
Vnio hypoſtatica primariò eſt ratio coniungendi, ſecundariò eſt principium agendi. 98. 1. A.
Voluntas Dei antecedens poteſt impediri, conſequens non poteſt. 2. 2. D.

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

Pagina col. Locus col.		
12. 2. C.	Dignatus edrat.	erat.
46. 1. D.	Indignatio declaratus.	declaratur.
46. 2. B.	qui aliud.	quid aliud.
46. 1. B.	ſit in ſanguine.	anima ſit in ſanguine.
48. 2. D.	vulgarem filium.	fidelium.
48. 2. D.	induerunt.	induerant.
48. 2. C.	ita volumus.	vti volumus.
48. 2. C.	incurſiua, quod verò.	rarò.
50. 2. A	quæ ſit noſtris.	noſtis.
50. 2. A.	nobis potuit.	poſuit.
51. 1. B.	ad communionem alteris.	altaris.
58. 2. D.	mittes.	mites.
85. 2. B.	eximere.	eximeret.
89. 2. C.	iniuncta.	inuncta.
92. 1. C.	ſaltem quam.	ſecundùm quam.
102. 1. A.	tullit.	tulit.
112. 1. D	ferre.	ferè.
115. 1. B.	ſeruum nuum.	tuum.
117. 1. A.	adiutum.	adiutam.
130. 1. D.	ipſomet.	ipſemet.
131. 1. A.	à diſtantia.	a ſe diſtantia.
134. 1. C.	mortm.	mortem.
177. 2. D.	de fide.	de fine.
178. 1. C.	conſiſtendi.	ſubſiſtendi.
178. 1. C.	non videatur viſa.	quâ non viſâ.
182. 1. C.	conculſaſſe.	conculcaſſe.
181. 1. C.	upplicij.	ſupplicij.
183. 2. A.	irradicabit.	irradiabit.
192. 2. D.	ſenſibus.	ſentibus.
196. 1. D.	mille fluentem.	melle.
198. 2. D.	à Deo germanas.	adeò.
200. C.	vnde.	vndæ.
212. 2. D.	quemadmodùm enim aut.	ait.
213. 2. C.	ſpinis & crucis	curis.
213. 2. D.	quibus adoran s.	adoraris.
230. 1. D.	vos ipſos flete	vos ipſas.
243. 1. A.	fuiſſe crimen.	fuiſſet.
248. 2. A.	reſponderet.	reſpondere.
248. 2. B.	euanuit iſti.	iſte.

BIBLIOTHEQUE